SC.11.Pl.3.

ALEXANDRI T. PETRONII

DE VICTV ROMANORVM ET DE SANITATE TVENDA LIBRI QVINQVE

AD GREGORIVM XIII. PONT. OPT. MAX.

His acceſſere libelli duo De Aluo ſine medicamentis mollienda.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.



ROMAE In Aedibus Populi Romani

M D LXXXI.

[redacted]

GREGORIUS PAPA XIII.

DILECTO FILIO ALEXANDRO PETRONIO LAICO

Ciuitatis Caſtellan. & Medicinæ Doctori.

DILECTE FILI Salutem & Apoſtolicam benedictionem. CVM ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat Commentarios iu Aphoriſmos Hippocratis, & vnũ Tractatum magnum nuncupatum de hiſtoria medica, acaliud de victus ratione ad Romanos, necnō aliud de aluo molliēda, & reliquũ opera de Diebus decretorijs inſcripta ſummis vigilijs & labore cōpoſueris, illaq. tua impenſa imprimi facere iutendas, ne labore fruſtreris & impenſa, quod de facile euenire poſſet, ſi ab omuibus imprimi aut vendi poſſent, ſupplicari nobis feciſti humiliter, vt tibi in pręmiſſis opportune ꝓuidere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur tuæ indemnitati in præmiſſis opportune prouidere volentes, teq. à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijsq. eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet iunodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate præſentium diſtrictius prohibemus, ue quis decreto infra quiudecim annorum ſpatium à Data præſentium computandorum Commentarios & opera prædicta imprimere, aut alibi impreſſa in ſtatu eccleſiaſtico ſiue tui, heredumq. & ſucceſſorum tuorum, aut à te vel ab eis cauſam habentium expreſſa licentia in ſcriptis habita, palam vel occulte vendere audeat ſub pœnis quingentorum ducatorum auri, & amiſſionis librorum tam per dilectos filios curiæ Cameræ Apoſtolicæ generalem Auditorem & Almæ Vrbis noſtræ Gubernatorem, quàm quoſcumq. alios iudices eccleſiaſticos auferendorum, & pro vna tibi, ac alia partibus locis pijs, & denunciatori applicandis. Nou obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, priuilegijs quoq. & indultis quibuſuis perſonis ac collegijs aut vniuerſitatibus ſeu ciuitatibus quomodolibet conceſſis, quorum omniũ tenores perinde ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, cæteriſq. contrarijs quibuſcumque. Decernentes præſentium, tranſumptis etiam impreſſis, & iu calce vel initio ipſorum librorum inſertis plenam fidem adhiberi debere. Datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris, Die xiij. Septembris M. D. LXXIII. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

P. Tarus.

T. Guillemier.

SANCTISSIMO D. N. GREGORIO XIII. PONT. OPT. MAX.

ALEXANDER T. PETRONIVS.

NON ignoro, Pater Beatiſſime, Sanctitatem veſtram neq. medico, neq. iatralipta egere: atq. ob id, his meis commentarijs de Romanorum victu, deq. ſanitate tuenda, ei opus non eſſe, nam ea in te eſt, & corporis conſtitutio, & animi moderatio (quod euentus oſtendit) vt iniurijs quæ tum huic, tum illi, paſſim accidere, atq. hominē corrumpere ſolent, tu facile reſiſtas, & perpetuo ſanus degas: ita vt iure iam dicere liceat, te quoad humana natura fert, tandiu & viuere & bene valere poſſe. Verum cum ego his commentarijs obnixe ſtuduerim, inſtruere homines, & præcipue Romanos, quo ſani ſint, diuque viuant: operæpretium fore duxi, ſi hæc qualiacumq. ſint (quod bona venia fiat) in tuo nomine apparerent: vt hi qui ea lecturi ſunt, primum te velut Archetypo ſanitatis longæq. vitæ, ante oculos poſito, deinde his quæ ſcripſimus perlectis, commodius valeant, ſe ſe viro incolumi, & longæuo, ſimiles præſtare, quod meum in hoc toto opere potiſſimum eſt conſilium. Viue diu fœlix vt quemadmodum ſoles, & pauperibus & Chriſtianæ Reip. proſis.

ALEXANDRI T. PETRONII
DE VICTV ROMANORVM
ET DE SANITATE TVENDA
AD GREGORIVM XIII.
PONTIFICEM OPT. MAX.
LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

SI rectam victus rationem his qui Romæ com-
C morantur inſtituere velimus(hac enim & pro-
pter ſitus inæqualitatem, & propter variã tum
aeris,tum ventorũ naturam maxime omnium
indigent)oportet in primis ponere qualis(quo
ad ſanitatem & ægritudinem) illius ſitus ſit:
Deinde qualis aer, qui venti, quæ tempora anni, quæ tempeſta-
tum genera; quales item aquæ, qualia vina, quæ eſculenta hic in
vſu ſint; qui etiam homines (cum numeroſæ ac diuerſæ ſint eo-
D rum & naturæ,& mores,& exercitia) hic habitent,quo victu vtan
tur, quàm diu viuant,qui & quot morbi his vernaculi; poſtremo
quid ſequendum, quidve fugiendum, vt quiſque ſe tum ab his
morbis tum ab alijs huius Vrbis incommodis defendat, & ſanus
degat. Portò nec leue admodum, nec omnino promptũ eſt hoc
ipſum aſſequi: Tam etſi enim pleriq. auctores, & in primis Hip-
pocrates Cous multa de victus ratione variorum locorũ memo-
riæ prodiderunt,id tamen nõ peculiariter, non ſpeciatim, ſed cõ-
E muniter ac vniuerſe ſcriptis mandarunt. Atq. adeo nemo hacte-
nus quòd ſciam, de proprio vrbis Romæ victu ſcripſiſſe reperia-
tur. Vt vero minus arduum eſt, communia noſſe quàm propria:
ita quod facilius eſt, id ab antiquis de hac re ſcriptũ inuenimus;
quod autem difficilius, id ipſum nobis relictum eſt. Hoc ſi ego
etiam prætermiſero nihil ſane magis quàm illi quod ad hoc atti-
net, feciſſe videbor: ſed ſi me huic Vrbi prodeſſe poſſe cognoue-
ro,id vero tacere velim, quo nam ipſe modo crimen ἀχαριστίας ef-
fugero?

fugero? Sin contra, non tacuero, ſed palàm alijs fecero; non deerunt maleuoli, nec ſibi temperabunt, quin me ſuis mendacijs de temeritate quadam accuſent: vt pote quòd nemo vllo vnquã tempore, adhuc aggredi auſus fuerit, id ſolus ego nunc audeam? Cæterum quia magis dignũ eſt ingenuo viro huiuſmodi calumniam negligere, quàm illius metu committere vt ingrati & ſegnis animi, ab alijs exiſtimetur: aggrediar id ipſum, quod qualecumq. à nobis nunc tradatur, eò minus eſt reſpuendum, quò magis & nouum & vtile videtur: quippe hoc cognito, non ſolum illi qui ſani ſunt, diſcent propriam ſibi valetudinem tueri, ſed etiam ſi forte periculum ſubeant, ne in morbos huic Vrbi domeſticos, aut in huiuſmodi ſimiles incidant, facile cognoſcent quomodo ſani eſſe queant, quando accerſiri Medicus debeat, quando non debeat: ſimulq. paruo negocio poterunt, vniuſcuiuſque temporis, ac anni futuri conſtitutionem præuidere, qui videlicet morbi cõmuni affectione Vrbem ſint inuaſuri, tam æſtate quàm hyeme, & quæcumque pericula ex victus ratione timenda ſint. A B C

De Situ Vrbis.

Itaq. vrbs Roma vt ſæpe diruta, ſæpeq. reſtituta fuit; ita varios ſitus, diſſimiles cæli in particularibus locis aſpectus, diuerſos ventorum flatus ſortita eſt: olim in montibus, noſtra ætate in conualle magna pars eius locata eſt; per hanc inſignis fluuius Tyberis fluit: qui ſiniſtra ripa in Latio maximam eius partem, dextra in Hætruria ſuburbanum vicum burgũ vocant, atq. Tranſtyberim, loca nimirum ampla relinquit: Montibus ad occaſum, à fauonio & cauro, & ab africo, ſed in occidentem magis: ad ortum, à ſubſolano & vulturno, & borea orientem verſus, tota fere defenditur: meridiei & ſeptentrioni ample patet; ita tamen vt neq. inter brumalem, magis quàm inter æſtiuum Solis exortum & occaſum exiſtat: ſed æqualiter ferè tum meridiem tum ſeptentrionem magna ſui parte reſpiciat; crebroq. malum quòd alijs locis auſter affert, patente ad ſeptentrionem aditu; & contra, quod ſeptentrio aperto ad meridiem exitu, effugiat: hac Tyberis perfluit, hac ventorum principes ſeptentrio cum borea, & auſter cum africo, hic à meridie, ille à ſeptentrione, inter montes, inſtar rapidiſſimarum aquarum per anguſtum canalem irruentium, confertim perflant, atq. Vrbem denſiores facti quàm illorũ natura ſit, fortius quàm pleraq. alia infeſtant. D E

Cæli

A Cæli partes conſiderando prout Aſtrologi cenſent ſub clymate quinto ab æquinoctiali circulo ſumpto dimenſionis initio, ſita eſt: regio alioqui meridiana in conualle (vt diximus) conſtituta, proinde (vt putant) calida: & quoniam à mari Thyrreno non longe abeſt, pauloq. infra terram aquis ſcatet, ferè ſemper humida, non raro nebuloſa, hoc eſt craſſo aere confuſa; id quod ſi quis ſupra montes exiſtens, eam introſpiciat, facile iudicabit: hyeme frequenter luto ſordida: æſtate, puluere quàm plurimo infeſta: cu B ius cauſa (vt arbitror) domorum tecta terræ & herbarum plena, præcipue antiquiora videntur: matutino veſpertinoq. frigori, maxime vero in locis prope Tyberim & meridiano æſtui expoſita. Verùm hyeme propter frigidos magni fluminis vapores, qui tum noctu tum interdiu affatim emergunt, & ab imbecillo Sole non ſuperantur, ſed per aera toto die ſuſtinentur, mox eodem occidente, ferè omnes in terram confertim decidunt. Diei noctiſq. habita ratione, non raro magis veſpere, quàm diluculo refrige-C rat ſimul ac lædit: præſertim ſi nebuloſus aer fuerit, quoniam ita denſior eſt, atq. frigidior; recedente nimirum Sole, medijq. cæli & terræ vaporibus vnà concurrentibus. Contra, æſtate diluculo magis quàm crepuſculo ſua frigiditate afficit; quòd nocturni & frigidi ex flumine ac ex terra vapores, apud auroram, & aliquanto vlterius conſeruentur, qui ſua craſſitie ac denſitate, vt frigus magis retinent, ita magis quoq. frigefaciunt: creſcente autem Sole, quamquam hic validiſſimus eſt; mane tamen quia nocturni D vapores repente non diſſoluuntur, aliquanto poſt eius ortum, adhuc etiam frigus non leue obtinent: Decedente vero, quia tum ij, tum cæteri, quoniam interdiu naſcuntur, & prope terram, & paulo altius ferè penitus abolentur, veſperi frigus debile ac valde remiſſum reddunt; adeo vt iter per Vrbem ac vicina loca Sole appetente, quàm decedente ſuauius ac ſalubrius in æſtate ſit. Quòd vero flatus per hyemem Sole oriente, per æſtatem occidente, ſpirent & frigus accerſant, alia ratio eſt. Quippe in hoc E ſtatu aerem refrigerat, Sole præſente ſubortus flatus: in illo autem abſente frigidiores magni Tyberis ſpiritus. Cæterum cum montes, quibus tum ab oriente, tum ab occidente tegitur, non admodum emineant, altarum domorum ſummitates, quominus & fauonius & ſubſolanus perflent, non prohibent: proinde ij qui editis locis habitant, nec Solis ortum, nec occaſum minus, quàm ciuitas, quæ vel orientem vel occidentem aſpicit, ſentiunt: ita vt

ita vt quo ad habitationes,quæ in altis ſunt,ad omnes cæli partes A
vrbs Roma æqualiter quidē ſe habeat, ſed pro ædiū æxtructione,
quoniam hæ ad ortum, illæ ad occaſum,aliæ ad aquilonem, aliæ
ad auſtrum,priuatim vertuntur: differentiam quandam acquirit.
Hinc burgum appellatum, & vallis hortorum dicunt horthaciorum,
quia meridiem ſpectant, multa tum ab auſtro, tum à lybe
patiuntur; illhic enim propter ianiculum & alios montes atque
vaticanum & caſtelli curriculum. Hic propter quirinalem, propter
hortorum collem, propter Vrbis mœnia, quando auſter aut B
lybs ſpirat, flatū totum in ſe recipiunt, vbi ille ſe ſe inſinuans, ſimulq.
condenſans, inſtar aquæ alicubi firmatæ, craſſior efficitur.
Id quod quia tranſlucet, oculis quidem nō conſpicitur, ſed rationi
manifeſtū eſt: quippe diu flante per Vrbem lybe vel auſtro, plures
ægri in his vicis, quàm in plurimis Romæ locis reperiuntur.

Veriq. ſimile eſt hæc loca incolentes, ſi diutius in his immorentur,
pigriores ac debiliores euadere: capitaq. humida & pituitoſa
habere. Contra vero loca prope Capitolij radices, atq. hinc C
& illhinc paulo vlterius: quoniam ad aquilonem, qui frigiditate
& ſiccitate ſua putredinem, cui maxime obnoxius homo eſt, arcet:
nec propter montem quominus vlterius progrediatur, impeditur,
potiſſimum vergunt: multo ſalubriora & homines qui hic
naſcuntur & viuunt, magis vegetos, magisq. capite firmo eſſe:
& vitæ longioris exiſtere.

De Aere Rom. Cap. II.

D

HActenus de vrbis Romæ ſitu, prout præſens negocium
poſtulat, dixiſſe ſatis eſt: ad aerem accedamus. Quod igitur
hic maxime omnium in homine poſſit, notius eſt,
quàm probari debeat: nam omnia quidem agere homo interdū
deſinit, ſed aerem attrahere & in aere eſſe nunquam ceſſat. Hic
in vrbe Roma, quamquam calidus & humidus in vniuerſum à
pleriſq. omnibus ſtatuitur, in montibus tamen tum ſiccior tum
frigidior eſt; & ſanè ſiccior, propterea quod montes, quia ſtatio- E
nem aquis non concedunt, pauciores humores continent. Frigidior
autem, quoniā ij cùm aperti atq. gibboſi ſint, vapores calidos
non cogi, ſed diſſipari permittunt, Soliſq. radios, qui ſuo reflexu
quanto rectior fuerit, calorem magis mouent, propter eorū gibbum,
obliq. reflecti cogunt. Contra in conualle, multo calidior
atq. humidior eſt, quippe calidior (niſi flatus aut quid aliud impediat)

A pediat) quia conuallis, cauus locus eſt, qui montibus circumdatur, minimeq. perflatur, humidior vero tum propter aquæ ſtationem; tum quia naſcentia ex hac terra, quibus homines aluntur, humidiora ſunt; in montibus quoq. leuior, rarior, tenuior: in conualle, quia quod graue eſt, deorſum fertur: ac Tyberini vapores, propter ſuam (dixerim) corpulentiam, prope terram potiſſimum verſantur, grauior, denſior, craſſior, & æſtate ſpeciatim puluerulentus & prope terram habitantibus, æſtate propter puluerem,
B rem, hyeme propter denſitatem, grauitatem, atque craſſitiem, noxius. In vijs non admodum latis, atq. altas hinc inde domos habentibus, quas vel per hyemem, vel per autumni finem, Sol parum aut nihil attingit, per hæc tempora longe frigidior: Occidente enim Sole, ſi quis per eas tranſeat, multo vehementius frigus, quàm in amplioribus ſtatim ſentit. Sic via Burgum vetus appellata in vico ſuburbano ſe habet, ſic illa qua de Turri Sanguinea, ad argentarios recta itur: ſic quoq. aliqua ſublimium, tum domo-
C rum, tum palatiorum impluuia ſunt. Sed vt loca huiuſmodi, ſua craſſa, denſa, duraq. frigiditate, magnopere obeſſe perſpicimus; ita ſilentio præterire nequaquam debemus. In vico ſuburbano viam mediam, quæ recta ab Hadriani ponte, nunc ſancti Angeli ad Palatium tendit, æſtate Solis radijs hinc inde reflexis ab hora xv. ad xx. calidiſſimam eſſe: atq. homines, qui illam per id tempus frequentant, ſua ſanitate non raro periclitari: ſi namq. lente vt æſtas requirit, ambulent, feruentiſſimo Sole, quia diutius illos ferit,
D exuruntur: ſin celeriter (vt ſub æſtiuo Sole faciendum lib. de Victu priuat. iubet Hippocrates) currant, ab ardentiſſimi aeris inſpiratu ferè ſuffocantur. Ex quibus licet aerem hunc varium eſſe conſtet, priuatim tamen in conualle, quod mane & veſpere frigidior, meridie autem calidior, & autumno ferè ſimilis ſit, varius quoq. eſt: quippe tum mane, potiſſimam æſtate tum veſpere, præſertim hyeme frigidior, his de cauſis, quas antea retulimus, eſſe cognoſcitur. Quamobrem chirurgi, qui diluculo aut crepuſcu-
E lo in hac Vrbe vulnera ſiue vlcera, præcipue vero capitis detegunt, multo magis lædunt, quàm iuuent: frigidũ enim (vt Aph. 5. docet Hippoc.) vlceribus mordax, cerebroq. inimicum: calidior autem in meridie eſt, quoniã in conualle naturaliter calida denſus aer, Solis radijs impendio magis caleſcit, caloremq. retinet, atq. magis quàm rarus eundem in nobis imprimit: proinde mirũ non eſt, ſi per æſtatẽ, & autumni initia, veriſq. fines æſtuoſus crebro ſit.

B Quia

Quia igitur varius eſt & repentinas in contraria mutationes A
quas natura minime tolerat, habet: ſanitati valde opponitur: quip
pe ſanitas non inconſtanti rerum varietate, ſed concordi, ratoq.
earundem ordine, ac firmitate ſeruatur. Atq. omnino perſimilis
meridianis flatibus eſſe videtur: quemadmodum enim illi, ſic iſte
caput replet, grauatque, & ſingulos corporis ventres humectat,
adeo vt niſi Romani cibi (vt infra dicetur) in magna mole parũ
nutrirent, longe minus bibere, minusq. comedere, in vrbe Ro-
ma, quàm in alijs plerisq. locis ſæpe contingeret, atq. conduceret. B
Vt enim auſtro vel nebuloſo vel pluuio, cùm fameſcere, tum ſiti-
re deſinimus: ita ab hoc aere, quando auſtro magna ex parte ſimi
lis eſt, ſimiliter afficimur. Sed quoniam cibi ex aquoſis locis, hic
naſcuntur, vel ſi aliunde aduehantur, ab hoc aere, quando morã
(vt infra quoq. narrabitur) in eo trahunt, ad magis humidũ per-
mutantur, citoq. macerantur, vt fluida, molliq. ſubſtantia con-
ſtant, ita corpus noſtrum, quod illis alitur, æque fluidum reſolu-
tumq. facile reddunt: ita vt niſi vbertim, & bis die ſaltem reficia- C
tur: modo aliud non obſtet, ſubſiſtere vix poſſit. Exemplo panis
quo in dies veſcimur, eſt: hic enim vbi Soli exponitur, & torre-
fit, multo plus nutrit: ſi æqua portione deuoretur: quàm vbi cali-
do, humidoq. loco ſeruatus, molleſcit.

Præter hæc ſcire licet, ab aere Romano ea corpora, quæ aerem
ad ſe prompte trahunt, & a calido humidoq. in procliui permu-
tantur, facile corrumpi, ſimul atq. putrefieri: quia enim aer eſt, &
prōpte trahitur, in intima penetrat, quia denſus craſſusque: nimis D
replet, quia item humidus, naturalem noſtri corporis conſtan-
tiam, firmitatem, ſoliditatem, variat, infirmat, mollit & ſoluit,
quia ſimul calidus eſt, innatum calorem, ab illius modo remo-
uet, atq. corrumpit: id quod quum in humido contingat, putrefa-
cere eſt: hoc videre licet inſpecto tritico, quod æſtate valde ſicca-
tum, calefactumq. in horreis, quæ in conualle ſunt, reponitur, ci-
tius enim recaleſcit, putret, ac fœtet, quàm ſi minus aridum, mi-
nusq. calens reponeretur: quippe illud, quia ſiccum, calidumq. E
multo plus quàm alterum, quod plenius frigidiusq. eſt, attrahit,
ita quoque marmor vbi exuritur, ſe habet; plus enim aquæ ab-
ſorbet, citiusq. corrumpitur. Quocirca homines qui ſic affecti
conualeſcunt, hi non in conualle, ſed in montibus, aut alibi,
quàm in Vrbe continẽdi ſunt. Quòd ſi corpus male tranſpirans,
naturalesq. tum expulſionis, tum diſtributionis vias, vt puta ie-
cur,

A cut, venas, arterias, obſtructas inueniat, vt facilius inttomeat, quàm foras prodit; ita non minus quàm auſter quando retinetur, hominem putredinis affectibus ſubijcit; ſin corpus bene tranſpiret, & diſtributionis expulſionisq. vias rite apertas habeat, quanto promptius foras effluit, tanto minus putredinis accerſit, & omnino quemadmodum auſtro nebuloſo, pluuiove flante, capti piſces, vbi aquam attrahere nequeunt, ſi talem aerem attrahunt, retinentq. breui putreſcunt, & fœtent: ita corpus noſtrum hoc aere, B tum inſpirato, tùm circumfuſo, ſi nõ bene (vt ſuperius diximus) tranſpiret, intus retento perturbatur, corrumpitur, putredini obnoxium præcipuè redditur.

Cum his quoq. illud memoria perpetuo tenendum eſt, quòd hic aer vt frumenta & cætera quæ nos alunt, celeriter macerat: ſic noſtra corpora & flaccida, & vt vulgo dicitur frolla, latine forſan fracida continue reddit: adeo mirum non ſit, ſi neque copioſam ſanguinis miſſionem, neque inſignem purgationem, hic facile C tolerent.

Vtrum propter nouos fontes à Pio IV. inchoatos, à Gregorio XIII. perfectos, noxam aliquã apportet, nonnulli dubitant: nam vt Tyberis vaporibus ſuis loca proxima, per quæ fluit, humidiora reddit: ita & ij fontes, vt ſimiles quid efficiant, arbitrantur. Sed quia ne milleſimam quidem Tyberis partem æquant, tam exigua horum aqua, vt cum illo comparari nequit, ita nihil officiet. Si tamen alicubi ſtagnaret, & quamplurima eſſet, ibi quidem ſuis va-D poribus non minus quàm Tyberis, lædere poſſet. Interim verò ab his nihil timendum videtur, niſi quid aliud accedat: quoniam antiquitus vbi plena fontibus Vrbs erat, nihil mali eorum cauſa fuiſſe paſſa traditur: & apud fontem Triuiæ vbi ſemper ſcaturit aqua, nihil obſeruatum hactenus eſt, quod ſpeciatim obſit. Niſi forte ſubterranei aquæductus, aliquid afferant mali: quippe qui, huc vſq. prohiberi non potuerunt, quominus plurimam aquam foris effundant, terramq. ſibi tum propinquam, tum non parum E diſtantem, ſubtus quaſi ſtagnantes inſigniter humectent. Indicio ſunt cellæ vinariæ, quæ aqua dictorum fontium refertæ, paſſim reperiuntur, cui rei ſi non prouideatur, periculum eſt, per æſtatẽ vbi nihil pluerit (calor enim Solis vix poteſt geminatum id humidum abſumere) ne feruor cum vapore craſſo & denſo excitatus, corporibus infenſam vigiliam, anguſtiam cruditatem, deinde capitis dolores & febres non breues excitet.

De Ventis. Cap. III. A

HActenus de Romano aere: de ventis dicendum. Qui ergo qualeſque Romam potiſſimum exerceant, ex antedictis perſpicuum eſt. Nempe à ſeptentrionibus cum aquilone ſiue borea ſeptentrio: à meridie tum africus, tum auſter.

Singuli quanto ſublimius & in montes ſpirant, tanto leuiores, ac ſynceriores: quanto autem terræ proximius relictis montibus in valles: tanto grauiores & impuriores, eoq; modo, meliores, hoc B peiores ſunt.

Omnino autem ſeptentrionales alijs ventis, (liceat nunc de his omnibus communia quædam prius dicere, vt ea quæ propria vrbi ſunt, facilius intelligamus) ſalubriores eſſe ſolent, meridiani vero morboſiores. Illi enim aerem turbatum nubilumq;, illuſtrem, & pellucidum reddunt, humidum atque obſcuritatem corporibus adimunt, frigiditatemq; inducentes, innatum calorem, niſi admodum imbecillis ſit, ne omnino diſſletur, tuentur. C Hi contra, aerem ex ſplendido tenebricoſum, ex frigido calidum, ex ſicco humidum, ſæpius efficiunt; & vt vina liquoresq; alios vaſis contentos perturbant, ſic in homine tum ſpiritus, tum humores confundunt, & lædunt.

Quin etiam, quantum illi ſua ſiccitate, & frigiditate, iacta in terram ſemina oriri vel tardant, vel prohibent: & hi quantum ſua caliditate, & humido ſuo, eadem naſci feſtinant, nata verò putredini obnoxia reddunt: tantum illi putridos in homine morbos gigni vetant, genitos creſcere non ſinunt: hi contra, eos qui nondum ſunt, excitant: prius exiſtentes, fouent & augent. D

Sed cum illi frigidi & ſicci, ij calidi, & humidi apud nos ſint, quemadmodum contrarij ſibi inuicem ſunt, ita quando flauerint, contrarias in nobis mutationes efficiunt. Eo enim die, quo ſeptentrionales ſpirant, corpora cogunt, firmantq;, mobiliora item expeditioraq;, & coloratiora, & ad audiendum promptiora, reddunt, ventres ſiccant, oculos mordent, & ſi pectus dolor aliquis prius habuerit, exaſperant. Contra, verò, meridiani eadem E ſoluunt, humectant, auditum hebetant, caput grauant, vertigines mouent, tum oculis, tum corporibus, tarditatem, languoremve afferunt, ventres humectant. Atque vbi ſeptentrionalium conſtitutio præualuerit, in morbis tuſſes, fauces, ventres duri, vrinæ difficultates, horrores, coſtarum, pectoriſq; dolores videntur

vbi

A vbi vero meridiani regnauerint, auditus hebetudo, caligo, capitis grauitas, corporis pigritia, adde vlcera ſi qua homini contingant, præcipue autem in ore, aut pudendis hæc longe humidiora & pituitoſiora eſſe, hominesq́; per id tempus, quoniam grauia debiliaq́; capita ſortiuntur, fieri non poſſe vt ad edendum bibendumq́; appoſiti ſint, tum quia crapula magis grauat, tum quia debilia habentes capita, boni potores eſſe non poſſunt; adde etiam quod nebuloſi, quippe qui magis & citius, tum caput tum cor
B pus vniuerſum implent, atque inter ſpirandum anguſtiam inducunt, deteriores ſunt, quàm ſereni: at hi quoniam calidiores ſunt, ſi alicubi retineantur, facilemq́; non habeant exitum, ibi deteriores quàm pluuij ſunt: & quanto quietiores, quia ijdem diutius retinentur, tanto peiores ſunt: quum enim omnes per Solis iter, in meridiem ſpirent, deinde per mare ad nos tranſeant: primo quidem per loca calida, ſiccaq́; ruentes, calidi & ſicci ſunt: vt in Libya videre licet, vbi terræ naſcentia areſaciunt, & homines la-
C tenter exiccant; quia enim neque mare, neque fluuium vnde humidum accipiant, reperiunt; ex animalibus ac plantis humorem exhauriunt, vbi vero pelagus permeant, ſiquidem id tranquillum ſit, neque proxima nobis terræ loca madida fuerint, ſereni ad nos accedunt: ſin perturbatum ſit, aut in noſtris oris, vel propter pluuias, vel propter alias cauſas, madior plurimus fuerit, nunc nebuloſi, nunc pluuij quidem pro vaporum copia, perflant: ſed priſtinũ
D calorem vt pore magis inſitum, ſinguli ſeruant; qui quanto in nebuloſis moleſtior eſt, tanto peiores omnibus nebuloſi ſunt, & quanto remiſſior in pluuijs, tanto hi quàm ſereni æſtiuo tempore minus nocui, quando alicubi tum ij, tum illi firmantur. ideo in vrbe Roma 1566. quum æſtas auſtrina, & ſicca eſſet, in locis vbi auſter retinebatur, multo plures ægri, quàm præcedenti æſtate 1565. quæ auſtrina, & pluuia fuerat, extiterunt: alioqui ſi ſereni exitum ſortiantur, neque moram in loco trahant, meliores
E quàm pluuij, ſunt: quoniam hi quum pluuias relinquant, quodammodo retinentur. Atque hoc pacto anni conſtitutiones, in vniuerſum, ſiccæ (vt Apho. 3. inquit Hipp.) pluuioſis & humidis ſalubriores, minusq́; mortiferæ. Sed priuatim in vrbe Roma quia per canalem irruunt, venas, arterias, thoracem, caputq́; craſſo denſoq́; ſpiritu explent, vbi propter copiam, nam magno impetu perflant, ſimulq́; tum à pulmonibus, tum ab arterijs intro immodice attrahuntur, ſe ſe adeo coaceruant, ſpiſſantq́;, vt in aquam veluti

quum

quum nebuloſo aere marmoreæ columnæ ſudant, cõuertantur: A
Ibique & in toto corpore ſuperabundantes, præterq; naturam
exiſtentes, vt muros quos extrinſecus feriunt, ſitu quodam nunc
pallido, nunc flauo, nunc viridi, nunc nigro inquinant, ita in ſuccorum
more quos temere aliquo vaſe recondimus, interdum turbantur
corrumpuntur putreſcunt, ſubinde putridis febribus homines,
læſo præſertim capite, (id enim maxime impletur) afficiũtur.
Quemadmodum hoc anno 1556. per æſtatem modo africo,
modo auſtro, vtroque nimirum ſereno quotidie flante, diuque B
perſeuerante, in vico ſuburbano, & in hortorum valle, febrientes
longe plures quàm in tota vrbe atque hi capite affecto inueniebantur.

Id quod in hortorũ valle licet à compluribus medicis non africo,
non auſtro ſed aquæ de fonte triuio illuc effuſæ ibique mox
ſtagnanti ac limo quàm plurimo ibidem exiſtenti acceptum referatur:
re tamen vera quoniam in vico ſuburbano, & pleriſque alijs
ab vrbe locis, vbi non limus non aqua ſtagnans eſt, hoc idem C
euenit; probabilius eſt, ab his flatibus quàm ab eo quod hi opinantur,
natum eſſe; & vt in his locis mali ſunt, ſic apud ſanctum
ſpiritum, pauloque, etiam ſupra, & infra, quia per Tyberim ipſum
longo tractu feruntur, peſſimi ſunt.

Verùm ſi necubi in vrbe retineantur libereque per vrbem exeant,
aut multo minus aut ferè nihil obſunt: ſin his flatibus ſubinde
ſimilitet ſeptentrionales contra ſpirauerint, quecquid mali
à meridianis naſci conſueuit, id omne hi repellunt, & prohibent: D
velut æſtate 1577. quum mane ad veſperam meridiani flarent, ſeptentrionales
vero nunc crepuſculo, nunc noctu, licet magna fugacium
fructuum copia eſſet, ægroti pauciſſimi extiterunt.

Cæterum & ſi ſeptentrionales ventorum omnium ſaluberrimi
ſunt, ita vt author de morbo ſacro, quem aliqui Hipp. eſſe putat;
ab his quod ſaniſſimum in cerebro eſt, compingi, quod vero
morboſiſſimum ac humidiſſimum eſt, excernis & extrinſecus
circum alluere tradiderit. In vrbe tamen Roma quia valde denſi, E
veluti rapida flumina perflant: in vnum enim locum coacti, vires
ſuas amplius augent, maximas frigoris mutationes, quas homo
difficillime tolerat, efficiunt, & ſicubi retinentur, ac manent, non
minus quàm meridiani morboſi fiunt: quod enim manet, modo
aquæ immotæ putreſcit, putreſcens vero morbum mouet.

Quin etiam, propter ſitum regionum, & locorum quibus occurrunt

A currunt, diuerſi inter ſe, nempe ex frigidis calidi, & ex ſiccis humidi fiunt; quemadmodum à Populi Porta, ſecundum Tyberim ad Sanctum vſq; Spiritum, & à Ponte Sixto ad vocatam Ripam propter magni fluminis, quod obuium illis fit, humidum: oppoſitas domos madoribus replent, quæ quum in regione calida ſint æquè ferè ſe habent, ac ſi nebuloſo auſtro eſſent expoſitæ: ſic quoq; Fauonij à Sancto Spiritu ad Pontem vſq. Sixtum, domos ad fluminis ripam præſertim pone viam Iuliam afficiunt. Sic Argeſtes
B ſiue Corus qui inter occidentem & ſeptentrionem ſpirat, hortorum vallem, quia Tyberi occurit, madidis vaporibus replet; contra, Cæcias Palatium, in vico ſuburbano; non autem ſeptentrio (vt multi putant) quia hic & ſi prata humida palatio vicina pertrãſit, quoniam hæc ſine ſtagnis ſunt, & ab eodem diu flante, (vt facile videre licet) exiccantur, (non enim æquè ac Tyberis qui nunquam areſit perpetuis madoribus ſcatent) non humidus ſed ſiccus Palatium ferit.

C Non oportet ignorare, ſicuti matutinus aer, propter magnam frigoris mutationē, periculoſus eſt, ita matutinus flatus, quippe qui ab oriente naſcuntur, fere omnes in hac vrbe, maxime vero prope Tyberim noxios eſſe.

Quum enim de ſubterranea parte Sol emergit, ſe ſurſum attollens, ſuo impetu antelucanum aeris humorem exprimit, trudit & pulſat: qui Vrbem Romam attingens, ſimulq; nocturnos in conualle vapores inueniens, craſſior, denſior, atq; frigidior euadit;
D ſed eo deterior (vt diximus) alicubi eſt, quo magis vt puta à Sancto Spiritu ad pontem vſq; Sixtum Tyberi occurrit. Verum quanto minus tum Fauonius tum Subſolanus Euruſvè quàm auſter & aquilo (vt ante narratum eſt) vrbem propter montes attingunt; tanto etiam in his minus illam offendũt. De Ventis hæc dicta ſint.

DE ANNI CONSTITVTIONIBVS

De anno ſalubri *Cap. 4.*

E

CAEterum ex anni conſtitutionibus talem fore ſalubrem veriſimile eſt, ſi autumno ita pluat, vt relicta propter æſtatem ſiccitas temperetur: ſi hiems moderata ſit: hoc eſt neq; valde tepida, neq; frigidior quàm loci ratio poſtulet. illud ne corpora propter temporem nimium laxata ad ver deficiant, hoc ne propter immenſum frigus immodice conſtricta, putredinem ad ver

ver ſimiliter ſubeant & ſerena tanto quàm pluuia optabilior eſt, A quanto magis in vrbe adeo humida ſerenum tempus quàm pluuium homini amicum eſſe conſueuit, deinde ſi vere, & æſtate tēpeſtiuæ pluuiæ, quæ calorem tolerabilem reddant, gignantur. Si enim Sol quum in Europa tum Romæ neq; parum, neq; multum, ſed cæteris paribus modicè ſuper terram moraretur, nec æſtate nimium æſtum, nec hyeme frigus immane vereri oporteret: ſed quoniam in illa plus quindecim horis, in hac minus nouem vrbem Romam attingit: æſtate ob immenſum calorem, hyeme ob B frigus, quia natura magnos exceſſus non tolerat, homines grauiter affligi neceſſe eſt: proinde niſi aliquid quod vtrumq; moderetur, interueniat, ſalubrem annum eſſe non poſſe. Qui enim putāt æſtatem natura calidiſſimam, hyemē frigidiſſimā eſſe debere, ij ex nuda opinione ſine vlla experientia loquuntur: quum in compluribus terræ locis, vbi tum æſtus tum hyems moderate ſe habent, homines & diutius & ſalubrius viuant. Igitur autumno quem æſtatis ſiccitate perſeuerante, plantarum, arborumq; fœtu C exinanitarum foliorumq; amiſſione languentium eſuries auida ſequitur, ſi ſatis pluat: facile poterunt ſata ipſa refici, & anteinducta propter æſtum ſiccitas temperari & frigoris, quod hyeme timetur, aſperitas leniri. Quippe quum tellus pluuijs ſuperuenientibus denſata, calorē intra ſe concipiat: vt fontes æſtate frigidi, (quēadmodum proxime narrabimus) hyeme calidi monſtrant: vapores aut tepidos, aut certe non frigidos ex ſe ſurſum in circumfuſum aerem mittet: & ſummam eius frigiditatem proportione (vt di- D cunt) minoris inæqualitatis non neglecta, imminuet: vt enim terra per æſtatem poſtquam calidior euaſit, licet Sol ipſe declinet, vt puta quum in leone eſt, aut quum à meridie recedit, halitus accenſos exhalans, intenſioris caloris cauſa exiſtit: ita contra hieme, per autumnales pluuias ante ſpiſſata, & intus calefacta, æque ac ſi alterum frigoris agens deficeret, eius vehementiam obtundit, & moderatam hyemem efficit: alioqui ſi autumno nimium pluerit, hyemē fore tepidam: ſi nihil, rigidam: modo flatus aliqui ex acci- E denti quopiam nati non impediant prædici poſſe videtur. Aliquis obijciet quum æſtate intus frigida terra ſit, quomodo calorē accēdit? cur vapores frigidos ſurſum non mittit? cur aerem non refrigerat? contrà hyeme, præcedentibus per autumnum pluuijs quū extrinſecus frigida ſit, cur aeris frigiditatem non auget? huic reſpondendum primo, tantum hyeme non eſſe terræ frigus, (quoniam

A niam extrinſecum eſt & ſuperficie tenus illam afficit) vt circumfuſi aeris frigiditatem valeat augere: quum enim à circumfuſo aere frigus illud oriatur, non magis quàm aer frigidus ſit, illius frigiditatem augebit. Deinde eam rationem patem non eſſe, tam etſi videtur: quippe frigidus vapor quia ſuapte natura grauis eſt & ex ſe deorſum fertur, vbi à calido ſuperior locus obſidetur: tantũ abeſt, vt illhuc aſcendat, vt longe magis illhinc recedat. Ideoq; æſtate frigidi intra terram ſpiritus ſurſum in aerem exteriorẽ, nec B migrant, nec illum refrigerant. Contra vapor calidus quia natura leuis eſt, ſurſumq; tendit, ſiue à calido, ſiue à frigido ſuperior locus obtineatur, illhuc ſemper fertur eidemq; commiſcetur. Nec obſtat quod hyeme terra ob pluuias denſata, his vaporibus iter præcludat: non enim adeo vbiq; ſtringitur, quominus hi quum tenues leuesq; ſint, per anguſtiſſimas eius partes ſubeant, & in altum emergant. Hæc de autumno & hyeme quales eſſe debeant, ſi ſalubris annus futurus eſt.

C Tempeſtiuæ autem tum vere tum æſtate pluuię erunt: vere quidem, ſi Sole arietem egrediẽte & taurum percurrente: æſtate vero ſi cancrum relinquente, & leonem peragrante, paulatim crebroq; contingant. Illæ enim præter id quod plantarum fœtibus alimentum crementumq; ſuggerunt; tum calorem Sole in dies valde creſcente ſubito naſci id, quod natura non patitur, tum ad æſtatis ferè vſq; medium vehementer augeri, prohibent: hæ vero iam feruere incipientem frangunt, atq; ambæ ſimul (quoniam æſtiuæ D ſolæ, vernis non præcedentibus, longe magis (vt infra dicetur) obeſſent) tolerabilem reddunt.

Si quis contradixerit quod pluuiæ vt hyeme frigus obtũdunt, ita æſtate calorem non frangant ſed augeant; is intelligat, has frigefacto cælo teporem, calefacto frigus, non ſimili ſed diſſimili ratione, quoniam contrarij tum ad hoc, tum ad illud vicem ſubeũt, facere. Adde quod æſtate quanto proximior Sol nobis eſt, tanto magis ab auſtralibus locis recedit; contra hyeme, quanto magis E à nobis diſtat, tanto propius ad illos meat: quo fit noſtra æſtate loci auſtrales frigidiores, hyeme calidiores vt ſint. Spirantesq; illhinc flatus vt hoc tempore frigidi aliquid, illo calidi, ſecum ferant; quo etiam circa mirum non eſt, ſi pluuiæ ab auſtro aut libe noſtra æſtate refrigerent, hyeme tepefaciant. Si itaq; autumno tantum pluat quantum ab æſtate inducta ariditas, & in hyemem impendens frigus temperetur: vere autem & æſtate quantum ventu-

A vere autem eos potiſſimum qui natura humidi ſunt, & pueros & mulieres ne in aliquem capitis affectum, aut in febres aut in alui fluorem incidant, periclitari. At ſi nihil pluat, hyemem (modo auſtrini flatus non frequentet) frigidam fore vtroq. tempore hoc eſt autumno & hyeme quoniam in loco aquoſo qualis Roma eſt, ſiccum humido ſalubrius, (niſi hyemis frigiditas ab aquilone naſcatur) homines quidem ſanos eſſe, vere autem quia præcedentem ſiccietatem ſimul & frigiditatem contemperat, ſalubriores.

B Si autumnus auſtralis & pluuius, hyems vero borealis & ſicca, ad hyemis inclinationem aut paulo prius humoris pleno exiſtente corpore, his qui nimium exercentur, quia plus aeris & denſi & frigidi, qui pectus ferit & ſtringit, inſpirant: coſtarum dolores & phrenitidas affecto diaphragmate creatas, atq. has mortales, quia circumfuſus aer frigidus & ſiccus ſputa prohibet, euenire; ad finem vero his qui præexiſtentes autumni humidum per vniuerſum corpus, maxime vero per caput, copioſo per hyemem nutri-
C mento fouent, ſimulq. tenera carne ſunt, quoniam aquilo cutim totam ſed præcipue faciem percutit, cutiſq. meatus omnes cõſtringens, ſuperflua ad illam delata, ſub cute retineri, retenta putreſcere, putrefacta mordicare cogit, eryſipelata in facie aut puſtulas per totum corpus rubras. Ad hæc incipientibus febribus tuſſes, & horrores accidere; deſinentibus vero ſi ſudauerint, quia cutis meatus ante conſtricti aperiuntur, ſalutare eſſe.

Si autumnus aquilonius humidus atq. intra eius initia Tyberis
D totam Vrbem quemadmodum 1557. inundarit hyemſque ſimiliter aquilonia ſit: poſt ſolſtitium ex ægrotis præſertim qui prope ſolum inhabitant, aut præpingues ſunt, multo plures mori quam ſanari: & in febribus exanthemata phrenitim, lethargum, aut aliquem alium capitis affectum apparere: quippe Sol ab ipſo ſolſtitio corpora noſtra contrario motu, ei cui nos ante aſſueuimus, per plures dies à prioris aeris & ſolaris affectionis conſuetudine, inſigniter mutat. humidumq. nimium in aere, à pluuijs in domi-
E bus ab inundatione quotidie auctum, calorem innatum, ſi validus eſt ſuffocat: ſi debilis, cum aquilonio frigore extinguit, ſimul etiam hominum capita, vtpote capaciſſima, replet, repleta propter frigoris aquilonij vndequaq. denſationem conſtringit, tranſpirareq. prohibet.

Si autumno & hyeme ſerenus aquilo regnet, corpora quia propter aquilonem aluo aſtricta ſunt, compreſſos denſatoſq. ſuccos

habentia vrinam difficulter effundere, vbi vere accedente à circumfuſo aere calefiunt, liquatis humoribus pleniora effici, redundantia laborare, & quamplurima morbis quidem ſubijci, ſed qui minime mortiferi ſint; vtpote qui venæ ſectione aut ſubtrahente victu, aut purgantibus medicamentis, ſed leuibus facile tolluntur: quia ventriculus vt hyeme tota plenus eſſe conſueuit, ita vacuationes immodicas ferre non poteſt. A

Si autumno, hyeme, & vere auſter pluuius flauerit, præter ea quæ infra dicetur, vbi hyems ſimul ac ver auſtralis & pluuia fuerit: æſtate pueros primũ, & præcipue circa caput offendi, magiſque periclitari pleniores quàm graciles: quia enim auſtri caput replet, pueri vero capita maxime plena ſortiuntur, accedente auſtrali flatu replentur magis, & vt facilius permutantur, ita magis, & prius læduntur, vt 1569. accidiſſe viſum eſt. B

Sed ſi hyems tepida auſtralis & ſerena fuerit, verq. ſimiliter tepidum ſerenum & auſtrale, hominum vniuerſum corpus, venas arterias, præcipue vero caput, fluida faciliq. ad putreſcendum ſubſtantia valde repleri: proinde æſtate homines quidem imbecillos eſſe, ſed febres putridas quamplurimas, & pleraſq. celeres ac periculoſas, hoc eſt acutas oriri, his vero qui ſiccas nares, aut ſiccum os habent, capitis dolores: qui aluo aſtricta ſunt diſenterias, & maxime his, qui hortorum vallem ac ſuburbanum vicũ habitant, euenire. C

Sin hyems ſimul ac ver tepida auſtralis & pluuia: vere quidem mulieres quibus partus inſtat, propter totius corporis laxitatem leui ex cauſa abortum facere, ſingulos vero homines æſtate tanto magis affectos proxime dictis malis fore, quanto pluuius auſter hyeme & vere quàm ſerenus deterior. & quo minus tempeſtiue (vt diximus) æſtate ~~pluet, eo plures. quo autem magis~~, eo pauciores læſum iri. Si enim æſtate (vt ante declarauimus) non opportune pluat, æſtas autem hoc eſt inſignis calor, qui per id tempus creari conſueuit, accedat: hic ſuum præter morem geminatur, immodice augetur & intolerabilis fit. Terra namque ab imbribus præteritis madida, vapores longe craſſiores ac denſiores in circumfuſum aerem mittit; qui craſſior & ſpiſſior factus, amplius incaleſcere aptus eſt: quippe qui calorem ſeruare, ſuam ob denſitatẽ (ſicuti cãdens ferrum quàm flãma calidius) magis poteſt. Alioqui ſi tempeſtiue pluat, tametſi craſſior denſiorq. adhuc aer eſt, quia tamen nouis ſuperueniẽtibus pluuijs noctes refrigerantur, D E

A æſtus naſci prohibetur, in eius vicem mediocris calor exoritur,
homines melius habere neceſſe eſt. Cæterum ſi non tempeſtiue
ſed importune vt puta circa æſtatis quidem initia, pluat, circa vero
Canis exortũ, vbi pluuię potiſſimum expetuntur, minime pluat,
deinde Sole Virginem attingente; ſcilicet incipiente aut paulo
amplius progreſſo Auguſto menſe, rurſum pluat: ante quidẽ hoc
eſt Sole tum cancrum, tum leonem ferè totum peragrante, per-
paucos ægrotos eſſe. Incipiente autem Auguſto ad Septẽbris de-
B clinationem vſq. putridas febres quàmplurimas, & capite præſer-
tim affecto, quemadmodum anno 1568. contigit, creari.

Si vero quum hyems tum ver frigidum aquilonium & ſerenũ
fuerit, homines quidem exiguo quodam tempore agiliores colo-
ratiores, & ad audiendum perſpicaciores eſſe ſed, paulo poſt his,
tuſſes, faucium morbos, ventres duros, mingendi difficultates,
horrores; lateris, pectoriſq. dolores, podagricos item affectus,
quoniam aeris aſperitas reſolutionẽ prohibet, grauiores; ver autẽ
C ipſum valde ſenibus & pueris præcipue gracilibus noxium, tabi-
dis, & iamdiu conſumptis lethale. His quibus caput plenum, aut
turbatum, aut dolens, ſi fauces ſiccę, palatum ſiccum, nares clau-
ſæ, & lacrymæ calidæ ſint: anginas atq. has plerumq. pernicio-
ſas mouere. Sin pectus anguſtum & gracile, aut ſpiratio denſa
impedita: lateris dolores acutos, & peripneumonias, alioſq. id
genus morbos, & ex his ferè omnes mortales, ſi caput & pulmo
diu ante laborarint, afferre. At mulieres quibus ad ver partus
D futurus eſt: aut paulo prius quam occaſio ſit, abortiri, aut ſi tem-
peſtiue pariant, valetudinarios parere. Quin etiam ſenes aliquos,
præſertim qui debiliore calido ſunt, & vertigine infeſtari conſu-
euerunt; quia frigus aquilonium eos nutriri non permittens, in-
natum eorum calidum extinguit, ſpiritu deficiente apoplecti-
cos fieri, & mortem obire. Aeſtate vero hæc omnia quidem le-
niri: ſed his quibus alui duræ, propter aquilonem adhuc remã-
ſerunt, dyſenterias atq. has valde laborioſas; quibus vero ab eo-
E dem flatu oculi non leuiter ante percuſſi ſunt & imbecilli euaſe-
runt, ophthalmias contingere. febres autem quæcumq. accident,
quoniam aquilo caput, pulmonem & per hunc tum cor, tum ar-
terias potiſſimum ferit, in eiſq. ſuccos impingit, ſimulque æſtu
accedente, quoniam humores ante coacti liquantur, liquati am-
pliorem locum requirunt, ſubinde nobilia membra ab horum ef-
fuſione replente diſtenduntur, atq. ab horumdem incurſu gra-

uius

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

A ipſo æſtu quia eũ ferre nequeũt, plus bibunt plusq. ſeſe humectãt quum enim ille intolerabilis ſit, multum potare, multum frigoris intempeſtiue quærere coguntur, nocte nec quieſcere, nec dormire nec concoquere poſſunt: proinde cruditate multa coaceruata, Sole ardente in magnam putredinem, & in morbos id genus eos incidere neceſſe eſt. neque ſolum tali exiſtente conſtitutione ſed etiam hyems ſiue ſicca ſiue humida ſiue auſtralis ſiue aquilonia fuerit, modo vere valde pluat, quoniam vrbs Roma
B naturaliter humida eſt: ſi deinde æſtate non pluat, hæc eadem quæ proxime narrauimus, aut ſimilia oportet euenire. Sin pluat ita vt calor ille frangatur atque tolerabilis fiat, & noctes non moleſtæ ſint, prædictos affectus aut nullos fere, aut rariores aut miniores fore: ſudoresq. in febribus multos accidere. quo enim modo magis lædent (vt quidam inepte contendunt) ſi eos quum in victu moderatiores, temporis conſtitutio efficit, tum noctes bene dormire concoquereq. permittunt? ſic Hipp. lib. de aere & locis. Si
C hyems quidem ſicca ſit & borealis, ver autẽ pluuioſum & auſtrale neceſſe eſt æſtatem febriculoſam fieri & lippitudines inducere & quæ ſequuntur, ſubinde inquit & ſi quidem circa canis ortum accedat aqua ac tempeſtas, & Eteſiæ ſpirauerint, ſpes eſt ceſſationis & vt autumnus ſalubris fiat, hæc Hipp.

Et omnino ſi hyems ſicca & aquilonia, ver autem pluuioſum & auſtrale: æſtatem modo frigida ſit, frigida inquã hoc eſt quod tolerabilis ſit illius calor, & noctes minime moleſtæ: ſeu ſicca ſeu
D pluuia fuerit, ſaluberrimam fore prædicendum.

Si vero hyems auſtralis pluuioſa & tepida fuerit, ver autẽ aquilonium ſiccum & frigidum: quoniam aquilo celerius multo quàm auſter præſertim in vrbe Roma, in quam per magnum canalem, inſtar aquæ rapidiſſimæ (vt diximus) irruit, afficit, vtpote qui etiam natura ſua primum vehemens deinde mitis contra quã auſter eſſe ſoleat, morbos qui hinc imminent, in æſtatẽ non adeo differri; ſed mulieres quibus vere partus inſtat, ſanguine exiſtente
E propter hyemis humidum aquoſiore, & propter eiuſdem teporẽ ad putreſcendum promptiore, vteri iecur (ita enim cotylidones quoniam his muliet caret, voco) humidius & putredini propinquius ſortiri, deinde propter aquilonis aſperitatem ſeſe conſtringendo, atq. contrahendo; comprimere vterum, mox iecur illud ab eodem ſeiungere, & abortum fere ex quauis leui cauſa facere, alioqui ſi rite pariant, aut valetudinarios aut qui cito pereant, propter

pter eaſdem cauſas quia male nutriuntur, parere. valde vero ſeni- A
bus quia propter imbecillitatem parum exercentur, parumque excernere ſuperflua poſſunt, humidum hyeme receptum in toto quidem eorum corpore & præcipue in capite adhuc redundans, a verno aquilone compingi ſimul ac ad interna cõprimi: id quod ſi ſenſim fiat deſtillationes, ſin repente ſubitam mortem aut paralyſim afferre. Quin etiam aſtricta propter aquilonem aluo, quicquid humidi in inteſtinorum ſpiris relictum eſt, in eiſdem quia cum putridis excrementis continue verſantur, facile putreſcere, B
putrefactum eadem vellicare, mordere, inflammare, & veluti ſcabies atque vlcera in illis excitare, dyſenteriamque mouere, oculis quoque hyeme ab auſtro nimium eneruatis, vere autem ab aquilone percuſſis ac mordicatis, ophthalmias ſiccas oriri. Ophthalmias quidem quoniam ex capitis locis magis oculi quàm aures aut nares propter aquilonem afficiuntur, ſiccas vero quia humidum aquilo in his corporibus, quæ illi occurrunt, foris conſumit, & ſiccat: id quod cutis per hyemem eo flante criſpata ſæpius C
oſtendit.

Sed quoniam æſtate ſi pluat ægroti interdum plures, interdum pauciores ſunt, illud adhuc repetere vtile eſt, quod vere exiſtente ſicco vel auſter, vel aquilo flauerit: ſi æſtate quouis tempore pluat, ex dictis malis plura; ſi non pluat, pauciora contingere: vere autem pluuio ſe ſe offerente, contra: hoc eſt ſi æſtate tempeſtiue (vt proxime admonuimus) pluat, pauciora, ſi non pluat, multo plura (niſi forſan mane ſubſolanus, a meridie auſter, veſpere fauo- D
nius, noctu aquilo quotidie flauerint) hic namq. ventorum circulus, vt aerem æſtate ſerenum, purum, & in calore moderatum; ita in corporibus ſalubritatem efficere conſueuit. Quum itaque ver ſiccum fuerit, ſi æſtate pluat, circumfuſus aer qui Romæ craſſus denſuſq. eſt, longe craſſior denſiorq. redditur, a quo deinde calor quanto tenacius (vt ante diximus) retinetur, tanto vehementior atq. moleſtior efficitur: ſi non pluat, vt propter ſiccitatem cum caliditate fere tenuior exiſtens, aliquanto minus tenax caloris eſt, ita E
calorem ſpiratu toleratuq. facilem comparare ſortitur: ſed ſi ver pluuium ſit, tempeſtiuæ autem per æſtatem pluuiæ incidant, hæ exiſtente terra & præcedentibus & ſubſequentibus pluuijs valde madida, calorem augeri non permittunt: id quod poſt refrigerati dies, noctesque his apparentibus oſtendunt: ſi vero non pluat (niſi forte circulus ille ventorum contingat) ex terra propter ver humida,

A humida,craſſus,denſus calidusque vapor prodit,& æſtus intolerabilis naſcitur.

Si hyems & ver pluuium,& illa aquilonia,id auſtrale,vere quia caput hibernum humidum non modo recepit,ſed propter aquilonij frigoris impulſionem ſimul atque denſationem, impletum magis eſt,accedente pluuia,propter auſtrũ, calida,& ſole creſcente,qui ſicuti in montibus niues ita in capite infarctum humidum liquat,capitis grauitates,dolores,parotidas,raucedines,magna ta-
C men ex parte ſalutares, vt pote quæ purgante quidem pharmaco, ſed præcipue venæ ſectione facile ſubmoueantur,oriri.

Si hyems & ver auſtro vel africo perfletur & pluat: æſtate, ſi ſeptentrio non ſpiret, eos periclitari qui vicum ſuburbanum & hortorũ vallem incolunt: ſin ſpiret, vrbem totam ſalubrẽ fore. Sed ſi à ſeptentrione cæcias quotidie flauerit, eos qui vicũ ſuburbanum habitant, magis lædi. Sin Iapyx, eos qui hortorum vallem: quippe vterque per tractus Tyberinos ſpirans,Tyberis va-
C pores affert, & propter ſitum ex ſicco humidus, ac ſi in auſtrum verteretur,euadit:ſubinde in prædicta loca ſeſe inſinuans, retinetur,putreſcit,& morboſus fit.

Si hyems & ver auſtralis & pluuia,æſtas vero auſtralis & ſicca, homines qui capite pleno,& aluo aſtricta eſſe, ac multum expuere ſolent,æſtate primum in dyſenterias,mox in ophthalmias,deinde in articulorum dolores,denique in febres incidere.

Si hyems aquilonia & ſerena, ver auſtrale,tepidum, & ſere-
D num: pleuritidas quæ vere fiunt, quoniam tepidum tempus eſt, minime lethales eſſe,hominesq; perpaucos ægrotare: æſtate vero, ſi mane ſubſolanus, meridie auſter, veſpere fauonius,noctu aquilo & ita deinceps quotidie flauerint, licet quãplurimi fructus reperiantur(quemadmodum Anno 1567.) ſalutare tamen tempus,ac pauciſſimos ægrotos fore.

Et omnino ſit hyems aquilonia vel auſtralis,& vtrouis modo ſerena ſimul aut pluuia:ſit item & ver: æſtate tamen ſi mane ſubſo-
E lanus, meridie auſter, veſpere fauonius, noctu aquilo,atque hoc ſeruato circuitu continue flauerint, per id tempus morbos ferè nullos creari,& ſi qui naſcuntur,& breues,& ſalutares eſſe. Sed non paucis,quoniam flatus omnes capita replent,dolores capitis accidere, & aliquibus adhuc etiam non ſolitis, ſanguinis è naribus reiectiones.

Si ver pluuium & aquilonium, æſtas autem auſtralis & ſerena

D eos

eos qui multo potu vtuntur,& qui multum exercentur, quia plus aeris attrahunt ſimulque illorum capita, lienesque à pluuijs vernis, & ab auſtro æſtiuo nimium replentur, circa æſtatis finem magna ex parte ægrotare,in febres capite potiſſimum affecto incidere: deinde his qui periclitantur,in capite malum firmari, & aut paralyſim aut lethargum,aut aliquid huiuſmodi contingere, His vero qui euadunt, ad lienem abſceſſus fieri,atque hæc præcipue in hortorum valle, ac vico ſuburbano, vbi ſe flatus auſtrini (vt ante diximus) inſinuant,potiſſimum euenire:autumno autem ſi pluat,& aquilo ſpiret,omnia ceſſare. A B

Si ver pluuium,æſtaſq. pluuia: æſtate quidem paucos ægrotos eſſe. Sed valde ſenes,aut de apoplexia(vt Anno 1568.) aut de aliquo huiuſmodi morbo periclitari:Sol enim debile illorum caput calefaciēs,illhuc ab infernis trahit;pluuia vero illud ante per ver impletum atque ob imbecillitatem non expurgatum, magis replet: ob quæ ſenile cerebrum multo grauius factum, ſenem aut humi procumbere,aut attonitum fieri,ſepenumero cogit. C

Si æſtas auſtralis & ſerena, autumnus auſtralis & pluuius, ita tamen vt quum pluuiæ deſinunt, ſtatim aquilo ſpiret,atque id non modo ſemel, ſed ſæpius ac ſæpius,quia hominum capita ab æſtiuo auſtro grauantur, & a nimio frigidoq. potu, quem æſtus magni,pulmonesque ab his exiccati, frequentare nos cogunt,vnà cū pulmonibus implentur;mox pluuia per autumnum magis aucta, magis quoque replet; ſubinde aquilo pulmones,à frigido multoque potu ante male affectos vehementius infeſtat. Appetente hyeme deſtillationes à capite in thoracem cum tuſſi, paſſim & generatim,(quemadmodū anno 1562. viſum eſt.)Sed viris potius quàm mulieribus,quia ſe circunfuſo aeri magis exponunt,accidere;non nullis vero pleuritidas, aliquibus ſanguinis cum tuſſi reiectiones & tum has tum illas,propter hibernum frigus,magna ex parte lethales:alijs tonſillas;non paucis,hoc eſt his qui aluo aſtricta ſunt, & multum æſtate potauerint, alui fluores ab acribus ſuccis:ſed raro dyſenterias;quippe inteſtina æſtatis potu & autumni humido repleta, ſimulque ab aquilone magis conſtricta, geminato ac retento in illis humore,ſubinde putrefacto,& acri reddito, ad expellendum irritantur, contentumque intra ſe ſuccum, quia propter putredinem mordicat,continere non poſſunt, & alui fluorem inducunt;non vlcerantur vero ac dyſenteriam effugiūt, quia frigus hibernum aliter quàm calor æſtiuus eò putreſcere humorem in D E

eis

A eis non ſinit, vt illa vlceribus afficiat.

Non dicam ſi æſtas ſicca fiat & aquilonia: autumnus autem pluuioſus & auſtralis, quòd capitis dolores vt inquit Hippocrates ad hyemem gignentur: & tuſſes & raucedines & grauedines; quibuſdam etiam & tabes; ſi vero aquilonius & aquarũ exors autumnus fuerit, quòd his qui humidas naturas habent, & mulieribus cõmodus erit; reliquis vero fient lippitudines ſiccæ, & febres acutæ, & grauedines, quibuſdã etiam atræbiles, hæc enim pleraq;

B quum Romæ tum alijs vrbibus communia ſunt.

Sed ſcire licet, quocunq. tempore conſtitutionẽ breuẽ, vbi in ſibi contrariam atq. breuem conuertitur: ſi morbos afferat, hos & curatu faciles & minime mortales eſſe; longam vero vbi in oppoſitam longam permutatur, contra; hoc eſt & curatu difficiles, & aut diuturnos aut breui pernicioſos, & omnino quæcunq. ad cõtrarium mutatio, vehemens quidem vehementes morbos: leuis autem aut leues aut nullos efficit.

C Æſtate ſi conſtitutio antea aquilonia & ſicca, ſubinde intempeſtiue auſtralis & humida ſit: neceſſe eſt, tanto plures per id tẽpus ægrotos creari, quanto humidũ præcedente ſiccitate magis attrahitur, & calori coniunctũ, putredini magis obnoxiũ redditur. Cõtra vero, tanto pauciores, quanto ſiccum cum calore quàm humidum ſalubrius; & illam morbos quos auſter: hanc quos aquilo, ab æſtatis tamen calore moderatus mouet, excitare.

At hyeme conſtitutionem antea auſtralem mox aquiloniam,

D quàm contra, peiorem eſſe; quippe hæc humidum præexiſtens & copioſum præſertim in capite vna cum hiberno frigore compingit, foriſq. meatus & excrementorum vias denſando, humidum ipſum intus aut retineri & putreſcere, aut in aliquam partem deſtillando repere cogit: & mulieribus quæ per id tempus parituræ ſunt, ex cauſis quas ante retulimus, abortum mouet; & quia diu perſeuerat frigus, ſæpe mortem poſt abortum accerſit. Altera, abundãs humidum cũ hyemis frigore iungens, quoniam vias in

E corpore ab aquilone ante exiccatas & adſtrictas, humectat, lubricaſq. facit, & ſimul cum hyemali frigore humidũ iungit, illud intus corrũpi, aut alio quàm per cõmunes vias fluere, prohibet: his ferè ſolis qui apoplexiæ aut deſtillationibus ſubijciuntur, officiẽs.

Neq. ignorandum eſt vt ſicca & non aquoſa totius anni conſtitutio, ſalubrior quàm humida & pluuia eſt: ita pluuiã ſed aquiloniam quàm auſtrinam minus morboſam eſſe.

Si igitur in hyeme valde frigida, cõſtitutio aquilonia primum ſerena ſubinde pluuia fuerit, in pluuia ſenibus vrinæ difficultates, quæ illis tum propter ætatem tum propter aquilonem accidere conſueuerunt, aucta ob præſens aeris humidum materia, multo grauiores, & ex his aliquas mortales fore, quia enim vrinæ loca laxa rugoſaq. ſortiuntur, lotium in his aquilone ſimul compingõte, plus iuſto retinetur, retentum putreſcit, putrefactum mordicat, mordicans non facile redditur. A

Si tota ferè æſtate ſerenus Auſter flauerit, circa finẽ eius in hortorum valle, in ſuburbano vico, & in alijs locis, qui auſtrum reſpiciunt, ſed eidem liberum exitum non præbent: quia ibi retentus, vt ante monuimus, putreſcit: quamplurimos ægros ex putridis febribus præcipue affecto capite in his locis, & non in alijs creari. B

Sin aquilo & ante diluculum & quotidie mane, propè ad meridiem vſque flauerit, ſalubritatem expectandam eſſe. quia enim ceu per canalem (vt diximus) in hac vrbe ſpirat, validior quàm alibi exiſtens: quicquid alio tempore ſpiritus alij flantes reliquerint, mali omne id pellit & diſſipat. C

Frigidam omnem conſtitutionem præſertim æſtate, pluuia vel ſicca ſit, longe ſalubriorem eſſe, quàm calidam, & pauciores ægros afferre. valdeque calidam Aeſtatem Romæ inſalubrem eſſe, multo aliter quàm pleriq. ante hac opinati fuerint: propter humidum enim tum loci tum fluuij Tyberis, Sol non poteſt vapores hinc emergentes, quia craſſi denſi & crebri perpetuo naſcuntur, ſic abſumere: quominus alij atq. alij ſimiles paſſim renaſcantur: qui ſua craſſitie ac denſitate calorem intenſius retinentes, æſtum ferè intolerabilem afferunt: quem homines propter anguſtiam ferre nequeuntes, male dormiunt, peiuſque concoquunt, & propter calorẽ inuicem auctũ, bibere plus iuſto coacti, cruditates quam plurimas congerunt, & morbis aut ex thorace aut ex capite potiſſimũ afficiuntur. Si quidem circumfuſus aer (vt experientia mõſtrat.) In has partes & primum & maxime fertur, ac trahitur. D

Vbi calida conſtitutio multos ægros gignit, pluuia, ſed frigida ſuperueniente: rariores deinde ſequi. E

Imbres aquilonios, æſtate tanto ſecuriores quam auſtrales eſſe, quanto magis frigidæ noctes ab illis redduntur, & æſtus magni prohibentur: quinimo menſe auguſto, ſi frequẽtent, morbos, qui deinde naſcuntur, & ſalubres eſſe & citius curari.

Verum tamen per id tempus aut etiam paulo prius, hoc eſt

A menſe vel Iulio vel auguſto ſi forte flatu mitius ſpirante, caligo crebra diebus aliquot ſuboriatur:quia calor æſtuoſus ob aeris tū craſſiciem tum denſitatem deinde ſuccedit: plurimos quidem atq. hos affecto potiſſimum capite febricitare: ſed paucos quia breuem à caligine et ab æſtu occaſionem habuerunt,perire. Sin ſecus accidat, quod videlicet pleriq. intereant: Id his qui purgationibus importunis fatigati vel in veternum quendam vel in aliquod ſimile capitis malum, non naturæ ſed medentium culpa B incidunt,euenire.

Deniq. æſtatem ſi auſtralis & ſicca ſit, morboſam, At hyemem ſi æque ſimiliter fuerit,non inſalubrem eſſe.

Contra vero æſtatem aquiloniam & ſiccam; quia æſtus tolerabiles redduntur, ſalubrem. At hyemem,ſi talis quoq; fuerit, quia frigoris inclementia hominem torquet,inſalubrem fore.

Vt vero Imbres aquilonij auguſto menſe,quia calorem temperant,ſi morbos excitent, ſalutares ſunt: ita menſe ſeptembri, ſi C perſeuerent,quia frigus,quod naturæ inimicum eſt,augent,lethales eſſe,vt Anno 1567.

Sed obliuioni tradendum non eſt, vbi ſerena dies fuerit, nocte autem accedente,vel nebuloſa vel pluuia,ſed frigida fiat: dentium dolores & deſtillationes his,qui ſub Dio per id tempus verſantur,oriri.

Vbi Cœlum toto die ſine Sole nubilum eſt,veſpere his,qui per vrbem vagantur,grauedinem,aut coryzam, aut raucidinē inſtare.

D At hyeme ſi dies, flante aquilone, ſerenus fuerit:veſpertinū frigus non inſalubre.ſin pluuius aut nubilus, ſiue aquilone ſiue auſtro ſpirante,peſſimum eſſe:nam aer multo craſſior factus, infenſius refrigerat.

Aeſtatem vero ſerenam,abſq. tamen vllo flatu,plura mala portendere,aer enim ferè immotus in domibus,in vijs, in plateis exiſtens,facile corrumpitur,prompte putreſcit,putrefactus & febres accendit & alios morbos parit.

E Quouis autē anni tempore,ſi conſtitutio aquilonia & ſicca fuerit,deinde auſtrina humida ſuccedat, mox aquilonia eadem reuertatur;in hac poſtrema,caput quidē ſemper,pectus autē ſæpe repleri; poſtea deſtillationes,raucedines, eryſipelata, pectoris dolores & id genus alia ſequi.Aer enim auſtrinus quam plurimus propter ſiccitatē præcedētem,in has partes iuſto plus & citius attrahitur,atq. ob vehementē impulſum in aquā denſatur: vbi aquilone

ſuper-

ſuperueniẽte ſimul intro repreſſus retinetur atq. putreſcit: ſubinde (niſi aliquid propter copiam ante diſtillet) putrefactus alienam qualitatem nempe ſalſam, acremve aut amaram adipiſcitur: quæ poſtea naturam irritans, mala prædicta efficit. Nec aquilo (vt quidam exiſtimant) cõprimendo ſemper mouet: quo nam enim modo ex oculis lacrymas, ex naribus mucum, tenuem, album, vrentem, excitabit? an caput nempe oſſa ipſa extrinſecus comprimendo? ſed ita dicere fatuum eſt: an lacrymas? quia (vt inquit Hipp.) oculos mordicat? mordicatio enim illas mouet: ex naribus vero mucum vrentem, quia prius velut in luto ſuccum intro repreſſit, vbi deinde hic putrefactus calorem acrẽ acquirit, & vrit: quippe aquilo ſuccos interdũ intro reprimit, deinde ij retenti, dum putreſcunt calore aſcito liquantur; ſicut etiam luto & glaciei contingit. A B

Nec ignoramus longe pluribus modis conſtitutiones iſtas variari poſſe. Verum quę ratione ſine experientia inueniuntur, eas his relinquo, qui verbis & opinionibus inſiſtunt. Quia enim medicus his quæ fiunt inhærere debet, nunc has retulimus, quæ nobis occurrunt; ſi aliàs aliæ ſe ſe offerant, eaſdem quoq. ſcribere non grauabimur. C

Hæc de anni conſtitutionibus: ad aquas & ad poculenta nũc deſcendam, ab aquis tamquam natura prioribus exordiamur.

LIBER

A LIBER SECVNDVS

De aquis. Cap. I.

AQVÆ quibus citra Tyberinã vrbs vtitur,cõplu-
res nimirũ ſunt;ſed aliquæ dulces, aliquæ medi
catæ: ex dulcibus, hæc putealis, illa pluuia,alia
fontana vt Triuiæ fons, fonticulus ad fluminis
ripã in Hetruria;ferè lapidis iactu,a ſancto ſpiri
B tu diſtãs; aqua vero crabra quæ nũc Marana di
citur,& Sancti Georgij fons, apud antiquos nonnullos Iuturnæ
fons,nunc prope non potantur.Ex medicatis fontanæ omnes; vt
aqua Sancti Ioannis in valle marmoread, uobus iuxtã viam Ap-
piã ab vrbe milliaribus: aqua prope Sanctũ Paulũ,aqua anticoli,
hæc enim medicata quoque eſſe creditur, & non à paucis pota-
tur.Puteales quæ proxime Tyberim ſunt,Tyberinæ quidẽ aquæ
naturam referunt,ſed eo differunt,quod inconſtantes ſunt, quip-
C pe quæ turbato flumine, turbatiores, quieto autem clariores ap-
parent. Verum inter puteales quæ in vrbe & eas quæ in Vico ſub-
urbano reperiuntur,magna prorſus differentia eſt:hę enim quum
ex terra ſolida quę vel cretam vel maſculum ſabulum, quod val-
de tenax eſt,imitatur,naſcantur;limpidæ,expurgatę, tenues, ſalu-
bresq. ſunt:illæ quoniam per terram cæmentitiam, ſolutam &
quaſi carioſam & ſæpe ſordidam, ac prope cloacas latrinaſve fe-
runtur,impuræ,craſſę, noxiæque, niſi factitio aquæ ductu aliquo
D vehantur, aut forte de terra firma & ſyncera proficiſcantur; illæ
quidem potui idoneæ & elixandis tum carnibus tum legumini-
bus & pani conficiendo aptę:hæ vero contra;his omnibus ineptę:
præterea quia propter ſuam craſſitiem in ventre nimis morantur,
lienem implent: quia item carnes vbi eis elixas,non albas vt Ty-
berina ſed rubras & veluti ſordidas efficiũt, vt has male foris præ-
parant, ita intus in corpore coctionem, quæ tamquam elixatio
eſt,impediunt:& corpora,quia non parum excrementi habent,tũ
E obſtructionibus tum arenulis calculiſq. obnoxia reddunt.Satis de
putealibus aquis:pluuiæ ſequuntur.

De aqua pluuia. Cap. II.

AQua pluuia quæ nubibus diu ſuper aera latis æſtate me-
dia,neq. tectorum per quæ colatur, neq. terræ,per quam
fluit,inquinamẽtis infecta (vt lib. de Aere & aquis inquit
Hippo-

Hippocrares)tenuiſſima quidem ſplendidiſſima,leuiſſima,ſuauiſ- A
ſima,& omniũ(vt opinor)optima eſt.Sed vbi ciſternis collecta ſet uatur,præter id quod à locis vnde fluit,& in quibus manet,inquinari cõſueuit;à regionũ vbi pluit vaporibus,ſi illę vitiati aeris ſint: quia plerumq. nubibus,quæ in aquam vertuntur ſe commiſcent, vitiatur,corrumpitur,atq. putreſcit.Sic Hippocrates lib.de aere,& aquis odorem malum (inquit) pluuialis aquæ habet,eo quod ex plurimis cõgregata eſt,& permixta,vt citiſſime putreſcat:ita enim ait,ſic in locis vbi paluſtres aquæ ſunt;vt apud corythum, & quæ- B
dam alia propè noſtrum mare oppida,qui ciſternarum aquas potanr,nihil ferè minus quàm qui alias,niſi forte vernaculus aer huius rei cauſa à quibuſdam ſubijciatur, valetudinarij ſunt:adeo ne tales quoq. in vrbe Roma ciſternarum aquæ ſinr; quales in locis prædictis habentur,ſuſpicione non caret:Nã & hic ſimiliter apud Hoſtiam,inſigne ſtagnũ eſt,& mare circum circa; craſſus aer, denſus, calidus, humidus,à quibus vapores vnà cum his, qui Romæ tum à cloacis & puteis, tum à ſolo ipſo emergunt, ſurſum lati, & C
alijs nubibus aliunde migrantibus permixti,mox in pluuiam verſi,pluuialem non minus inſalubrem, quàm eam de qua loquebatur Hippocrates,efficiunt: ita vt veriſimile ſit, aquam hanc facilè putreſcere,ſaporem qui terram(vt dicunr)aut cancros oleat,quod putredinis indicium eſt,habere:& raucedinem, ac vocis grauitatem, nonnumquam & dentium dolorem bibentibus afferre.

Quod ſi verum eſt aquam pluuiá(vt Galenus ſeptimo κατὰ τόπους & pleriq. alij arbitrantur) aſtringere,ciſternarum aqua eo deterior in vrbe Roma erit,quò magis(vt infra docebimus) homines D
huius loci propter alimentorum,quibus eos vberius veſci oportet,imbecillitatem,aluo molli egent, aſtricta læduntur. Sed hæc omnia experientia cognoſcere expedit, nũc ſatis ſit,ita admonuiſſe,vt deinceps diligentius animaduerti incipiat. Quibus cum ſciti etiam volo aquas pluuias quæ ex vaporibus ampliſſimorum locorum optimi & æqualis ac ſalubris aeris colliguntur, neq. his per quæ fluunt aut quibus ſeruari ſolenr,inficiuntur, probas, atq. E
incolumes eſſe:quia enim non ex diſſimilibus,vt illæ,ſed ex ſimilibus conflantur, non facile putreſcunt: Quia item integræ ferèq. puræ ſunt; quamquam ab aliquibus ob longam in amplis vaſis moram,quam trahunr,grauiores eſſe cenſentur, non magis tamen quàm vina dolijs incluſa, ſubinde pota, bibentes homines huiuſmodi grauitate,ſi forte eam retineant,lędunt.

De

A

De Fonte Triniæ & de Aqua Salonia. Cap. III.

HÆc de ciſternarum aquis:ad fontanas properemus. Fons triuiæ olim aqua virgo, tactu magis quàm hauſtu celebrabatur. Nunc tamen nec tactu nec hauſtu pollet, ſiue enim tangas ſiue bibas, leuiter admodum refrigerare ſentitur. Graue quin etiam in ea vitium cernitur, quippe quæ in ſuis
B ductibus ſordes, nempe ſaxa alba non exiguæ magnitudinis (Tartara vocant) relinquit: In quibus vt duros lapides parit, ita intro in corpus aſſumpta, in uijs per quas meat, calculos generat. Id quod illos qui ad euitandos ex renibus,& veſſica tophos, hanc aquam bibendam ſuadent,non parum redarguit.Neq. quod nūc ex aquis aduentitijs pręſertim ex vocata Leonis bucca,quam malam eſſe fatentur omnes, congregetur, ſe ipſos excuſent: nam & ante hac, vt & nunc videre licet, huiuſmodi ſaxa, in quibuſdam
C aquæ ductuū locis valde vetera, & perquāmagna gignebat; ita vt iure tum cruda tum calculorum effectrix cenſeri poſſit.

De Aqua Salonia.

HÆc olim de aqua triuij huic libro adieceramus. Nunc vero quum huic aquæ acceſſerit altera(vt dicunt)Salonia (quę multo maiore & incomparabili copia veluti fluuius, vniuerſum huius canalem implet, ad Triuij locum tribus peram-
D plis hoſtijs erumpit ac totam ferè vrbem fontibus & fonticulis ornat) ſi quid hucuſq. de hac eadem compertum inuenerimus, ſubſcribere non erit inutile.Huic igitur vt in vrbē duceretur,Pius IIII. maiorem ductum ad virginis vſq. fontē incohauit: Pius V. abſoluit: Gregorius XIII. per vrbem fiſtulis diuidi & in loca tum publica tum priuata,per fontes ſcaturire curauit,ſimul atq. omnia perfecit; Naſcitur aqua Salonia(vt referunt) inter orientem æſtiuū & cæciam,in agro nunc Salonio,antiquitus(vt quidam volunt)Lu
E cullano,qui ab vrbe milliaribus octo diſtare putatur.Duobus magnis capitibus primum hic erumpit:Exit è lapide nigro duriſſimo valde graui,difficulter inciditur, in loco vnde manat aqua: ſed inde amotus,licet ſolidus adhuc ſit,non adeo tamen laborioſe cædi tur:ſubinde ſiccus,Tum valde aridus,tum non minus ferè grauis ſentitur;ſi atteratur,eius pars aliqua cum maxima difficultate atteritur, aliqua minus difficulter: videturq. conſtare tum ex lapillis

quibuſdam paruulis marmoreis & forte vitreis, pellucidis,albis. Tũ ex lapide aliquo ſilicineo & reliquo tophaceo, nullius ſaporis odoriſve.Hyeme calida eſt,æſtate frigida ſed in ortu Solis non admodum:in occaſu maxime. Id quod profundæ ſcaturiginis indicium eſt,vt pote quæ calidis terræ vaporibus, noctu matutinum verſus, quod æſtate frigidius tempus eſt, ob aeris circunfuſi frigus, exhalare prohibitis, appetente Sole, ferè tepeſcit. Interdiu vero propter Solem ex imo in altum extrinſecus attractis, terra vndiq. ſuos meatus patefactos habente, mox aqua,ab omni alieno calore liberata,ſuam naturam,quæ frigidiſſima eſt, ſeruante,multo magis refrigeratur.Quemadmodum enim æſtate media in magno æſtu cellæ vinariæ valde frigidæ ſunt,deinde ſi vehemẽter pluat & circunfuſus aer frigeſcat,confeſtim tepeſcunt: poſtea vero redeunte calore, ad priſtinum frigus reuertuntur: ita huic aquę contingere in hoc caſu putandum eſt. Sed hæc omittamus. Aliàs vtrũ Ariſtoteles an Hippocrates de hoc tempore ac refrigeratione, rectius ſentiat, explicàbimus.ad propoſitũ redeamus. Eſt item lucidiſſima ſine vllo ſapore ſine vllo odore, ponderis leuitate aquas noſtrates probatiſſimas æquare creditur:ſtillata (vt dicũt) ex vtroq. fonte puluerem quidem ſalſum, ſed ex altero magis ex altero minus, relinquit.Carnem in illa dum elixa fit,non perinde ac Tyberina,reddit albam:ſiquidem ſua craſſitie ſuccum rubrum impingit intro:quamobrem caro intus quoque rubra reperitur, quod Tyberinæ numquam euenire conſueuit. Id quod ſuſpicionẽ facit ne intus aſſumpta,æque humectet atq. Tyberina.Vt enim carnem totam vbi coquitur,vndequaque non penetrat,ita neque in ſubſtantiam noſtram niſi difficulter ſubibit:neq. facile mingetur,quum craſſa & frigida cenſeatur.Verum non oportet ignorare aquam Virginem, ſiquidem hæc Salonia eſt (vt proxime diximus)potu non admodum probatam fuiſſe.Vnde illud Plinij quãtum Virgo tactu tãtum præſtat Martia hauſtu:& Martialis lib.6.de Hetruſcæ Thermis eam crudã appellat, inquiẽs, Ritus ſi placeant tibi Laconũ, contentus potes arido vapore, cruda Virgine Martiaq. mergi;niſi quis interpretetur crudam id eſt non coctam non calefactam ſed frigidam. Quum Galenus epid. 6. ſecti. 4. com. 10. aquam crudam nullam præter quandam è Tyburtinis montibus fluentem à Romanis fontibus in vrbem inuehi tradat. Quia ſalſam quampiam qualitatem(vt ex dictis patet)in ſe habet, nocere gracilibus & ſobrie viuentibus, quia eos magis attenuat: pro-

deſſe

A deſſe obeſis, plenum ſtomachum habentibus, & pituitoſis: quoniam hos inquam obeſos pingueſcere prohibet; vt enim linthea magis dealbat & purificat quàm Tyberina, ita corpora obeſorum ſordibus magis expurgat & liberat. Æſtate minus vtilis quàm hyeme; quippe quę propter inſitum ſibi ſalem, hyeme creſcentem pituitam diminuit, ęſta te bilem ſecus quàm Tyberina non augeri non impedit, nec ęque prompte atque illa ſitim ſedat.

B *De Fonticulo in Tyberis ripa apud Sanctum Spiritum. Cap. IIII.*

Fonticulus in Tyberis ripa, quæ Ethruriā finit, lapidis iactu longe à Sancto Spiritu, pontem Sixtū verſus emergēs, nuper quidē potari cœpit, optimæ aquæ cōditiones omnes præ ſe fert, minus tamen leuis (vt quidam experti ſunt) quā Tyberina diu expurgata: ex alto terreoq. colle, ad æſtiuum Solis exortum fluit, C quamobrem (vt Hippocrates lib. de Aere & Aquis aſſerit) optima quoq. cēſeri debet. Nam optimæ ſunt (inquit) quæ ex ſublimibus, ac terreis collibus fluunt; hæ enim dulces ſunt, & albæ & vinum modicum ferre poſſunt, & hyeme calidæ fiunt, æſtate verò frigidę: tales enim fuerint ex profundiſſimis fontibus. Maxime vero laudare eas oportet, quarum fluxiones ad Solis exortus erumpunt, & præſertim ad æſtiuos. Hęc Hippocrates. ſed quia proprietates quędam aquarum ſunt, ſine quarum experientia, nihil certa ratione D dici poteſt, continuus vſus, quippe qui verus eſt iudex, qualis nā hęc aqua ſit, exacte docebit.

De Aqua Tyberina. Cap. V.

Cæterum & ſi de aqua Tyberina in opere quod illi ſpeciatim addiximus, diffuſe locuti ſumus, hic tamen locus nos admonet, vt de eadem pauca quędam, huic victui nimirum neceſſaria ſub hoc aquarum compendio percurramus: ne E aliquis à propoſito interea dum hęc legit, illuc diuerti cogatur. Scire itaq. licet, aquas omnes quæ in vrbe Roma potantur, Tyberinā aquam, modo probè ſit expurgata, id quod ſex ante menſes raro euenit, longe admodum antecellere. Neq. aliquem ab eius vſu deterreat, id quod quidam dicunt, illam claram & incorruptam, propter aluminoſas ſulphureaſque aquas, quæ tum à Tyburtinis oris, tum aliunde in Tyberim defluunt, exiſtere: atq. aluminis ac

ſulphuris aliquid in ſe retinere, & medicamento ſam difficilemq. A
coctu eſſe. Quin etiam quantumcumq. limpidam, vbi igni exponitur ſegmenta quædam deponere, proinde numquam exacte purgari, ſed ſemper impuram eſſe, atq. huius, & illius, hoc eſt aluminis & ſulphuris cauſa, calculos tum in renibus tum in veſſica perpetuo gignere. Hi namque id quod in nulla vel optima aqua prorſus inuenitur, (nulla enim (quum omnis, qua paſſim vtimur, permixta ſit) omnino ſimplex purauè eſt) in hac aqua ſpeciatim requirunt: quippe quæcumq. aqua ſit, in hac, vt Sol in aere minuta B
corpuſcula (atomos vocant) oſtendit, ita ignis huiuſmodi ſegmenta plus minuſve mouet. Sed in aqua Tyberina; quia id ipſum ſæpius tentant, ferè ſemper fieri vident: in alijs autem vt numquam experiuntur, ita non animaduertunt. Non ergo ſequitur, ſegmenta ſecū inuehit, igitur calculos importabit: ſic enim potabilis omnis aqua lapillos magis minuſve in nobis efficeret, quocirca propter ſegmenta quæ in aqua Tyberina quando etiam clariſſima eſt, adhuc cernuntur, nō magis ab illa quàm à quauis alia vel optima abhorrere debemus. C

Sulphur verò, & alumen in ea vereri, æquè contingit atque id quod non habet in illa perquirere, primum quia non propter ſulphur & alumen ſed propter ſabulum maſculum, quo interfluendum coloratur (vt proprio libro diſputauimus) incorrupta ſimul atque clara redditur: deinde quia aqua non perinde ac vinum eſt, quod ſuo ſapore, odoreq. facile poteſt ſibi commixtæ rei qualitatem adumbrare, ſed quò magis eſt, ſuapte natura, ſaporis expers, eò D
promptius, ſi quod tale in ſe retinet, ſenſui offerat, oportet: quamobrem aqua Tyberina, aut ſulphur ſemper oleret, alumenve ſaperet, aut certe vtrumque, vel expurgando, vel caleſcendo, vel diſtillando, quod neque hoc, neque illo modo ſentitur, præſeferret.

Dicunt id ab aquis, quę tum ſulphuratæ, tum aluminoſæ in Tyberim defluunt, ſuaderi poſſe. Verum conſiderata magni fluminis copia, ſubinde valde exigua illarum portione, ſimulque earundē antequam in Tyberim repant, cum alijs aquis mixtura, conſiderata item poſtquam irrepſerunt continua earum attritione, attenuatione, expurgatione, quę ab argillo ſo ſabulo, (vt 2. & 3. de Aqua Tyberina libro docuimus) fit: ſatis conſtat quod primum ab aliarum aquarū multitudine, ſulphuris, & aluminis qualitas omnis ſuperatur, deinde quod à ſabulo maſculo Tyberim totū perpetuo verſante ſicut ab argilla pannus laneus, maculis, & aqua praua ſuis vitijs, E

ita

A ita ſulphur alumenq. ſi quod in his aquis relinquitur, expurgatur, ſoluitur, abolerur. Cuius rei non leue teſtimonium eſt, quod deinceps Tyberis aqua probe purgata, nihil tale (vt diximus) vllo modo præſeferre videtur.

Contendunt adhuc quod aqua, ſulphuris, aluminiſq. particeps ſit: id ſic probant, quia vrbis Romę incolas (vt exiſtimant) calculorum morbus communiter exercet, ab aliquo communi vt putà vel ab aere vel ab aqua Tyberina (hæc enim in vrbe cõmunis eſt)

B hic morbus gignatur, oportet? Non ab aere: igitur ab aqua. Si ergo facultatem generandi lapidis habet, ſulphuris vero & aluminis ſuſpitione non caret, ſulphur vtiq. & alumen in ſe continebit, vitioſaq. erit. Sed ſi omnibus, aut pluribus, aut ſolis, qui hanc aquam potarent, talis morbus accideret, non ab re quidem eſſet, ſic arbitrari: Sed quum ij qui triuiæ fontem & qui nullam aquam, ſed vinum dumtaxat in hac vrbe bibunt, hoc morbo nec minus nec rarius, immo ſæpius afficiantur; nihil prorſus eſt, quod obijcitur.

C Adde quod Paulus III. è Farneſiorum familia Pont. Max. hanc omnibus aquis anteponebat, hanc ſolam adeo excolebat, vt eam & lauretum, & Bononiam, & Niciam, ſecum duxerit: qui longam atque incolumem ſenectutem aſſecutus, numquam calculis (vt audio) laborauit. hoc vno exemplo contenti eſſe poſſumus, quoniã ille, homo erat, ſumma rerum experientia, ſummaque prudentia & ad tuendos, conſeruandosque homines natus.

Alij vrgent quoniam hæc turbida primum eſt, mox ex multis

D fluuijs coaceruatur, talis autem aqua (vt lib. de Aere & Aquis Hippocrates) non poteſt calculum non efficere; in nobis igitur calculos generabit. His reſpondendum primo quod propter cõtinuam maſculi ſabuli mixturam, dictæ aquæ putreſcere prohibentur, cruditatiſq. vitium effugiunt. Deinde quod ſi turbidum, aut turbidi qualitatem ſecum perpetuo veheret: verum vtique eſſet, quod dicitur: Quemadmodum enim aquæ multæ dum per Siphones ducuntur, non ſolum in fundo, ſed inter aquæ ductuum latera ad

E ſummum vſq. cruſtas lapidoſas vt pote quæ ſe ipſas ab huiuſmodi recrementis numquam abdicent, relinquunt: ita in ventriculũ abſorptæ vbi per venas ad renes, & veſſicam deferuntur, ſimilibus inquinamentis adhuc affectæ, dicta loca ſimiliter inficiunt. Verũ aqua Tyberina, quum his vbi vaſe aliquo ſeruatur, ſponte ſua ſe exuat, neq. vaſis latera, neque ambitum ad vſq. ſummum inquinet; ſed in vaſis fundum ſorditiem omnem reijciat: veriſimile eſt

ſi in

ſi in ventriculum aſſumatur, vt tamquam in vaſe, in ventriculi fun- A
dum, recrementum extra ſe demittat, deinde ab hoc iam libera, & apprime mūda, per venas ad renes veſicamq. migret. quo enim modo ſordem ſecum ducet, ſi ſtatim vbi firmatur, illam deponit? hinc carnium elixarū iuſcula, in patinarum dumtaxat fundis ſpurcitiem relinquentia, quia ſecum illas per corpus non vehunt, calculos non efficiunt. hinc vocatus chylus ex deuoratis carnibus cū pane, & aqua, quia in ventriculi fundum retrimenta omnia relinquit, per corpus delatus, calculos ſua natura nullos acceſſit; alio- B
qui omnes, qui hoc victus genere vterentur, calculoſi eſſent.

Illud neſcio dicam an ſileam, nempe nōnullos qui arenulas meiere conſueuerunt: Interea dum hac aqua, propter arenularū metum, abſtinent, & aqua alia vinum diluunt, minus arenularum cū vrinis effundere, vbi vero alterius aquæ defectu, ad hanc reuertūtur, arenularum multo plus mingere. Quum enim id à nemine hactenus animaduerſum ſit, & omnem aquæ Tyberinæ bonitatē in dubium reuocet, tuenti huius aquæ partes iure tacere licet. Cō- C
tra vero quia ſi decernatur verū ſit, an ſecus, & quomodo, & quādo, & quamobrem contingat, magnam affert vtilitatem; non ſine inuidię aut ignorātię nota, prætermitti poteſt. Id igitur aut ab aqua, aut ab eius vtendi modo, aut ab homine, qui ea vtitur, prouenit. ſi ab aqua: vel omnibus, vel plurimis quod tamē ante improbatum fuit, hoc idem accideret, Si à modo: quia eam cum his quæ arenulas gignendi facultatem habent, miſcent, euenit: vt pote ab hac aqua ſibi nimium timentes, multo plus vini quàm aliàs conſue- D
uerint, potāt. Vinum vero (vt infra clarius innoteſcet) arenulas accerſere ſolet. ſin ab homine: id vſu veniet, quando hic in renibus ampliores quàm natura ferat, ſinus habet, vbi vrina diutius quàm par eſt, detenta perturbatur putreſcit, & in ſabulum vertitur: quāto autem plus aquę permutatu facilis, qualis eſt Tyberina, bibitur, tanto promptius in his locis, quum putredo, tum ſabulū creatur, deinde cum vrina foras effunditur; ita non hæc aqua, ſed vinum illi permixtum, aut vitiata renum, in homine bibente, ſtructura, E
calculos accerſet. atque hoc pacto reſponſum ſit quæſtioni qua inquirebatur, quare nonnulli qui arenulas meiere ſolent, ſi vinum cum alijs aquis miſceant, pauciores; ſi cum Tyberina multo plures interdum mingere videtur. Sed de arenularum & calculorum affectu infra diligentius.

Verùm ne noſtra de aqua Tyberina nimis prolixa reddatur oratio,

A tio, ponamus aquã hanc ſi recte purgata ſit (quod ſex ante mẽſes vſu venire non ſolet) ſplendidam eſſe, & tenuem, & ſuauem, & leuem, & permutatu facilem; etſi enim figlinis vaſis detenta, minime corrũpitur, tũ propter ea quæ ſecũdo lib. de Aqua Tyberina diſputauimus, tum propter tenuiſſimam, & leuiſſimam ſabuli portionem, qua ſuperficietenus, inſtar olei ſuper herbarum ſuccis extenſi, ſe à circumfuſi aeris iniurijs defendit: alijs tamen permixtam leui negocio ſuperari, modicumq. vinum ferre, & vt ſabulo
B ſponte defæcatur, ita ſabulum in renes, natura ſua non ingerere, prompteq. per corpus diſtribui, & aluum nõ adſtringere, id quod in hac vrbe (vt poſtea docebitur) potiſſimum curare debemus. Deinde aquarum dulcium omnium quæ Romæ potantur, maxime ſalutarem eſſe.

De Aquis medicatis. Cap. VI.

Expedito de aquis dulcibus ſermone, ad medicatas tran-
C ſeundum. Harum aliquæ calidæ, aliquæ frigidæ ſunt: calentes odorem ſaporemve, aut aliquam aliam qualitatem præſeferunt. Quæ enim perpetuo calent, ſed neque ſaporem, neq. odorem habent, plerumq. dulces potuique idoneæ ſunt.

Caloris huius cauſam aliqui ſulphur eſſe opinantur, aliqui tum hoc tum alumen, tum bitumen, aliqui ſolum bitumen, alij ſolum alumen, alij viuam calcem, ſuper quam fluentes aquæ caleſcunt, alij hanc ſimul & cinerem, nonnulli calidos flatus imis terræ vi-
D ſceribus clauſos, qui velut nebuloſi, in cœli medio, vapores, in aquam vertuntur, hi Solis radios, telluris intima penetrantes, illi perpetuũ intra terram ignem. Omnes vero ita ſeſe mutuo impugnant, vt vanum omnino ſit, in his refellendis quippiam immorari. Sed qui ignem eſſe volunt, nam aliqui hanc ſentẽtiam adhuc acriter tuentur: præter alia, eo redarguuntur quod ſine igne dulces aquæ hiberno tempore calent: ſe defendunt quoniam hæ nõ feruent, ſe vero non caloris ſed feruoris cauſam in igne conſtitue-
E re. Verùm quid prohibet quo minus calor ille augeatur & feruorem faciat? quemadmodum in fimo, qui nonnumquam ſponte ſua ignitur, videmus: nonne vinum nouum dolio exceptum, nullo igne ſubiecto adeo feruet, vt admirabili impetu ferè totum è vaſe prorumpat? Quid quod in vinaceis derelictum ita bullit, vt per id tempus homo tactum eius fermè non toleret? Num bilis atra (vt medici tradunt) abſque huiuſmodi igne acerrima ſimul

eſt &

eſt & feruet? Non ne etiam multa ſine igne putreſcentia, valde ca- A
lida fiunt, ſuccusq. calidus ex his interdum prodit? Quum igitur non præexiſtente igne complura ferueant: nihil cogit quo feruorem in aquis inuentum, igni tribuamus: præſertim quum vbi terram ille calefacit, hanc omnino rarefaciat, rarefacta vero meatus & plures, & ampliores quemadmodum æſtate propter Solis calorem, in ſe ipſa ſortiatur, oportet. Ita ergo hians, quomodo aquã ne in ignis loca deſcendat, & illum extinguat, quippe ab his tamquam ſubuaſe eſſe fingitur, continebit? Hæc obiter in illos qui ca- B
lidarum aquarum feruorem, igni tribuunt.

An igitur prædicti caloris in aqua inuenti communis quidem cauſa, terræ intra quam aqua continetur, obſtructio eſt? propria vero, peculiaris in aqua, tum ex eius mixtura, tum ex terra vbi locatur, magis minuſve aucta obſtructione mutatio? vt pote quæ ſi modica fuerit, calorem tantum inducit, ſi multa, ſaporem odoremve, ſe plurima, manifeſtum cum his eiſdem fœtorem. Opinandum eſt enim quemadmodum pluuiæ, flumina, lacus, maria. Terræ foris C
adiacent, ſic innumeras aquarũ ſtillationes, magnas & ferè inęxtimabiles voragines intus in illa exiſtere: vt defoſſa terra, facile videre & tot, tantiſque fluuijs intra illam currentibus ſubinde foras, nunc ſubter, nunc ſuper maria, fluentibus iudicare licet. Obſtructa igitur terra, quoniam incluſæ aquę non ſpirant, ſi putredo non accedat, calidæ tantum ſentiuntur. Ideo Hippocrates lib. de pueri natura, propterea fontes (inquit) & marinæ aquæ, hyeme calidiores ſunt, & auctiores quàm æſtate, quia ſpiritus dum exhalat, retro D
abit ad aquam, quum terra denſior exiſtat, & per ſe ſpiritum non tranſmittat. Nam & fimus, denſior accumulatus, intus calidior eſt quàm qui rarus exiſtit; pelliceęq. veſtes colligatæ ac fortiter compactæ, à ſe ipſis tamquam ab igne (vt quidam aliquando vidiſſe teſtantur) comburuntur. Sanè huiuſmodi aquæ magna ex parte dulces ſunt, atque hyeme, ſæpius calidæ, æſtate autem, quoniam terra, Sole vehementius penetrante, & ab ipſa humidum ad ſe ſe attrahente, rara & leuis eſt, frigidæ ſunt. vbi tamen de ſubterraneis E
locis, qui nihil aut parum tum æſtate tum hyeme tranſpirant, emanant; nihil prohibet quo minus toto anno calidæ ſentiatur. Hinc Vitruuius lib. 8. cap. 3. ſunt nonnulli fontes (inquit) calidi, ex quibus profluit aqua, ſapore optimo, quæ in potione ita eſt ſuauis, vt nec fontanalis ab camenis, nec martia ſaliens deſideretur, Et Ariſtoteles. 24. prob. aquas Magneſias, & Artanas, feruidas potui idoneas

eſſe

A eſſe tradit. Cęterum ſi obſtructio nimis augeatur, dictæ aquæ non modo calent, ſed corrumpuntur atque putreſcũt: & pro loci mixturæq. ſuæ ratione, magis minuſve feruidæ, odoratæ, ſapidæ, fœtidæque redduntur. Sicut enim aquas vel optimas in vuarum torcularibus, aut in agrorum quorundam foueis derelictas, primum turbari, atque caleſcere, ſubinde putreſieri, & poſt putrefactionē clareſcere; atque nunc amarum, nunc ſalſum, nunc acidum ſaporem, prout loci & circunfuſi aeris ratio poſtulat, pręſe ferre cerni-
B mus: ita veriſimile eſt intra terræ viſcera, obſtructione penitus obſidente, inexiſtentes aquas corrumpi ſimul ac putreſcere, poſt putrefactionem claras reddi, atque ſpiratione ferè omni ſublata, ſimul feruere, & ſapores, & odores, qualis eſt terræ natura, in qua manēt, obtinere: ſi enim aluminoſa, aluminis: ſi bituminoſa, bituminis: ſi nitroſa, nitri: ſi ferrea, ferri: & huiuſmodi. Pleraſq. vero ſulphur olere, quoniam pleræq. magnam putrefactionem, quæ ſine quodam nidoroſo putore, qualis odor ſulphuris eſt, ferè numquã
C eſſe conſueuit, ſequuntur, vt in aquis quas pro potu ſeruamus, ſi forte putreſcant, quotidie experimur.

Acidas quoque magna ex parte eſſe: quoniam quæcunq. plus humidi quàm ſicci, quemadmodum aqua ipſa, quæ non ſimplex ſed mixtum quoddam eſt, habent: ſi putreſcant, non in acre non in amarum niſi magis ſiccentur, ſed in acidum: (vt vini, lactis, & mellis exemplo primo lib. de morbo gallico docuimus) vertuntur. Quanto autem magis ab acido recedunt, & vel ad
D acre, aut amarum aut aliquid huiuſmodi tendunt, tanto vehementiorem earum putrefactionem fuiſſe, ſuaq. facultate tanto magis ſiccare, quanto maiorem putredinem, quippe quę in fine ſiccare ſolet, acquiſiuerunt. Ideoque vaſis exceptas, niſi fortè omnem putredinem exuant, & ad potabilis aquæ naturam accedãt, multo citius quàm dulces aquæ minui: vt pote quæ à ſua putredine conſumantur: & (vt ita dicam) rodantur. epotas verò nuncupatum chylum, quoniam ipſe dum ab hac putredine minuuntur,
E craſſeſcunt: multo magis reddere craſſiorem: ac ſerũ quod à chylo deciditur, ad renes delatum, ibi ob ſuam craſſitiem diutius inhærere, & ſi ſorditiem aliquam vt plerumq. habere ſolent, ſecum vehant, in illis hanc eandem relinquere: & calculis gignendis occaſionem præbere. Quocirca Hippocrates lib. de aere & locis, vbi de his aquis loquitur, Durę & ęſtuoſę sũt, inquit, & difficulter min gũtur, & ad alui egeſtionem contrariæ; ſic Auicenna 2. lib. cap. de

F aqua

aqua, omnes aquę minerales faciunt vrinæ difficultatem:quomodo autem nunc ad arcendos calculos in vſu ſint, forte infra dicetur.Interim nemini admirationi ſit, quod à putrefactione quę cor pora confundit, & turbat, proficiſcentes, complures valde claræ ſplendidæq. ſint.Nam vinum vbi putreſcit primo turbidum quidem euadit,poſt vero in acetum,conuerſum,limpidum exiſtit. A

Nec obſtat ſi quis exiſtimet has aquas ante putrefactas nō fuiſſe,quoniam ſine vlla corruptione, longiſſimo tempore durant:ac ſi ea quæ putrent, rurſum corrumpi, atque putreſcere neceſſario debeant.Nam & acetum à vini putredine oritur: perpetuo tamen ſuapte natura incorruptum manet, & aliæ aquæ vel dulces, vaſis aliquibus incluſæ,poſt quàm ſemel putruerunt lympidæ quidem fiunt,ſed iterum(niſi quid extrinſecus accidat) non corrũpuntur. B

Obijciet alter:dictas aquas abſq; putrefactione aceſcere,quum multa quæ nullam putredinem ſequuntur, acida gigni videátur: quemadmodum ceraſorum & malorum genera quædam. Huic reſpondetur,iſthæc quidem non ſine putrefactione fieri:ſed aliud intelligi,quum dicitur,gigni:aliud quando profertur, putreſcere: In illo namque ad perfectius,in hoc,ad imperfectius iri.quę enim acida gignuntur,non corrumpuntur quidem ſed perficiuntur. vt puta malum quod naturaliter acidum eſt: quod vero putreſcens aceſcit,id neceſſario permutatur atque corrumpitur: veluti malũ quod ſuapte natura dulce eſt,ſi aceſcat corrumpitur ſimul, ac putret.A qua igitur quum ſuapte natura ſaporis expers ſit; ſi aceſcat non gignitur ſed permutatur corrumpitur atque putreſcit. alioqui ſi dum aqua ipſa gigneretur acida euaderet,profecto inſtar pomi,quod ſuapte natura acidum eſt,non à putrefactione ſed à proprijs principijs acida eſſet;nunc autem (vt oſtendimus) contrariũ exiſtit.Qui vero mirantur, ſi aquæ medicatæ à putrefactione tum calidę tum ſapore quopiam affectę fœtidæve fiunt,quo pacto poſſint adeo abunde fluere:quum id quod putreſcit non fluere, non moueri, ſed quieſcere debeat. Hi contemplentur feruentes in lebete aquas,dum extra lebetis labra prorumpunt: aquæ namque omnes calore accito, ampliorem locum requirunt: quamobrem in tumorem eleuatæ ſi plurimæ fuerint, riuos ſatis magnos, ſin exiguæ,paruulos ex ſe mittunt. Niſi forte poſtquam putruerint, itinere aliquo humi ſponte ſubter facto profluant.plurima tamen earum parte quæ putredinem ſuccedentem foueat derelicta. Sed timeo ne pennas videar nido maiores extendere; caloris ergo in C D E

aquis

A aquis cauſam, in his videlicet quæ dulces ſunt, obſtructionem, in alijs vero quæ ſaporem odoremque præſeferunt, tum obſtructionem, tum putrefactionem eſſe concludamus; proprerea tamen illa non neglecta ſententia, quæ ex terra primum caleſcente, mox putrefacta, tales aquas percolari tradit. ferè enim in idem incidit; ſed ad propoſitum reuertamur.

De Aqua in valle Marmorea. Cap. VII.

B AQua in valle marmorea duobus milliaribus iuxta viam Appiam ab vrbe diſtat; lucida odoris expers, neque calẽs, neque admodum frigida, non acida ſed acidula: prope hanc duæ aliæ ſunt breui interuallo currentes ęque ferè acidulæ, ſed non minus præſtantes, Quin etiam apud Turrim maranciam non procul admodum ab his, alia remiſſioris quidem acoris, ſed guſtu longe gratior inuenitur, eoque ſalubrior ac tutior, quo magis ab acore quem putredo (vt diximus) mouet, recedit, & omnino
C latium ferè totum, fonticulis acidis aut acidulis paſſim ſcatet: hoſque paſtores magna cum vtilitate (vt prædicant) bibunt. Cæterum hanc probabile eſt, ſicut alias omnes medicatas, quoniam putrefactionem obſtructa terra natam ſequitur, ab ortu primo calentem quidem eſſe, poſt vero per terræ loca ſpirantia tranſeuntem, calorem ipſum (quemadmodum aqua dulcis per hyemem, denſata terra, caleſcit, per ęſtatem vero rarefacta, frigeſcit) amittere, & quũ eius frigus debile ſit, & quaſi ad tęporem accedens, mirum non
D eſſe, licet putrefacta omnia grauiora fiant, ſi leuis aliquibus videatur. Tepor enim intus latẽs rarã eãdem ita reddit, vt in magna mole, minus quàm alia dulcis, ſed frigidior pondetet: ſiquidem calida omnis ad ſe ipſam vbi friget, comparata, ſemper ſit leuior, vtq. cũ calore odor facile percipitur, ita relicto calore, ſuſcepto frigore, odorem eius omnem diliteſcere, deinde quo minus acida eſt, eo minus putredinis ſortiri, remiſſiuſque ſiccare.

Mirabilia huic quidã tribuunt, nihil tamen adhuc vere cõper-
E tum eſt: volunt lapidem ab illa peculiariter conſumi: argumenro quoniam acidula eſt, ab acidis vero lapides rodi, & aboleri: aceto enim quod nimirum acidum eſt, oui putamen molliri & abſumi: plumbum in ceruſſam, æs in æruginem liquari; animalium quorundam paruorum cochleis ſimilium, ſed multo minorum porcellettas vocant, albos quidem, ſed pręduros cortices, citri ſucco, qui acidus eſt, facile ſolui; ſed ij anticipãt ratione dicere priuſquã

ita fieri videant; ſi enim lapis ab acore liquaretur, quanto hic A
efficacior eſſet, tanto citius ab eodem diſſiparetur. ſed experientia contrarium oſtendit: quippe cum animalium prædictorum teſtæ, tum aceto tum citri ſucco ſoluantur, licet acetum multo ſit acidius, à citri tamen ſucco velocius, ab aceto longe tardius ſoluuntur. Adde quòd in compluribus acidis aquis, tantũ abeſt vt lapides diſſipentur, vt lapideæ cruſtæ indies naſcantur, & creſcant. an igitur vt ab aqua dulci, non qua dulcis eſt, ferrum in rubiginem mutatur, & lutum iam ſiccum & durum, perinde ac B
tophus ab eadem diſſoluitur, ita ab acido ſucco, non qua eſt acidus, plumbum in ceruſſam, æs in æruginem vertitur, oui durus cortex mollitur, & animalium illorum teſtæ liquantur? Proinde ab acidis aquis calculos peculiariter arceri, nec experientiæ, nec medicæ rationis, ſed nudæ vanæq. opinionis eſſe videtur: præſertim quum natura feruentes ſint: vt autem Empedocles Ariſtotele referente problematum Secti. 24. dicebat τάς τε πέτρας καὶ τοὺς λίθους καὶ τὰ θερμὰ τῶν ὑδάτων γίνεσθαι lapides, & ſaxa feruentium aquarum C
opera conficit, adeo vt non diſſoluat.

Inſtabit aliquis, Medici omnes paſſim, acidas aquas ad calculos amouendos ægrotantibus præbent, ſimul ac proſunt: plerisq. enim qui has vere, vel autumno, pro vt nunc moris eſt, potatunt: quum ante, quoque anno non ſemel, ſed ſæpius infeſtarentur, aliqui biennium, aliqui triennium quieſcunt, aliqui numquam in poſterum afficiuntur. Huic reſpondetur, primũ difficile eſſe quid à quo veniat, intelligere: ſæpeq. pro cauſa id, quod non eſt, à mul- D
tis accipi. deinde ſicut ille ponit complures qui huiuſmodi aquas biberint, magnopere profeciſſe, ita contra multos videre licet qui ſimiliter potatunt, non modo nihil conualuiſſe, ſed valde admodum læſos fuiſſe. Quinimmo dictas aquas non peculiariter ſua facultate, ſed magno impetu quũ immodice potantur, quẽadmodum procelloſæ aquæ ſuper terram irruentes, ſaxa intra cloacas exiſtentia in fluuios trudunt, calculos extra corpus eijcere, poſtea vero ægros interdum ſaniores degere: non aliqua dictarum E
aquarum virtute, ſed quia deinceps vel moderatius viuunt, vel quia his nimia copia bibitis, meatus per quos calculi prodire ſolent, ampliores redduntur, & patentiore facta illis via, in poſterum non retinentur, ſed promptè foras eliduntur. Ita non hęc aqua, ſed ea quæ illi ſorte quadam ſicut alijs aquis ſuperueniunt, arcendis calculis conducit.

Dicet

A Dicet alter, poſtquam ita eſt vt prædictæ aquæ ad nimium vſq. potæ calculos expellant, cur aquæ dulces perinde ac acidæ (ſua namque copia in renes ſimiliter irruentes idem præſtarent) non propinantur? Huic dicendum internas partes, vt bene nutriantur continenti quadam facultate indigere, proinde à moderate ſiccãtibus roborari, à laxantibus lædi. Licet igitur aquæ quum dulces tum acidæ, ſua nimietate internas partes mouendo & agitando debilitent; hæ tamen propter ſiccitatem qua pollent, continendi
B vim, illæ propter humidum quo ſuperant, laxitatem in eis relinquunt; quamobrem quum hæ roborent, illæ diſſoluant: mirum non ſit, vbi ita immodice potantur, ſi acidæ magis quàm dulces eligantur. Verùm ſilentio præteriri non decet, quum illa, comparatione ad magis acidas moderate ſiccet, quod his qui ventriculo humido ſunt, modo cum vino modo ſine vino inter cibos pota, non inutilis ſit: ſic enim redundãs humidum contemperatur. Tales ſunt qui non ſine quadam leui nauſea, ſaliuam ſæpe expuunt,
C qui lubricam habent aluum, ventroſi ſimul & pleni: alioqui quãdo nauſea recedere, ſputum reſiccari & aluus aſtringi incipit, Tũnc vocatus chylus, nimium (vt ante diximus) huius aquæ mixtura craſſeſcens, calculos excitet: ab illa abſtinere expedit. His vero qui graciles ſunt & vẽtriculo imbecilli, & aluo aſtricta nihilq. expuũt, noxius eſt tũ huius, tũ aliarum huiuſmodi aquarum vſus. Omnes enim quũ à putredine naſcãtur, duræ ſunt, difficulterq. ſuperãtur: & poſtquam ſuperatæ fuerunt, præter id quod craſſos denſoſque
D ſuccos quibus miſcentur efficiunt, aluos aſtringunt & ſiccant.

Hæc quidem ferè omnia communia ſunt aquis tum acidis tũ acidulis, in gratiam tamen aquæ apud vallem marmoream ſancti Ioannis nuncupatæ, dicta ſint.

De Aqua Acida apud Sanctum Paulum & de Aqua Anticuli. Cap. VIII.

E DE aqua vltra Sanctum Paulum in agro cui nomen Valeranum. Illud dicẽdum reſtat, quod ipſa ſimiliter clara frigidaque fluit, ſed non nihil olet; neque acidula ſed acida eſt, proinde facultates quæ acoris cauſa prædictæ tribuuntur, in hac multo efficaciores exiſtere & vt plenioribus atque humidioribus quàm illa magis prodeſt, ita ſiccioribus magis obeſſe.

Aqua verò Anticuli, limpida quoque & non admodum frigida eſt,

da eſt,odoris & ſaporis expers, aliquibus quum calefacta eſt, aci- A
dulum quiddam quaſi adumbratum præſeferre videtur: Leuem
perinde atque Tyberinam eſſe dicunt,canalem quidem marmo-
reũ per quem exit intra quinquenniũ quadrienniũ conſumere,
traditur, ſed terrã (vt dicũt) ſub rubrã ſolidam, per quã longo tra-
ctu meat nihil omnino atterere,ab anticulanis inter cibos, dulcis
inſtar aquę paſſim bibitur,hi vero(vt audio)magna ex parte graci-
les ſunt:vbi Sol in Leone eſt,potiſſimum laudatur,tum mane me-
dicatarum aquarum more copioſe potari ſolet: nuper ad calculos B
ſubmouẽdos in vſum venit, occaſionem forſan canales marmo-
rei corroſi & anticulani, quoniam à calculis liberi eſſe creduntur,
dederunt. Cæterum ſi acidulum quiddam habet; & medicatam
eſſe;& quoniam illud valde leue eſt, à leui,& exigua putredine na-
ſci neceſſe eſt: proinde inter aquas medicatas omnibus ſecurior
erit,Atque eam cum cibis quemadmodum aquam dulcem tuto
potari,vel eo argumento patet quod anticulani eam paſſim bibũt
& ſani degunt. C

Graciles vero licet ab alijs cauſis vt puta ab attenuante victu
quo ſemper vtuntur, & à laboribus quibus quotidie inſiſtunt, gi-
gni queant:quia tamen hæc medicatarum genere comprehendi-
tur:hæ autem omnes,quia putrefactę ſunt,magis minuſve ſiccant,
ab eius ſiccanti facultate,quamquam(vt diximus) leui, addito ta-
men vſu continuo, poſſe illorum humidum abſumi, & corpora
gracileſcere veriſimile eſt. Neque exiſtimandum alia fermè ratio-
ne quàm marmoream, valeranamque aquam, calculos, ne fiant D
vetare,& factos elidere.alioquin quod hæc non ſolum copioſiſ-
ſimarum in balneis potionũ more ſed etiam inter cibos dumta-
xat pota, peculiari quadam ſua facultate,quemadmodum anticu-
lani exẽplo eſſe ponuntur:calculos prohibeat, æque pene aſſere-
re eſt,ac opinari dulces aquas in alijs oppidis, vbi ſine calculis in-
colæ viuunt,calculos arcere.Non enim ſequitur,anticulani,calcu
lis carent,hanc ſolam bibunt,ergo ab hac ſola id emolumenti ac-
cipiunt;poteſt enim ſicut in alijs locis, ita hic, aliunde prouenire. E
Sequeretur quidem, ſi quis cauſam quamobrem hæc aqua ſua
propria natura id præſtare queat,inueniret,quæ tamen adhuc nec
inuenta eſt,nec inueniri poſſe videtur, niſi quis putet quoniam
gracilia reddit corpora:quippe quæ vbi non ex morbo, ſed ex na-
tura,talia fuerint,vix vnquam calculis capi conſueuerunt. Sed id
pleriſque alijs medicatis aquis commune eſt: quamobrem non

ſuapte

A ſuapte natura, hominem à calculis liberabit. Exemplo eſt nobilis Romanus Horatius Narus continentiſſimus in victu omni atque cultu corporis tuendi cauſa: triginta enim annos à calculo ſibi timens, triginta ſimul annos, hanc aquam potauit, nihil minus à lapide magno veſſicam quotidie grauiter infeſtante, diem obire coactus eſt. qui vero aliter quàm nos modo iudicamus, volunt, ira velle ſinendi ſunt. Dicet aliquis marmoreum canalem rodit, Igitur calculos omnes diſſipabit. Id ſoluitur, primum quoniam aliæ
B aquæ dulces, per marmoreos canales confertim tranſeuntes id faciunt; non tamen calculos peculiariter euertunt. Deinde quod ab aqua omni vel à gutta (vt in prouerbio eſt) aſſiduo illiſu marmor, quia lene denſum, ſolidum & aquam intro non admittit, cauatur, atque conſumitur, Tophus autem, & alij lapides non admodum ſolidi, neque præduri, ſed rari, quià intra ſe aquas recipiunt, neq. ita vt marmor foras reijciunt, tantum abeſt vt comminuantur, vt ſæpius immodice creſcant: aqua enim ei quod ſiccum eſt, & ad ſe
C trahit, humidum ſuggerendo illius augmentum ampliat & accelerat. Si ergo talis aqua Thophos non rodit, ſed auget; calculi vero ſæpius Tophacei quàm marmorei ſunt; quod Anticuli aqua calculos tollat quia marmor atterit, nihil ſuadet. Id quod etiã illinc innoteſcit, quod terrã illã ſubrubrã, ſiue coloris alterius per quam fluit, nec rodit, nec abſumit. alioqui velut Tyberis, qui ripas ſuas erodit, vnde Rumõ antiquitus vocabatur, nõ clara ſed turbida hoc eſt infecta colore terræ per quã meat, exiret. Hæc verò in hoc fon-
D te animaduerti non potuerunt, quia citra canalẽ qui marmoreus eſt, reliquæ eius partes (vt accepi) non tophaceo ſed ſiliceo lapide conſtructæ ſunt. Iraque colligamus Anticuli aquam quoniam Anticulanus populus illã ſine noxa, bibit, inter aquas medicatas ſi talis eſt, maxime omniũ ſecuram eſſe, & his qui humido ventriculo, & humida aluo ſunt, quales proxime deſcripſimus, vtiliorẽ quàm aquã aliã non medicatã, ſi quidem ipſa medicata eſt: Calculis vero ſubmouendis prodeſſe, non peculiari ſua quidem faculta-
E te, ſed vbi nimium potatur, copia ſua illos occurrentes (vt declarauimus) ſecum extra corpus ducere, vbi vero cum cibis accipitur, quia gracile (vt putant) reddit corpus, eoſdem arcere. Hactenus de aquis dicta ſufficiat.

De Vinis. Cap. IX.

A

DE Vinis autem ſimulque de eſculentis, quæ ſine controuerſia noſtrum corpus alere ſolent, ante omnia ſcire licet, quoniam Roma locus aquoſus & humidus eſt, ea omnia fluidiora eſſe, minuſque nutrire quàm alia reliquorum locorum qui ſicci ſunt & aquis carent. Quocirca Hippoc. ſiue Polybus tum lib. de affect. tum 2. de Diæta, Quæ ex non aquoſis ac ſiccis & æſtuoſis locis veniunt (inquit) ea omnia ſicciora ac calidiora ſunt, & robur amplius in corpus exhibent: propterea quod tali mole grauiora ſunt & denſiora, & maiorem redditum tribuunt quàm quæ ex humidis, & riguis ac frigidis. Hæc enim humidiora ſunt & leuiora, ac frigidiora, non igitur ſolũ ipſius cibi & potus & animalium ipſorũ vim noſſe oportet: ſed etiam patriæ vnde ſunt. quum igitur forte alimentum corpori offerre velis: & ex iiſdẽ cibis his quæ ex nõ aquoſis locis veniunt, vtendum eſt, & cibis & potibus & animalibus: vbi vero leuiore & humidiore, his quæ ex riguis veniunt vteris. hæc Hippocrates. Si quis obiiciat & vina & eſculẽta quibus Romani vtuntur, magna ex parte aductitia eſſe: proinde nõ æque fluida leuiaq. cẽſeri debere, hic animaduertat quod Romanus aer quemadmodũ, triticum optimũ quod aliàs integrum diu durat: aliũde aduectum, celeriter macerat & frolliũ ita dicam ſiue fracidum efficit, ita poculenta & eſculenta quæ ex aliis locis in Vrbem aduehuntur: ſi moram aliquam antequam aſſumantur, hic traxerint, quoniam ab hoc aere ſimiliter eneruata redduntur, non minus ferè debiliter alere quàm ea quæ hic nata ſunt, omniaq. ſiue hic oriantur, ſiue aliunde petãtur, modo moram aliquam hic trahant, in magna mole parum nutrire, proinde ex his multo plus in vrbe Roma quàm in aliis quibuſdam locis offerri debere.

B

C

D

Vinum igitur quod paſſim à Romanis potatur quoddam indigena, quoddam exterum eſt: huius aliud vrbi vicinum, aliud longinquum eſt. Incipiam ab indigena, ſed ſi de vinis communia quædam dixerim prius.

E

Vinum itaque omne, quia nutrit, per ſe craſſeſcat, lentoriſque alicuius, particeps ſit, oportet: alioqui carnibus oſſibuſve nec apponeretur, nec adhæreret: celerius enim quàm in ſolidam noſtrã ſubſtantiam verteretur, efflueret: quamobrem aqua ipſa, quoniã, vt Meteororum quarto inquit Ariſt. non craſſeſcit, hominem propè non alit. quia etiam ex toto ferè nutrit, natura calidum eſt: quippe ali-

A pe alimentum vnumquodque,calorem innatum vel auget,vel fō uet;aliud tamen ad aliud comparatum, illud quidem vt nouellū, vt aquoſum & paucifetum (quemadmodum Gal. innuit) refrigerat,hoc vero vt pote vetuſtius, calefacit. Omne item quia cibum in ventriculo indurat,coctionem moratur,vocatum chylum craſſiorem quàm aqua reddit.Quum enim vinum ſiccet,(vt etiam Gălenus docuiſſe videtur)mirum non eſt, ſi id cui miſcetur, induret ac firmet:hinc piſces & leporinas ſuillaſque carnes, vbi vino co-
B quuntur,corpore magis duro:vbi aqua,magis flaccido, eſſe paſſim experimur:& ficus recentes in vino dureſcere, in aqua diſſolui mollirique cernimus.hinc etiam vbi quis panem vino infuderit,mox illum comederit, toto ferè die ſatur, ſine fame,niſi edax omnino fuerit, permanet:ita vt magnopere hallucinentur qui citius concoquere cupientes,hi vinum minus dilutum, illi meracū cum cibis miſcent:ſi enim ęqua cibi non exigui quidem,ſed multi portio ingeratur:is facilius atque celerius concoquet,qui vinū
C dilutius,quàm qui meracius biberit.Nam vt cibi vaſe aliquo excepti,cum aqua velocius quàm cū vino,igne ſuppoſito liquātur:ita cum aqua aut vino dilutiore citius quàm cum puriore in ventriculo coquunrur,ſubinde in inteſtina delabūtur. Obijciet aliquis ventriculo imbecillo, & alimenti egeno, vinum magis quàm aquam,idoneum eſt, coctionem iuuat,innatum calidum fouet; quamobrem is celerius coquet,eò quàm aqua poto.Huic reſpondetur,vbi parum comeditur,melius eſſe vino quàm aqua vti, atq;
D velociorem fore coctionem.Tum quia cibus quum exiguus ſit, diu in ventriculo non moratur: tum quoniam aqua cum exiguo nutrimento aſſumpta,inſitum calorem eius qui vino aſſuetus eſt, ſua frigiditate minuit:tantumq. abeſt vt coctionem acceleret, vt multo magis in longum perducat,& ſæpe ex nutritione quæ alioqui optima futura erat, aut cruditatem, aut vocatam a græcis βραδυπεψίαν efficiat; ſed vbi copioſior cibus eſt, magis expedire aquam, aut vinum dilutius, quia cibos citius liquat, ſuper-
E bibere.

Si itaque vinum alimenta in ventriculo ſolidiora facit, perſpicuum eſt quod coctionem ſubſtineat atque retardet. Succum vero qui coctionem hanc ſequitur,ab eo craſſiorem fieri illud oſtendit:quòd vbi vinū coquitur, nō parum craſſeſcit:tale vnūquodq. (ſiquidem coctio elixatio eſt)quando in ventriculo cum alijs cibis vnà permutatur, in ſe ipſum,quia elixantis vicem ſubit, illo-

 rum ſuc-

rum ſuccum aſſumens, talem quale ipſum eſt, efficit; ita vt quum A
inter coquendum craſſeſcat, craſſum quoque ciborum ſuccum
reddat, oportet.

Quocirca & his qui aluum lubricam requirunt, & his qui cal-
culo ſunt obnoxij,quo validius eſt,eo magis obeſt:quia enim nu-
trimenti ſuccum,longe craſſiorem denſioremq. reddit, tum aluo
retinendæ,tum lapillis gignendis, non leuem affert occaſionem.
Ex his patet cur à vino alimẽtum induretur, quamobrem coctio-
nem retardet,quare vocatum chylum efficiat craſſiorẽ: quod aluũ B
ferè cohibeat,& quod calculũ accerſat.quę tametſi nemo antehac
quod ſciã,animaduerterit,lector tamẽ beneuolus,oro, hęc omnia
prius experiri quàm ſubito aut negligere aut condẽnare,cõtendat.

Omne præterea (vt plerique volunt ex Galeno & 1. & 4. de
tuenda. præcipue vero aquoſum album , & octauo methodi, &
fuluum quod ſubſtantia, tenue & præcalidum eſt, vt 5. de Tuen-
da) vrinam mouet:neque ſolum quia cum calore ſuccoſum eſt,
quamobrem in ventriculo venarum oſcula ſibi aperit,deinde per C
venas meat, poſtremo in renes veſicamq. migrat; ſed etiam quo-
niam in ſtomacho illud concoqui neceſſe eſt, ſimulq. in acidum
quippiam,non ſine quadam acrimonia quam à calente hominis
corpore nanciſcitur, conuerti : id quod homine alioqui bene ſa-
no aliquanto poſt vini potum,vomente,facile cognoſcitur:ſtatim
enim linguæ inſtar aceti ſubacris(fortignum vulgo dicunt)occur-
rit.Quod namque concoquitur a propria natura in aliam permu
tatur:tale vnumquodque in ſuum contrarium aut in ſui contrarij D
ſimile vertitur: vino autem præſertim ei quod potari ſolet, acetũ
contrarium,quocirca vel in acetum vel in aceti ſimile,quale mo-
do diximus, tranſibit.Id ergo quum aceti ſpeciem referat , quum
acrimoniam aliquam ab agente calore,velut aliàs à longa vetuſta-
te recipiat:ſua quidem acrimonia pungens, acore autem incidẽs,
vrinas mouebit.Simul etiam quoniam vbi concoquitur,in oppo-
ſitam naturam mutatur,hæc autem eſt (vt declarauimus) in acidũ
conuerſio ; vlceratis tum renibus tum veſicæ & eius meatui non E
parum oberit.ſicut enim acetum vlcera mordicat atque exaſperat:
ita & id quando de propria natura in alienam ſibi contrariam ver-
titur . Hinc aliqui dulce vinum his malis interdicũt:quoniam,(vt
facile credere licet)id quod dulce eſt, magis acidum euadit.

Nec obſtat,quod aliquis obiiceret, vino animal ali non poſſe,
ſi id in eius ventre acidum ſubacreue fieret : animal enim non
acido,

A acido, non acri ſed dulci (vt Ariſt. docuit) nutriri. Nam vinum in corpore noſtro, non in extreme acidum, acreue naturaliter mutatur, ſed in id quod mediocriter videlicet acidum acreue fuerit. Ex hoc enim id quod ſuauius quidem eſt, ſed quod nonnihil acidi retinet, particulæ trahunt: hinc inſignes vini potores plerumque acidum ingrati tamē odoris & prope fœtidum olent: quemadmodum canes qui male olidis veſcuntur, peſſimi ſunt odoris: & homines qui cæpis diu & abunde nutriuntur, vapores qui referunt B cæpas, non modo ex ore ſed etiam ex vniuerſis carnibus emittūt. Verum hæc vini mutatio an corruptio putrefactioque dici debeat: deinde ſi debet, quomodo animal ſubſtantia corrupta & putri alatur, 1. lib. in opere noſtro de morbo gallico ſatis docuimus. fortaſſis enim quemadmodum canes ab humano ſtercore, & aues & bruta ab eſculento, illæ quidem quod in ingluuie, hæc vero, quod in ventriculo naturaliter fœtet (vt eiſdem diſſectis facile experiri licet) nutrimentum accipiunt, ita ab hoc vino ſic in acidum C mutato, & fere putrefactionis ſpeciem aliquam ſubeunte, homo & refici & ſuſtineri poteſt. quo ſanè diligenter conſiderato, mirum alijs in poſterum forte non erit, ſi quoſdam animo deficientes, aceti iucundius atque celerius quàm vini vapores excitent, & inſtaurent, vtpote qui proximiores ſint illis quos vinum in corpore noſtro naturaliter permutatum exhalat. Sed ad propoſitum redeamus. Vinum igitur in corpore noſtro, natura cōuertitur non in ſumme acidum acreue, ſed in mediocre, alioqui quum vehe- D menter acidum, acreque fit, neruis officit: non ſolum quia calore ſuo (vt exiſtimant) liquat: ſed quia velut acetum acre, illos qui molli corpore eſſe debent, pungit, ſiccat, & durat. Hæc qua de cauſa vinum vrinas citet, & vlceratis pudendis officiat.

Nec minus etiam his officit, qui plurimum comedunt, & hac forte ratione citra cauſas alias præcipue pueris & mulieribus aduerſatur: quia enim ij a nimio cibo ſolidum ſuccum in ventres affatim congerunt, ſi vini parum biberint, quoniam elixationi futu E rꝰ ſuccus adeo exiguus non ſatis eſt, alimentum aſſatur, potius quàm ita dicam elixetur: quamobrem peſſime concoquunt: nidorem & ſulphur male olentia ructant: ſin multum, propter copioſum vini potum, craſſo quin etiam liquore ſuperimplentur. Ob illud ſitire, ob hoc difficulter ſpirare, coguntur. Ob vtrumq. quia venter plenus (vt inquit Hipp.) calefacit, immodice calefiunt, ſubinde corpore torpidi, ſenſu pigri, mente tardi, & grauibus ob ca-

 put

put repletum malis, obnoxij redduntur. Quippè vinum vbi modus abeſt, caput, ſi validum eſt, nõ parum infirmat: ſin debile, magnopere lædit: vtrumuis contingat, dolorem illi ferè protinus affert. Id verò non ſolum quia vapores vt putant, calidos, ſed etiam lentos, craſſos, & quamplurimos in caput mittit: calor quidẽ aſcenſum feſtinat, actionem auget, ſed quia reſoluit, corpora facile ſolubilia, quales ipſi vapores ſunt, celeriter diſſipat. At hi, ſi lenti craſſiq. fuerint, ſuo nimirum lentore, capiti adhærent, craſſitie vero diu inſunt, diſcuſſioniq. reluctantur, ſed vbi multi ſimul exiſtunt, cerebrum replent, diſtendunt, doloreque non breui afficiunt. A B

Vinum igitur vt aperto vaſe fere totum vaporat, ita in ventriculo præſertim etiam noſtro, concurrente calore idem patiatur atque in halitum valde diſſoluatur, probabile eſt, id aceti exemplo non inepte ſuaderi poteſt; quippe acetum vapores quidẽ exhalat, ſed neque lentos neque craſſos neque multos: id patet quia dum coquitur nec ita craſſeſcit nec ita lentorem acquirit, ſed velut aqua diminuitur: neque item ſi detecto vaſe relinquatur, inodorũ euadit, tamquam corporis eius portio multa in ſpiritum non ſoluatur; ſed id vtrum accidat (vel quia magis terreum ſit vel forte grauius) non eſt præſentis ſpeculationis. C

Contra vero vinum, quoniam coctura & craſſum, & lentum redditur, tales quoq. vapores, qui ab eo emanant, ſortiatur oportet; mox quia dum vaſe aliquo exceptum, ſine opeculo diem totum aut noctem totam relinquitur, in vappam tranſit, odoris expers euadit, eneruatur, ac euaneſcit, perinde ac ſi non exigua ſui parte, in vapores breui ſpatio reſoluatur: neceſſe eſt vapores non ſolum craſſos lentoſque ſed etiam multos vt edat. Nam licet alia quoque alimenta ſpiritus tum lentos tum craſſos exhalent, quia tamen non æque multos vti vinum emittunt, nec ſimiliter nec tam ſæpe nec tam prompte capitis dolorem efficiunt. D

Vtrum vero vinum in halitus magis celeriter quàm acetum euaneſcat, vel quia id plus aeris, illud plus terræ obtineat, vel quia corruptioni promptius ſit: alterius eſt negocij. Hactenus cur vinũ capitis afferat dolorem, & cur his, qui multum comedunt, obſit. Vinum inſuper (vt 5. de tuenda ſanitate Galeno placuit) ſicuti pueris alieniſſimum ita ſenibus aptiſſimum. E

Vinum item quo magis ad muſtum accedit, eo dulcius: quanto autem minus: tanto minus dulce. Vt vero muſtum inodorum eſt, ita &

A ita & vinum dulce. Tanquam id quod muſti, non autem vini na-
turā referat: quamobrem Ariſt. Meteororum 4. Vinum dulce (in-
quit) non opere ſed nomine vinum eſt; non enim vinoſus ſuccus
eſt: ob quod non inebriat. Sic fortaſſe Gal. ſic Hipp. & cæteri anti-
quiores, vinum dulce mentem minus tentare tradiderunt. Sed
quoniam vinum quod nunc dulce paſſim appellamus, vaſe aper-
to detentum celeriter euaneſcit, eneruatur, ac ſuo corpore non pa-
rum diminuitur: indicium facit quod quamplurimum euaporet,
B ſiue dixeris quod in ſpiritus complures diſſoluatur: ſi ita eſt, caput
repleat mentemq. feriat, ſi multum bibatur oportet; quippe quod
non odore, vt reliquum vinum, ſed halitu multo, quoad ſenſum
prope odoris experte, cerebrum percutit. Sępeq. nec inebriare ne-
que capitis dolorem inducere probabile eſt; non modo quia non
admodum odoret, ſed quia dulcedo, quæ velocem ſatietatem pa-
rit, illud vt copioſe bibatur, non ſinit: quum alioqui ſi abunde po-
taretur, non minus ferè quàm aliud vinum & capitis grauitatem,
C & ebrietatem efficeret.

Vinum igitur pueris infenſum, ſenibus autem congruum eſſe,
atque vinum dulce an odorum ſit, vtrum inebriet, capitiſq. dolo-
rem inducat, ita dictum ſit.

Neq. ſilentio prætereundum eſt, vinum dulce à nonnullis gra-
uius craſſiuſque quàm alia vina cõſeri, in ſtomacho flatum gigne-
re, aluum & inteſtina muſti modo turbare, parcius inebriare, ve-
ſicæ neruiſque, vbi ſine vlcere ſunt, prodeſſe: quinetiam calefacè-
D re, tarde meare, obſtructionem augere, iecur, lienemq. lædere, pul-
monem, niſi ſitim inducat, nõ offendere, facile deijci, magna red-
dere viſcera, febricitantibus non cõgruere, vrinam quia craſſum
eſt, non ciere, eis qui refectione indigent, modo eorũ iecur, lien,
& renes vitio careant, non inutile. Sanguinem craſſum præſertim
ſi nigrum fuerit, creare, quum in infantia eſt, dulce quidem eſſe,
quum vero pubeſcit, magis ſuaue, quàm dulce. Pręterea vinũ quã-
to dulcius tanto minus odoratum, quo tenuius eiuſdem generis,
E eo nimirum odoratius: quo generoſius, hoc vetuſtate magis craſ-
ſeſcere, & in amaritudinem minime corpori vtilem coire. Tenuiſ-
ſimum celerrimè inueterari, celerrime quoq. album & aquoſum
ſeneſcere, quod album conuenire ueſicæ, deiectu facile eſſe, ſto-
machum excitare: contra, nigrum, pingue, peragi cõtumax, ebrie-
tatem carnesq. fouere. Rubrum ut colorem, ita naturam inter illa
mediam poſſidere; quod aureum, aliqui ruffum uocant, corpori

ſalubrius

ſalubrius eſſe, quod luteo colore blanditur, concoctione commodum eſſe, quin etiam minus infeſtare neruos: quod vetuſtate dulceſcit, tenue & auſterum minus alere, magis ſtomachum iuuare, velocius per vrinam tranſire, ſed temulentiam, & capitis dolorem efficere. A

Acerbum, coquendo cibo maxime vtile, item aluo continendæ, deſtillationibuſque ſiſtendis. Qui craſſum humorem in venis collegerunt, iis tenuis conſiſtentiæ vinum, ſi humor ille frigidus fuerit, acre, & vetuſtum, ſi non frigidus quod nec acrimonia nec vetuſtatem habeat, conuenire: odorum ad ſuccos quidem probos gignendos præſtantius eſſe, ſed caput ferire. Annoſum quamquã guſtu iucundum, neruis & ſenſibus cæteris (vt ſenſit Dioſc.) officere. Ægrotantibus quibus intus aliquid affectum laceſſitumve eſt, damnari; ſanis, ſi dilutum & modice ſumatur, innocẽs eſſe. Nouirium, inflare, difficile coqui, ſomnos graues facere, & aquoſius & imbecillius eſſe, quàm vt vino conueniat, vrinas pellere, mediæ ætatis & hoc & illud incommodum vitare. B C

Maxime quoque abſtinendum eſſe a vinis natura craſſis, quando recentia ſunt; tantum enim abeſſe vt ciborum concoctionibus quicquam conferant, vt vix etiam concoquantur. Præterea nec per aluum tranſire, nec facile diſtribui, nec vrinas ciere, nec ſanguini procreando, nec nutritioni cõducere, ſed diutius in ventre ſuſpenſa, ſicut aquam remanere.

Denique vinum moderatè ſumptum, vires alere, ſanguinem inſtaurare, colorem amabilem reddere, neruis oculiſque ſpiritum ſuppeditando prodeſſe, ſtomachum recreare, ciborum appetentiam inuitare, curas triſtitiasq. obtundere, vrinam & algorem expellere, ſomnum conciliare, vomitionem vbi ſuccorum copia nõ vrget, ſiſtere, collectiones extrinſecus lanis humidis impoſitis mitigare, multum roboris afferre. Contra largius exhauſtum, mentẽ reddere labantem, linguam quod titubet, efficere, ebrietatem inducere, viſcera calore ſuccendere, deinde quod mirum eſt, refrigerare, corporis tremorem, grauitatem, pallorem, torporem, neruorum in extremis partibus diſtentionem, ad coitum pigritiam, cõceptioni genituram inutilem, præmaturam canitiem, velox caluitium, citam ſenectutẽ accerſere, ita vt iure dici poſſit, viribus corporis non aliud vtilius eſſe, modus cum adeſt: neque aliud pernicioſius, quum abeſt. D E

Interim illud non omiſerim, optimum vinum in dolij medio con-

dio con-

A dio conſiſtere, partem infimam fæcis mixtura non modo turbulentam, ſed etiam ſapore deteriorem eſſe, partem ſummam leuiorem & aquoſiorem quidem inuenini, ſed aeris vicinia, cuius cauſa (vt putant) dilutior efficitur, corrumpi. Viniquc facultatem pro ætate, pro bibendi conſuetudine, pro temporum ratione, pro eius vehementia decerni: ac ſine cibo potũ quod lædat à Galeno epid. ſexto doceri, ſed (vt nobis videtur) ieiunis quorum venter ualde uacuus eſt, quia uentriculi tunicas ſimulque ſuccos aliquos, ſi qui
B adhuc inſunt, indurat, inſigniter officere. ſubinde hos aut nutritioni aut expulſioni in utram magis uergant, contumaces, uentriculum autẽ coquẽdo alimento ineptum propter duritiem reddere. Verum hominibus quorum uentriculus uel multa pituita uel externa cœna redundat, & adhuc eſt cruda, ſi uinum ieiuni biberint, nõ modo non obeſſe, ſed ijs quum calefaciat, ſimul ac ſiccet, pituitam crudam maturare: illis uero, ſi in locis admodum frigidis ut puta in Germania fuerint, quoniam & ſitis deſiderium, ſi
C forſan adſit, reprimit, & cibus in uentre ut madeat efficit, magnopere opitulari.

Hęc de uinis generatim dicta nunc ſint. iam ad propria deſcendamus, redibimus igitur eò, unde proxime diſceſſimus: nempe ad uinum domeſticum, id uulgo Romaneſcũ latinę Romanicum appellatur, in hoc alicui forſan paulo fuſius quàm propoſitum opuſculum requirat, uagari uidebimur. Sed lector nobis hanc ueniam dabit, ut uinum quod & patrium eſt & à populo paſſim potatur,
D id prolixiore ſermone liceat explicare.

De Vino Romanico. Cap X.

Vinum itaque Romanicum in hunc modũ magna ex parte fit: expreſſis uuis, ſtatim in doliũ reponitur: ibi aperto dolij ore, triduo quatriduo pluribuſue diebus feruet, poſtquã deferbuit, dolij oſculũ obturatur, deinde id aliqui citius, aliqui tardius in uaſa trãsfundũt; aliqui ſępius, aliqui rarius: priuſquã
E hyems proxima ſit, in cellã vinariã quæ ſubterranea eſt, nõ locãt. Interim in domorũ veſtibulis tenent, ſic enim melius conſeruari putant: niſi ſit, quod hic, contraquã in cella ſubterranea, flatibus hincinde diſcurrentibus, feruentes ſpiritus facile diſſipantur, calor in feruore conceptus magis temperatur, circunfuſi aeris frigore, feruor cito remittitur: quo fit vt vinum ſępe ſuauius, quemadmodum apud antiquos vbi amphora exceptum in aquam dulcẽ

 quadra-

quadraginta diebus immergebantur, euadat. Ibi enim ſi forte alia vina inerint, illa calore ſuo male afficit, & ſpiritibus calentibus quos edit, tamquam in loco non ſatis perflato, & ſe ipſum & locum totum, quia non tranſpirat, replet, inficit, & tardius bullire deſinit. poſtquam item deferbuit, atq. ſemel tranſuſum fuerit, ſi in illud vini cocti aliquid inijciatur, magis perſpicuum cernitur, diutiuſque durat. magna ex parte album eſt: album nunc dumtaxat voco, quod contra nigrum diſtinguitur, tale tum flauum tum ruffum, nō admodum clarum, neque valde pellucidum. ſubſtantia plerumq. craſſum, lentum, & confuſum, id quod molle plebs vocat, exiſtit: magis tamen minuſue prout è locis planis aut montoſis proficiſcitur: quippe in collibus vt puta prope ſanctum Pancratium aut Peraiolum, minus craſſum, minuſque confuſum: in vallibus veluti circa Tyberis planitiem, magis: proinde illud melius, hoc deterius. A B

Niſi ſæpius de dolio in dolium, aut in idem ipſum, aut in aliud diffundatur, raro annum integrum ſeruatur. Frequenter in vappā vertitur: ſed collinum tardius, campeſtre citius, ſi antequam dolijs exceptum ſit, coquatur: aut vbi reconditum eſt, ſi ſæpe tranſmutetur, & melius & durabilius fit: ſapor interdum dulcis, interdū ſuauis, vt plurimum vueus, neque admodum iocundus in illo reperitur. C

Odor; vini quidem, ſed obtuſus, perinde ac adumbratus: cuius cauſa caput minus tentate pleriq. arbitrati, illud liberaliter bibūt; ſed quanto copioſius potant, tanto vehementius offenduntur. D

Putorem, quam muffam vocant, facile concipit, eoque non raro dolium, ſæpe canalem ligneum, per quem extrahitur, inquinat. Vbi corrumpitur, niſi dulce valdeq. clarum ſit, marcidum, mucſdum, odore vt plurimum inſtar putreſcentis pomi, fœdatum, & veluti ſpurcum euadit. Turbidum perſeuerat, difficulter aceſcit. Hæc omnia, terræ naturā quæ paſſim fuliginoſa eſt, ſequuntur. Vt enim herbæ quæ ex ea naſcuntur, craſſæ ſunt, ita & ſuccus quo tum hæ tū vites aluntur, craſſus ſit oportet: quippe terra hac multo humido cōmixta, mox eadē ab illo & illo ab hac, inuicem permutato, liquor quidem craſſus, perinde ac lutulentus atq. cænoſus exoritur, quem vites inſaturabiles ac luxurioſę, poſt exhaurientes, vinū ei parte aliqua ſimile producūt, qui quūm cæni ac luti particeps ſit, vbi corrumpitur in aliquid cæni ac luti æmulum permutatur. Hac de cauſa vinum ex huiuſmodi vuis parum admodum clarū, E

A &c craſſum &c confuſum eſt.Collinum verò melius, quoniã in colle, quia gibboſus eſt lutulentus iſte ſuccus nõ retinetur, ſed ad radices in vallem percolatur. At neutrum vbi male purgatum eſt, diu durat:neutrum integrũ attingit annum: quoniam contrarijs ob temerariam partium confuſionem,inuicẽ pugnantibus, promptè corrumpitur atque putreſcit.

In vappam crebrius abit,quoniam id quod leue &c tenue,quũ exiguum in hoc interea dum defæcatum nõ eſt,inſit, breui diſſol-
B uitur: quod vero craſsũ &c lentũ, quia multũ eſt,remanet &c inſulſum ſentitur.Paluſtre citius in vappam ſcilicet vertitur, quoniam id multo plus huius ſordidi ſortitur. Collinum ſerius,quoniã eius terra, minus lutulenta eſt; &c eo melius hoc quàm illud, quo magis ſicca, minuſque cœnoſa (vt diximus) terra eſt, vnde naſcitur. Coctum autẽ frequenter diffuſum, præſtantius redditur,diutiuſq. perdurat:quoniam coctura crebraque diffuſione, tranſmutationẽ vocant,id quod in eo fæculentum eſt, expurgatur,tenue vero atq.
C vinoſum,ad puritatem redigitur.

Saporis vuei,&c odoris obtuſi eſſe percipitur,non omnino quidem,ſed quoad non ſatis expurgatum cernitur;vbi namq. ſæpius in vaſa transfuſum, aut ignẽ depurgatum, fuerit tantum abeſt vt tale ſit,vt plerumque cum exteris nobilibus vinis,de ſapore,odore,colore,ac bonitate ſimul certet.Dulce ac ſuaue eſt,vbi valde maturis vuis,nec vehementer expreſſis ſed ferè ſponte ſua liquatis gignitur:ſuccus enim grauis,ingratus &c lutulentus relinquitur; le-
D uis autem ac concoctus, hic enim dulcis eſſe conſueuit, emanat. Capitis dolorem inducit,tum quia leue eſſe putatur,&c ob id,copioſius bibitur &c potores fallit: tum quia vbi caput impleuit, in eo longiorem moram ſua craſſitie ac lentore trahit.

Putori,quam muffam appellant, obnoxium eſt: quoniam cœnoſus, &c fæculentus humor, vaporẽ habet craſſum,&c ſolutu difficilem: hic ergo prope ſuccum ipſum remanens, vaſi quo continetur,inhæret:ſubinde putreſcit: &c interdum albæ lanuginis in-
E ſtar euadit.Quum corrumpitur,ſi dulce clarumque fuerit, facile aceſcit:quoniam quæcumque multum humidi commixtum habent,vbi putreſcunt, in acidum primum vergunt; vt lac, pyrum, malum perſicum,prunum,pepon,mox niſi exiccẽtur, ſed humida remaneãt; modo perſpicua quoq. reſtent, id quod ſeparato eo quod fæculentum ac turbidum eſt, euenit:in acidum acre magis minuſue,quale acetum eſt, permutantur:tale vinum dulce,perſpi-

H cuum,

cuum, & expurgatum exiſtit. Alioqui dum corrumpitur, non perpetuo quidem marcidum atque turbidum fit; ſed vbi ante, neque pellucidum eſt, & adhuc neque ſordidum à puro ſucco, neque craſſum à tenui exacte ſegregatum obtinet. Quia ergo nec ante lucidum erat, nec à putrefactione, quia propter lentorem, id quod craſſum eſt, tenui valde cohæret, clarius efficitur, ſed magis confunditur atque turbatur; acidum modo quodam, iniocundum tamen & fædum euadit: quemadmodum proxime dicta; quæ cum multo terreo ſunt; ſed vlterius progredi & acetum fieri, donec iſta corporum tenax confuſio perſeuerat, non poteſt. A B

Itaque Romanicum vinum præſertim paluſtre, ſi quis antequã in cellam ſubterraneam reponat, id vel eius vel alterius vini (vt dicunt) cocti modica portione adiecta, in dolium recondat: mox frequentibus in vaſa transfuſionibus mutet: (transfuſionũ terminus eſt, ſi tranſactis aliquot poſt diebus, nihil amplius in fundo reſideat.) Hic illud ferè omni fæce atque ſorditie exuet, & ab infeſto vapore qui caput ferire ſolet, facile vindicabit. Vinumq. non modo durabile, ſtomacho gratum, caput non lædens, vrinam ciens adipiſcetur, ſed ne aduentitium quidem aliud vllum deſiderabit. Quippe modicum illud percoctum ſuperinfuſum, quia vinũ eſt, promptè quidem reliquo permiſcetur; ſed quoniam lentum & tenax eſt: primo per ſuperficiem totum effunditur, & inſtar veli tenuiſſimi ſimul extenditur, deinde quoniam graue quoque exiſtit, in fundum ſenſim deſcendens, ſorditiem ferè omnẽ perinde ac tenuiſſima tela, ſecum ad ima trahit. Sed quoniam adhuc omnino defæcari non conſueuit, ſequentibus in vaſa tranſmutationibus, omne craſſum quod reſtitit, dirumpitur, attenuatur, in fundum ſecedit: ſimulque vapores illi præduri qui capiti officiebant, franguntur; vt quemadmodum ſacco apud antiquos vinum caſtrabatur, quo plus bibi ſine noxa poſſet: ita id hac crebra diffuſione, leuius factum, magis ſecure potari liceat. C D

Diu ergo durabit, quoniam ante optime defæcatum, à contrarijs quæ illud corrumpere poterant, liberatur. ſtomacho amicum erit, quoniam omni penitus ablata ſorditie, colore iucundum, ſapore ſuaue, et odore recreans redditur. E

Capiti non oberit, quoniam leuioribus factis eius ſpiritibus, ſi forte illud impleuerit, cito diſſipatur. Vrinam mouebit, quoniam tenuiori, propter dictam expurgationem ſubſtantia conſtans, vt in

venas

A venas celeriter meat, ita per illas in renes & veſicam citò fertur, & foras effunditur.

DE VINO EX TACHIIS APPELLATO *De Aquetta quoque nuncupata.* Cap. XI.

SEd ſilentio pertranſire non decet, quod aliqui ſtatim vbi vinum Romanicum dolio infundunt, ſimul etiam fruſtula ex
B corylo quæ dolabra, inſtar foliorum quorundam ante reſciſſa ſunt, imponunt: vinum ex Tachijs vulgus appellat: ſanè id celeriter clareſcit, ſæpius & ſuaue & leue, & tenue ſe ſe nobis offert, ſed fugientis ætatis eſt: vix enim ſeptem octoue menſes, integrum ſeruatur; ac intra quidem initia quia propter tum tenuitatem, tũ ſuauitatem, auide, & abunde bibitur, capitis dolorem inducit, poſtea vero etiam ſi non affatim ſumatur, caput lædit. Quippe velociter perſpicuum fit, quoniam fruſtula illa inuicem ſeparantur, perq;
C totum dolium diſperguntur. Varijs namque modis intorta, diſtorta, & extorta, coniungi vnà non poſſunt, ſed alterum ab altero, dũ extremæ partes ſe ſe per ampla interualla contingunt, ſegregatur: per hæc igitur muſtum oberrás, in illis quia naturaliter ſicca ſunt, ſorditiem ferè omnem (exigua enim fæx in eius dolij fundo reſidet) relinquit. Sed eo citius, quo prius dum feruere debet, induntur, hoc enim pacto, depoſita ſorditie clarum euadit. Suaue gignitur, quia dum per ipſa fruſtulorum interualla, feruẽs hincinde re-
D currit, feruor frangitur, ociuſq. deſinit; quãto autem minus ebullit, tanto iocundius dulciusque redditur. Tenuitatem ac leuitatẽ acquirit: quoniam ita defæcatum vt omnem craſſitiem exuit, ita & ſubtile & leue remaneat oportet. Breui durat, quia ſi illud dimiſeris pluteſq. menſes ab eo nihil exhauſeris, ſordities quæ vniuerſum dolium cum fruſtulis occupat, paulatim putreſcit; ſubinde vinum non longe poſt aut muceſcere, aut aceſcere cogit. Sin poſtquam perfectè claruit, non multo deinceps, potare cœperis:
E in principio quidem gratum eſt, & minime noxium, ſi modus adſit; niſi forte quemadmodum nux auellana, Diocle auctore, caput tentat, ita quoque lignum eius vim ſimilem ſortiatur. Cæterũ per id tempus qua tenue eſt, per vniuerſum corpus facile fertur; qua ſuaue ab omnibus partibus prompte trahitur; qua leue, in caput expedite meat; ita vt dum copioſe potatur, plus iuſto propter ſuauitatem retentum, cerebrum repleat, grauet & dolore afficiat.

Sed in medio tempore & in fine quia recrementum quod in fru- A
ſtulis liquore priuatis ineſt, putorem, veluti quæ muſſa dicitur, ac-
quirit. Tű hoc eodem inficitur, ſubinde capitis dolorem, tametſi
non liberaliter potetur, efficit. Denique id, vini ſtudioſis experiun
dum eſſe ſuaſerim, vinum hoc poſtquam fruſtulis inditis apprime
claruit, in alterum dolium ſtatim trãsfundãt, fortaſſis enim & mi-
nus noxium, & melius eſſe reperient. Eſt item ex Romanicis vi-
nis, vbi à dolio altero in alterum mutantur, id quod ex craſſiore
illorũ parte fœci propinqua remanet, ſubinde faccis percolatur. B
ſimile quoq. fit apud Ripam maiorem, ex vinis quæ ibi vendun-
tur: aliqui vineconcium, aliqui aquettam appellant; pauciferũ eſt
ac tenue, vrinam fortaſſis ob fœcis vim ciet. Hactenus de vino Ro-
manico.

De Raſpatio vt dicunt. Cap. XII.

SEd me, vinum acinaceum, plebi raſpatum, rurſus ad id ipſum,
reuocat. Hoc, bifariam, vt plurimũ fit; aut enim vuæ nigræ aci- C
nis ferè impleto dolio, mox aqua tantum adiecta: aut ad vaſis
vſque dimidium, vuis plus minuſue impoſitis, ſubinde vino vete-
re optimo, pari menſura iniecto, & aqua perquam modica, quo ci-
tius clareſcat.

Primum, pauperum eſt; ſecundum ditiorum: vtrumque quan-
to celerius feruet, mox à feruore quoad fieri poteſt, intercipitur (id
quod vſu venire ſolet vbi vna vel altera die, plus minuſve bullire
duntaxat permittitur) tanto iocundius euadit. Simul enim & dul- D
ce eſſe, & proſilire ſcintillareve, quod brillare vocãt & linguã ſua-
uiter pungere ſentitur: ac ſi vinum acutũ crebris quaſi ſcintillulis
micans dixeris. Quæ tria non ſolum in his, ſed etiam in alijs vinis
omnibus, a bonis potoribus maxime expetuntur.

Dulce quidem fit, quia quo minus ferbuit, eo magis ad mu-
ſtum, quod natura dulce eſt, accedit.

Proſilit autem, quoniam feruoris interceptione, ſpiritũ quem
bullitione conſumi oportebat, intro cohibente, impetum inte- E
rea dum dolio clauditur, erumpendi foras in ſe quidem retinet:
ſed vbi poſt hauritur, inq. vitreum craterem effunditur, tamquam
patefactis foribus, diruptisq. clauſtris, ſtatim ſpiritus ante clauſos,
veluti geſtientes in altũ emittit, ſimulq. ſpumas ad crateris extre-
ma, ſe ſe inuicem collidentes, ſpiritibus videlicet alijs atq. alijs cõ-
fertim pullulantibus atq. ſubſilientibus edit; id quod forſan vi-

brare

A brare eſt, vt etiam vulgo ſed corrupto vocabulo brillare dicimus.

Linguam molliter pungit, quia ijdem ſpiritus qui ante quieſcere intus cogebantur, nunc foras magno cum impetu erumpentes, ſua tenui ſubſtantia cum ſuauitate quam ſibi adiunctam ſortiuntur, vt oculos feriunt, ita guſtatus intima ſubeunt, linguam vniuerſam permeant, hanc eandem quaſi leuiter findentes, vndiquaq. penetrant: ſubinde prurientis cum delectatione quadam B punctionis, ſpeciem repræſentant. Vnde ſapor cum ſubtili & penetrante facultate coniunctus ſiue dulcis, ſiue iocundus, ſiue ſuauis exoritur; qui vulgo piccans, vtpote qui linguam interius feriat, latine forſan ſuauipungens, aut dulciuellicans, aut iucunde feriens, dici poſſet.

Quippe ſapor ſuauis, per ſe non niſi ſuauitatem offert: vini vero ſpiritus, què magno impetu prorumpentem, & linguæ penetralia ſubeuntem hic ſapor comitatur, mordicationem inducit: ac ſi C dixeris, dulcis gratuſue ſentitur, quia talis eſt in re cuius ſapor eſt. mordicat autem, non quia gratus dulciſue ſit; ſed quia res illa, in qua ſubiicitur, propter ſummam ſpiritus & tenuitatem & vehementiam, vniuerſum guſtatus inſtrumentum, veluti tenuiſſimis aculeis celeriter ingredientibus atque recedentibus diuidit: ita iocundus ſapor, iocunde quidem afficit, ſed ſpiritus perinde ac furijs agitatus, in linguæ corpus temere irruens vellicat, pungit, mordicat. Ex quibus illud patet, ſaporem hunc qui piccans voca- D tur, neque acrem (vt multi putant) neque ſubacrem eſſe: ſiquidem acria ſunt, (vt Plato in Timæo quem Gal 1. de ſimpl. imitatur) quæ vbi oris caliditati applicata, ab eoq. mollita & ferueſacta, ipsũ viciſſim recalfaciunt, atq. accendũt, prçque leuitate ad capitis ferũtur ſenſus, ac quæque obuia incidunt. Hic vero ſapor piccans nuncupatus, præter id quod neque recalfacit neque incidit, tantum abeſt vt à linguæ calore molliatur, vt ipſam ſtatim quodam modo ſiccet. Itaq. ſapor hic, non eſt, qui pungit; ſed ſpiritus quo vehitur, E irruentis impetus. Illud interim oportet non ignorare, quod tũ vinum, tum vocatũ raſpatium, niſi facile ferueat, ſimulq. poſtquam ſeruere cœpit, niſi cito à ferùore prohibeatur, prædictas facultates præſertim proſiliendi, ſortiri non ſolent. Quod enim diu ferure permittitur, id ſpiritus huiuſmodi omnes, propter feruoris vehementiã ac diuturnitatẽ penitus amittit. quod vero nihil feruet, vt lora, quia ſpiritus omnino expers eſt, quomodo proſiliet?

Cæte-

Cæterum & hoc & illud ſcilicet: & pauperũ & diuitũ raſpatiũ, A
interea dum hornum eſt, non inutiliter potatur: vltra annum ſæpe
noxium eſt: quo item recentius eo iucundius, atq. ſalubrius; quan
to autem vetuſtius, tanto infenſius & ingratum magis. Quũ enim
vuarum acini ſubſtantia conſtent tum tenui tum craſſa, quæ cor-
tici admodum inhæret: ab vtraque ſuccus quidem prodit, ſed ab
illa celerius, ab hac tardius, quippe quæ tempus aliquod requirit,
vt probe maceretur atq. liqueſcat. In eius igitur principio ſuccus
tenuis maiori ex parte dominatur, producta vero ætate, craſſus ip- B
ſe: atque ille propter ſuam tenuitatem facile vincitur à natura, hũc
vero quia ſolidior & diſſipatu difficilior eſt, vbi in caput fertur,
neceſſe eſt diutius & obnixius immorari. ſimulq. aucta cum alijs
copia, cerebri membranas diſtendere, capitisq. dolorẽ inducere.

De Lora. Cap. XIII.

SIc forte Gal. 2. de alimentis de lora, loquens, tum ea quam At-
tici δευτερίας vocant, tum altera; Vtraque lora (inquit) capiti do- C
lorem affert, niſi quis dilutiores ipſas bibat, ſed prior magis ca
put ferit. Cum hoc tamen ſcire quoque licet, vt ibidem ille teſta-
tur, commodum loræ potui id ineſſe, quod ocyus per vrinas red-
datur; qua in re magnum eſt pro varia vuarum ex quibus ſunt vi-
nacei, ſpecie diſcrimen, quandoquidem ſi dulces fuerint, potus
multo erit ſuauior, citiuſque per vrinas reddetur: ſin vero acer-
bæ aut acidæ, inſuauior longe ac minus ciens vrinas. id autem di-
lutum, valentius multo fieri ac vinoſius, quum τρύξ id eſt vinaceus D
ad ver aut æſtatem fuerit aſſeruatus: hyeme vero, ſi quis vtatur, vt
caput minus ferit, ſic & per vrinas minus ſecedit. Hæc Gal. de lo-
ra; ſimulque ſatis dictum ſit, de vtroque raſpatio, ac obiter, quur
vina quædam ſubſiliant, & quomodo ſapor vocatus piccans, ex-
plicari poſſit. atque vtrum propter acrimoniam, aut propter ſub-
ſtantiæ ſubtilitatem, quæ vehementer penetret, mordicet.

Hactenus de vino Romanico: id quod domeſticum eſſe vrbis
Romæ poſuimus. E

De Vinis vrbi propinquis. Cap. XIIII.

SEquitur exterum. Huius quum id prope vrbem ſit, illud pro-
cul vt proxime diximus, diſtet: de eo quod prope eſt, in primis
agendum. Huius generis illud coctum, id crudum vulgo di-
citur. Coctũ vocatur, quod caldarijs æneis igne ſuppoſito ferbuit.
Id qui-

A Id quidem donec ſpuma remota, illud vero quoad pars quarta tertiaue conſumpta ſit.

Crudum appellant, quod coctum non fuit.

Coctum igitur eſt Veliternum, ſigninum, Coranum, cauinum, Roccha de Papium, Zagarolium, Sanctouitum, Neptunium quod Antias aliqui appellant.

Crudum, Albanum, Aricinum, Caſtelcādolphium, Tarracinenſe, Marinium, Grottaſerrathium, Fraſcathium, quod Tuſculanum
B dicitur, Ruffineum, Villçum, Cæſanium, Anguillare, Brachianū, Piſciarellium, Montaranum, Tolphanum, Cereueteranum, Ciuitā vecchium (ita dicam vt intelligar, aliqui Pyrginum forte vocarēt) Canepinum, Valeranum, Iulianellum, Caprarolanu m, Sorianum.

Aliud coctum aliud crudum Iulianium. Præneſtinum, Vallemontonium, Nemæum, Genſanium, Anagninum, Palumbarium.

Veliternum, potentius, odoratius, durabilius inter vina omnia quæ cocta cenſentur, exiſtit. Subſtantia firmum, quippe quod cor-
C ruptioni maxime reſiſtit: colorem nunc ruffum, nunc flauum, valide nutrit, nam ſolidiori corpore eſt: difficile coquitur, quoniam & nutrimentum cui miſcetur (vt ante docuimus) magis indurat, & vocatum chylum longe craſſiorem reddit: caput inſigniter ferit, rū quia magnopere odoratum eſt, tum quia ſicut eius ſubſtantia dura eſt, ita vapores duros & pertinaces, qui ſubinde cerebrū obſident, habet. ſeruis ac multum exercitatis non inutile, laborantibus enim non tenue ſed robuſtum conuenit alimentum: ocioſis
D & debilibus, & quibus caput infirmum eſt, noxium: quoniam ij vt parum excercentur, ita validum nutrimentum conficere non poſſunt.

Secundo loco eſt ſigninum, Coranum, Cauinum, Rocchadepapium, Zagarolium; At Sanctouitum ac Neptunium, ab his val de recedit. conditturam enim modicam à defruto aut ſapa ſæpius recipit, quam totum coquatur: vtrumq. ſi ad prædicta comparetur infirmarum virium eſt, ſapore propè omphacij, conſeruationis
E infidæ.

De Vinis quæ cocta nūcupantur diximus: ad cruda veniamus: Tarracinēſe, album vt vulgo dicitur, eſt; & pauciferū potius quàm multiferum; in alterum annum ſeruatur, non male coquitur, caput non offendit, quiddam in ore ſubaſtringens, quam leuiſſimū, aſciuttum vocant, relinquitur; atque iccirco forſan à podagricis libenter potatur.

Albanum

Albanum ex crudis omnibus optimum eſſe videtur,tum quod A
vocant album tum rubrum : guſtatui iucundū eſt, alacriter in cyatho ſubſilit,præcipue rubrum: quod quamobrem contingat, proxime declarauimus:poſtquā repoſitum eſt, hyeme tota ſuaue plerumque ſentitur,ſtomacho accommodatum, caput niſi valde infirmum ſit, non ferit; æſtate non minus gratum quàm vtile eſt, in frigida cella vinaria facile in alteram hyemem ſeruatur.

De Vino Paucifero. Cap. XV. B

PAuciferū quidem eſt,ſed nō quale Galenus,quod aquoſum vocat, deſcribere ſolet: nam vt acutorū tertio docet, aquoſum vinum appellant homines, quod aquæ tum robore tū ſubſtantia ſimile eſt;perſpicuum quidem vt aqua, ſplendidum & purum & ſubſtantia tenue videtur,protinus autem & facultate ſimile exiſtit,neque imbecillum caput feriens,neque infirmos neruos,quando ne manifeſte quidem calefacit. pauloq; inferius nullam earum quæ cæteris vinis inſunt habet qualitatem, neque auſteritatem,neque adſtringentiam neque dulcedinem, neq; odorē: C
nempe vino huic omnium ſoli vt tum vini, tum aquæ mala effugeret,datum eſt.ita Galenus. Sed id quum aut raro aut nunquam hac noſtra ætate reperiatur,expediet aut accipere albi muſti ſextarios 20. & aquæ dimidium, ſubinde feruere ſinere, donec excoquatur aquæ menſura:quemadmodū antiqui nonnulli faciebant: atque ἀδύναμον appellabāt;aut ex vinis quæ apud nos leuiora ſunt, aliquod eligere; ſi id non datur, tum quoduis aliud accipere, & D
aquoſum aquę mixtura,multo antequā bibatur quo melius permutetur,efficere;ſic forte aquoſum vinum Hippocrates quandoque appellare conſueuit:quemadmodum 4. acutorum, ſed 3. magis perſpicue de vino loquens(inquit) προξυνιέναι δὲ δεῖ ὅτι τὰ μὲν ἄνω πάντα καὶ τὰ κατὰ κύστιν ἧσσον βλάψει ἢν ὑδαρέστερος ᾖ: τὰ δὲ κατ' ἔντερον καὶ μᾶλλον ὀνήσει ἢν ἀκρατέστερος ᾖ: quod eſt.id vero neminem latere debet,quod ſuperiora quidem omnia & veſicam vt minus lædit,ſi magis aquoſum ſit,ita meracius inteſtinis magis auxiliatur. Quemadmodum E
etiam 3.de morbis(ad libri calcem)quando vini veteris Thaſij partem vnam cum 25. aquæ partibus miſcet. Vbi etiam ardentibus febribus(inquit)proſunt & vina alba aquoſa ex vuis paſſis: proſūt etiam vuarum paſſarum expreſſarum retrimenta aquoſa.Cęterum rectus mixturæ modus (vt arbitror) erit, ſi tantum aquæ vino admiſceatur, vt & ad albidum vergat, & inodorum ferè ſentiatur.

Hæc

A Hęc obiter de vino paucifero.& aquoſo ad propoſitũ reuertamur.

De reliquis vinis vrbi Vicinis quæ cruda vocantur. *Cap. XVI.*

ARicinum, quale ferè Albanum eſt, & ſubſtantia & colore & durandi perſeuerantia; ſapore aliquantulum differre videtur. Vt enim illud ad ſuaue, ita id ad auſterũ nõnihil ver
B git; vtpote quod antiquam naturam ſuam adhuc ſeruet: nã olim non leuiter, vt nunc, ſed maxime auſterum erat. Id quod Plin. lib. 14. cap. 1. his verbis ſignificauit, inquiens. Miratum altitudinem earũ (id eſt, vlmorũ Ariciæ) ferunt legatũ Regis Pyrrhi Cineam facete luſiſſe in auſteriore guſtu vini, merito matrem eius pendere in tã alta cruce. Hæc Plinius: Aricinum vinum antiquitus inſigniter auſterum fuiſſe oſtendens.

Caſtelcandolphium & album & rubrum inuenitur, Albano
C non abſimile eſt: ſeruatur quemadmodum & illud, differt tamen quod aliud leuius, aliud aliquanto validius: illud æſtate, hoc hyeme, optimum: neutrum lædit caput: vtrumque grati ſaporis, ſtomacho accommodatum, præcipue quod paulo robuſtius; id enim ad Centuli naturam, de quo infra loquemur, accedit.

Marinium, album dumtaxat eſſe dicunt, ſanè quale Albanum album, ſimiliter ſeruari, ſtomacho arridere, molle ſentiri, hoc eſt & defæcatum eſſe, & aſperitate carere.

D Fraſcathium plerumq. album & pauciferum & acidum, neq. admodum gratum eſſe.

Ruffinęum & Villęum, breui ferme interuallo, huic proxima, & alba & rubra, non inferiora tamen Albano vino eſſe.

Cæſanium, frequentius rubrum, quàm album haberi, facile coqui, ſtomacho idoneum, mentem nequaquam tentare.

Anguillare, tale quoque nimirum eſſe, ſed iucundum magis ac firmius: in cratere hilariter ſubſilire, tam hyeme quàm æſtate po-
E tui conuenire, ſtomacho accommodari, facile in alterum annum ſeruari.

Brachianæum, & colorem & facultates Anguillaris vini ferè imitari.

Piſciarellium, Brachiano proximum loco eſt, album (vt plurimum) ſed tantæ iucunditatis ac lenitatis, vt ægris tutò (quemadmodum opinantur) dari poſſit: proinde ſtomachum iuuare, ca-

put mini me lædere,vires cito reficere. A

Monteranum,inter Piſciarellium & Anguillare, medium eſſe: ſæpius nigrum quàm album: ſtomacho placere,ſubſilire,ad bibẽdum inuitare.

Tolphanum non facile coctu, ſed ſubdurum, in loco proprio melius,album rubrumve eſſe:aliò vectum ſæpe non reſpondere.

Cæreueteranum,Tolphano in colore ſimile,ſed ſuauius & aliquanto leuius; nonnihil tamen ſubduri interdum obtinere;quod in quo non eſt,id optimum eſt:non difficile conſeruari. B

Caprarolanum, eſſe pauciferum cum odore quodã exiguo,ſed pergrato, quod aromatis inſtar appellant:quoddam ſubauſterum, quoddam ab hoc,ad ſuaue declinare:neutrum obeſſe capiti: vtrũque prompte coqui niſi forte in omphacij ſaporem degeneret; ęgris qui vino indigẽt, ſecure porrigi; vbi naſcitur,ibi valde probari;illinc aliò tranſlatum,niſi cella uinaria in qua reponitur,frigidiſſima ſit,paruo negocio ſuis viribus deficere, ſubinde coaceſcere. C

Canapinum, ſiue album ſiue rubrum, aliquanto validius Caprarolano;in reliquis præter illam odoris gratiam,ferè ſimile.

A Canapino tum Valleranum tum Iulianellum nõ admodum differre.

De vinis Urbi propinquis,quæ loci eiuſdem,aliqua cruda, aliqua cocta, nuncupantur. Cap. XVII.

D

HÆc de vinis quæ Vrbi vicina ſunt & cruda vocantur: ſequuntur ea quæ, nunc cruda,nunc cocta ſunt.

Nemæum igitur & Ienzanium, ferunt, vbi cocta ſunt, Cauino & Zagarolio comparari;vbi cruda, Aricinum ſæpius æmulari; ac Aricini nomine,ob ſummam ſimilitudinem,Romæ paſſim venundari,eſſeque tum alba tum rubra.

Iulianium,quod crudum eſt, magis auſterum eſſe,non diu durare,quod coctum, non admodum valere. E

Anagninum & Vallemontoniũ à Iulianio vbi cocta non ſunt, ſimilia inueniri,cocta vero longe meliora eſſe, diutiuſq. ſeruari.

Præneſtinum & Palumbarium;ſi cruda fuerint, nõ alba ſed rubra videri, vtraq. tã cruda quàm cocta & potẽtia & durabilia eſſe.

A *De Vinis exteris, quæ ab vrbe valde diſtant. Cap. XVIII.*

HActenus de vicinis Vrbi Romæ vinis, longinquiora ſequuntur. Ex his quædam ſub Neapolis ditione ſunt, hoc eſt tum Campana, tum Calabra. Calabra in quam vt vulgo nunc appellantur, quæ ſcilicet vltra Silarim fluuium quo Lucania quoque includitur, inueniuntur: quædam Sicula, alia Corſica, alia
B Liguſtica, & vt dicunt Ianuēſia, aliqua Portherculea, aliqua Gallica, communiter quidem dicta, ſed è Narbonenſi prouincia potiſſimum aduecta. Ex Campanis eſt græcũ quod è Summa vocatur, Græcum è reſina, græcum Sanctanaſtaſium, græcum Octaianum forte Octauianum, græcum è Turre, græcum Pauſylipum, græcũ ab Iſchia, quæ inſula Oenaria eſt. Poſt hæc vinum Latinum, lachrymũ, Allianicum, Maſſaquanũ, Mazzacane vulgo, dicitur, Sanctoſeuerinàs, Magnaguerra, Aſperinum, Vernoticum, Pauſylipum
C minus, hoc eſt pauciferum, Salernum. Hæc vina in Campania gignuntur.

Inter Calabra (vt diximus) numeratur Aeropolium, Caſtellabbatium, Montemaurium, Acciaiolium, lagnionium, Policanum, Peſciotthium, Centula, Sanctoioanneum, Scalea, quod Laum ab aliquibus dicitur, Oſſomartium, Cyrella, quod Clarellum nuncupatur, Beluederium, Paula, quod album & quod rubrum: Falſanicum appellatum, Guarnaccium, Vernotium quidam vocant,
D Tropium vinum quod Tropææ eſt. Hactenus Calabra.

E, Siculis pauca huc vehuntur, nempe duũ dumtaxat generum, videlicet alterum Carinole, alterũ quod priuatim Siculũ dicitur. Corſicorum eſt Petranigrum, Centurium, Capocorſium, Brannũ Elbanum, quod in Ilua inſula, quæ prope Cyrnam eſt, oritur.

A'liguria, quinqueterreum, Razzeſium, Moſcatellum quod aliquibus Appianũ eſt. Item Moſcatellum eius loci qui Taglia'nominatur, adhæc alia quædam vina paucifera. Portherculea vnius
E generis ſunt.

Gallica, quæ Prouincialia quoq. vulgo dicuntur, & alba & nigra ſunt.

Nec ignoro multa prætermiſſa eſſe, pleroſque exiſtimaturos, quando ſuum cuique placet; idque dum fieri poteſt, & à diſtantiſſimis locis huc aſportari ſtudent, ſed de quibus apud Romanos frequens conſenſus eſt, hæc ſunt.

De Vino Græco. Cap. XIX.

GRæcum igitur è Summa,nobiliſſimum eſſe putatur: naſci-
tur in ſuprema Væſuuij montis decliuitate, vbi Summa op
pidum eſt, & rura quædam quæ vulgo Trochia, Pola &
Maſſa dicuntur,id auri colore fulget,odore non vaſtum, non ag-
grauans, vt Veliternum,ſed gratum,ſapore iocundum; quo recen
tius poſtquam perfectum eſt, eo ſuauius:quanto vetuſtius, tanto
aſperius.Vinis pręter Veliternum,omnibus quæ hic potantur,ge- B
neroſius,validius,præſtantius:nigrum non inuenitur; longo tem-
pore durat, non facile coquitur, multum nutrit, noxium eſt ijs
qui abunde comedunt;præſertim pueris & mulieribus,niſi forte
continentes ſint: quum enim affatim comedirur, ſimulque vi-
num præpotens bibitur, venæ potu implentur citius, quàm à
cibis aliquid ſubinde trahant: quamobrem alimentum in ventre
relictum, præter naturã,nimis putreſcit, cibi quoque ipſi, quo-
niam illorum coctio exilatio eſt, dum vino ita robuſto coquũtur, C
duriores fiunt.vt exemplo carnium,ſi hæ vino, illæ aqua bulliant,
videre licet, tardiuſq. ſecedunt. Obeſt difficile mingentibus, tum
quia vrinam citat,tum maxime,quia vinum,vbi in ventre permu
tatur, in acidum perinde ac in acetum corrumpitur: vt quiuis ex-
periri poteſt ſi quando ſanus paulo poſt cibum vomat: quemad-
modum etiam ſupra docuimus.Acetum vero veſicæ contrarium
eſt; tanto autem magis, quanto validius vinum ex quo creatur,
extiterit: officit capite infirmis,vẽtriculo imbecillibus,eos qui car D
nibus copioſè veſcuntur, mirifice lędit,illos qui abſtinent, ſi reli-
qua non immodice ſumant,ſatis iuuat.His qui plurimum exercẽ-
tur, non inutile, ocioſis,niſi parum comedãt, ſemper ſuſpectum
eſt:nocet æſtate,niſi dilutiſſimum potetur,contra prodeſt hyeme:
expedit tum parce comedentibus,tum ieiunantibus: capite inte-
gris,ventriculo robuſtis,vbi modus adeſt,numquam officit.Sed ſi
verum eſt quod alteri vino permixtum, facile permutetur: id non
modo cum aqua ſed cum vino altero potum,in ſtomacho facilius E
alterabitur atq. coquetur.Hoc apud antiquos,id genus eſſe quod
gręcum dicebatur,nonnulli exiſtimant,tum quia nomine eodem
inſignitur,nam vt hoc noſtra ætate gręcũ, ita illud, olim græcum
appellebatur: tum etiam quando adeo eximium eſt, vt quale pri-
ſcorum græcũ, cui tanta erat gratia(quemadmodum Plinius lib.
14. inquit) vt ſingulæ potiones in vno conuictu darentur; tale

quoq.

A quoque id nunc eſſe videatur. At vero quia græcum priſcis temporibus bifariam vocatum fuiſſe reperimus; aut enim græcum ſalſum vt Celſus lib. 3. aut græcum ſimpliciter, ſine vlla alia vocis alterius adiectione. Græcum ſalſum non eſſe vinum id, de quo nũc diſputatur, notius eſt quàm quod vlla egeat probatione. illud enim aut cum ſale aut cum aqua maris ſaporem ſalis adhuc habente cõficiebatur: vt apud Catonem. de re ruſt. apud Colũ. lib. 12. & Plin. lib. 14. videre licet. Noſtrum vero græcum (vt omnes norunt) nihil omnino ſalis aut marinæ aquæ, vbi integrũ eſt, recipit. B quamobrem græcũ ſalſum non erit. Dicet aliquis, illud eſſe quod marina quidem aqua condiebant, ſalſum tamen (vt Palladius innuit) non erat: quippe cui marinam per annum ſeruatam, omnis amaritudinis & odoris expertem, ac ætate dulceſcentem (ita enim ſcribit) admiſcebant, id quod & iocundum & gratia tanta quantã illi Plinius tribuit, eſſe poterat. Sed hoc non minus quam illud refellitur, quandoquidem noſtrum ſine alterius liquoris mixtura C paratur.

Si ergo græcum non quod ſalſum, non quod aliqua re conditum, ſed quod fortaſſe purum & ſimplex antiquis erat, eſſe putaueris: atque id non in tota Græcia, ſed in aliquibus eius locis (vt veriſimile eſt) fuiſſe cõceſſeris: fatearis oportet: aut Lesbium aut Thaſiũ, aut Coum, aut Rhodiũm aut id genus aliud extitiſſe, quæ, quũ hucvſque incompertum ſit, an ita ſe habeant, ſcilicet quod græcũ antiquitus ſine aliqua conditura eſſet, quod non in vniuerſa græ-D cia, ſed in Rhodo, aut Lesbo, aut alicubi ſpeciatim gigneretur; incompertum quoque ſimiliter hactenus erit, an græcum in Veſuuio monte genitum, à vino, quod græcum olim nuncupabatur, ſuum genus ducat.

Quidam volunt Falernũ eſſe, quoniã & colore aureo ſicut illud & ęque validum & celebratiſſimum eſt: alij Amineum. Non fuiſſe Falernũ complura ſuadent, primum quia græcum de quo agitur, in monte Veſuuio efficitur: Falernum vero in agro qui Fa-E lernus appellatur: alter autem ab altero (vt exiſtimãt) differt: deinde Falernum, non modo album, ſcilicet aureum, ſed etiam & rubrum & nigrum inueniebatur: gręcum vero noſtrum, non niſi album (vt communiter dicitur) eſt: præterea creditum eſt Falernum (vt lib. 23. Plin. inquit) obſcuritatem viſus facere: id hactenus de græco noſtrate numquam auditum eſt.

Qui Amineum eſſe contendunt, ita probare nituntur: Amineæ vuæ

n ææ vuæ auctoribus tum Columella tũ Plin. in monte Veſuuio A
naſcebantur, harum quum quinque genera ſint: minor vt Plinius lib. 14. docet, in monte Veſuuio, Surrentiniſque collibus germinabat; principatus (vt ibidem inquit) vuis amineis datur: propter firmitatem ſenioq. proficientem, vini eius vbiq. vitam. Vnde Poetã.

Sunt & Aminææ vites fortisſima vina:

Vuæ ex quibus græcum noſtrum conficitur, in monte Veſuuio pullulant, paruulæ ſunt, quales amineæ minores. Vinum ex his firmiſſimum inter omnia vina cenſetur, principatus illi tribuitur; græcum igitur iſtud aminæi genere comprehendetur, ita quidem argumentantur. Sed ij non minus quam priores falſo ratiocinantur: quamobrem nihil fermè probant. Adde quod Aminæum vinum, aliquod erat rubrum, nigrumve, quum vuæ quædã Amineæ nigræ vt Plin. lib. 14. narrat, quas Syriacas vocabãt, reperirentur; græcum vero noſtrum (vt diximus) nigrum rubrumve non eſt: præterea quoddam Aminæum erat auſterum, vt Celſus lib. 4. meminit, in noſtro græco auſteritas aliqua ſpeciatim non inueni- B C
tur. quo circa græcum quod nos modo potamus, neque græcum antiquorum, neq. vinum Falernum, neq. Aminæum eſſe videtur.

Sed his reſpondere quod græcum noſtrnm non modo album ſaporeq. iucundum ſed etiam nigrum rubrumve ac auſterum eſt, quoniam in monte Veſuuio, vina quædam tum rubra nigraue tũ auſtera naſcuntur: rectũ ſanè reſponsũ exiſtimari poſſet, ſi græca ſimiliter illa, quemadmodũ Falerna, & alba & nigra ſeu velis & ruffa & rubra, nuncuparētur: ſed quia nominibus alijs appellãtur, diuer- D
ſiſq. facultatibus conſtant, veriſimilius eſt aſſerere, græcum noſtrũ neque rubrum neq. nigrum neque auſterum eſſe, quàm ſe ſe varijs & ſæpe contrarijs de hoc eodem dubitationibus paſſim emergētibus quotidie confundere, perpetuoq. contendere, & ferè quum de vino generoſo Romæ diſſeritur, toto die nihil aliud agere quàm has de græco rationes probare, illas refellere.

Vtcunque igitur dicatur, quia iam longa experientia notum eſt, quænam & quantæ qualeſq. ſint græci noſtratis vires: plus E
temporis conſumere ad intelligendum quod nam vinum id antiquis fuerit, ſuperuacuum eſſe videtur: præſertim quum ſi apertè ſciretur, nihil magis conferret, quàm id dumtaxat nouiſſe quod verbi gratia vinum Aminæum, antiquorum eſſet. Cætera namque illius facultates reſpicientia, non veteribus ſed noſtris experimentis, niſi forte vetuſta præſentibus reſponderent, credere iuſtum eſt

quum

A quum ſua quibuſq. terris tempora ſint, ſecundum quod rerum prouentus occaſuſq. iunguntur, & aliud vinum locus non modo alius, ſed idem, alio tempore interdum efficiat.

Hæc de vino Græco quod è Summa, ſimulq. de eo quod è Trochia, Pola, &, Maſſain væſuuio monte, nuncupatur, (eadem enim & ratio & bonitas horum quatuor eſſe creditur) dicta ſufficiãt.

De reliquis vinis exteris. *Cap. XX.*

B GRæcum reſinæ, tradunt ij, qui de vinis noſtra ætate rectius iudicare exiſtimantur, minus gratum quàm græcum quod è Summa vocatur, eſſe, facilius concoqui, ſtomacho magis accmmodari, caput minus tentare, diu conſeruari.

Græcum Sanctanaſtaſium eſſe craſſum & pingue, de proprio colore in alienum prompte mutari, ſtomacho non parum officere. Græcum Octauianum ſimile huic proxime dicto ſtatui debere: à mercatoribus tamen cum græco Summano miſceri, mox albumi-

C ne ouorum adiecto clarificari, deinde pro Græco Summano, ſed leuiore & ameniore venire.

Græcum è Turre, pingue vt plurimum dulceq. eſſe, guſtatum delectare, ſtomachum recreare, non diu ſeruari, in nigrum degenerare.

Græcum Pauſilipi montis omnium optimum & leue & guſtui iucundum & ſtomacho gratum, vrbanis & nobilibus, qui nõ valde robuſti ſunt, præcipue conducere, mentem per ſe non tentare,

D facile coqui, ſuauiter nutrire, ſyncerũ longo tẽpore perſeuerare.

Græcum Iſchiæ, hoc eſt Oenariæ inſulæ, naturaliter cito maturari, ſtomacho proficere, non difficulter coqui, caput per ſe non ferire; priuatim vero quod ruris tũ Foriæ tum Panzæ vocatur, ſine pingui penitus eſſe, labra exugere, ſorborum inſtar: vt os, ita ferè ventrem adſtringere.

Si tamen dulce fuerit, alijs huius inſulæ omnibus anteponi: vt pote quod & melius ſit, & aluum minus ſupprimat: in æſtatem

E nullo negocio deduci. Hæc de vinis, Græcis quę Romanus Populus bibit.

Vinum Latinum in eiſdem locis, vbi Græcum è Turre fit, gigni; album (vt communiter dicitur) & ſubcraſſum & dulce potiſſimũ eſſe, hyeme placere, celeriter nigreſcere, obſtructiones parere, æſtate in acetum abire.

Lachrymum quoque optimum in monte Væſuuio creari, colore

lore rubellum, quod clarettum appellant, ſtomacho proficuum, A
potu delectabile, non ægrè concoqui, in annum integrum & vltra perdurare.

Allianicum eſſe rubrum, & propè nigrum, ſubſtantia craſſum, odorum quidem, ſed capiti non officere, guſtui ſuaue, appetitui arridere, difficile tamen coqui, aluum compeſcere, integrum longiſſimo tempore perſeuerare.

Maſſaquanum ruri præcipue quod Vicum nũcupant & apud Surrentinos colles naſci, valde quum tenue tum leue: colore au- B
reum, ſapore nonnunquam acidulum, ſæpe omphacinum, ſtomacho cibi parum accipienti, non opportunum; multum verò ſumenti, vtilius quam vllum aliud. in æſtatem difficulter trahi, nec tarde nec moleſte coqui: capitis dolorem, id quod mirum alicui videri poteſt, nonnullis afferre, forte quia tum ab his plus eius potatur, tum ſua tenuitate in caput velocius repit, vbi poſtea calore præſente, contra quàm aqua craſſeſcit, denſatur, diuturniorem moram ducit, ſubinde frequentiore potu adauctum, cerebrum im- C
plet, huius membranas diſtendit, doloreq. ſed breui, quia propter tenuitatem, & infirmitatẽ partiũ eius, non tarde diſcutitur, afficit.

Sanctoſeuerinàs, rubrum, pauciferum, concoctu facile, ſapore omphacium debile æmulari: egeno ſtomacho parumque ſumenti ſæpius inutile, nonnumquam noxium.

Magnaguerra, in eiſdem penè locis fieri, vinum craſſum inſigniter & rubrum, & dulce, cibi potuſq. vicem ſubire, obſtructiones ingenerare, periculoſe frequentari. D

Aſperinum contra, album apud Capuam, Auerſam, Gioianum, Sanctum Antimum naſci; non ægrè concoqui, in æſtatem difficulter traduci, per id tempus tamen potiſſimũ placere, ad ſtomachum veluti Sanctoſeuerinàs ferè ſeſe habere.

Vernoticum, & album & Nolæ gigni, Aſperinum quidem imitari, ſed melius eſſe: ſtomachum enim minus lædere, facile ſuperari, potui iucundum, ſapore non ingratum, æſtate ſeruari.

Vinũ Pauſylipi montis, quod pauciferum vocant, album & ru- E
brum & molle, quemadmodum antiqui dicebãt hoc eſt defæcatum eſſe; & aſperitate carere, quod vulgo maturum appellamus; nõ difficile coqui, ſtomacho accommodari, hyeme & æſtate quibus caput infirmum eſt, proficere.

Vinum Salerni, vt plurimum colore inter rubrum & rubellum eſſe, aliquando tamen ſed raro albũ, hoc eſt aureum, ſubruffum ve

aut

A aut ſubfuluum,vtrumque guſtui iucundum,ſtomacho idoneum,
caput non lædere, ferè mediocritatem,quoad vires attingere, in
æſtatem perdurare.
Vinum Acropolis, album, contactu aliquantum tenaci,labris
hærens,lappoſum vocant,ſubauſterum guſtui,diu non ſeruari.
Caſtellabbatiũ,ab albo intẽſi coloris ad fuluum,validũ,familię
idoneum,concoctu non facile, longiſſimo tempore perdurare.
Vinum Montis Mauri,& quod ſupranum,& quod ſubtanum
B dicitur,quod item Cannichij,& celſi,album eſſe(vt communiter
album appellatur)ſapore gratum,durabile,familiæ idoneum.
Acciaiolium, lagnioniumque, vtrumq. album,præpotens, diu
durare,caput ferire.
Pollicanium,viribus ingentibus eſſe, Guarnaciam modo quo-
dam præſe ferre,album quidem ſed ad rubellum accedere:conco
ctu aliquantum contumax,ſeruis & ruſticis aptum.
Peſciothium, quod album, Centulæ ſimile, contactu tamen
C paulo tenaciori,labris hærens & ſubaſperum,& concoctu durum:
æſtate ſi magnus fuerit ęſtus, facilè corrumpi,quod vero nigrum,
non æquè frequens eſſe,ſed iucundum & aſtringens.
Centula,quidem albuni,olere violas,ſtomacho cõuenire, ſine
moleſtia coqui,caput non lædere,ſanis & ægris conducere,leuem
quandam tenacitatem guſtu præſeferre, in annum alterum inte-
grè traduci.
Sancto ioannæũ,leuius quàm Centula eſſe,minus tamen molle
D vt Latini dicunt, & guſtu & potu placere, quum ſanis, tum ægris
ferè tuto præberi.
Scalea, colore pulchrũ ſubruffum,nõnihil tenacitatis ori affer
re,odoratum eſſe,potu iucundum,ſtomacho non obeſſe:per æſta-
tem prompte corrumpi,in acidum degenerare.
Oſſomartium,ſubaſperum,acidulum,albidulum,ſtomacho ta
men non officere,non diu ſeruari.
Cyrella,colore aureo,aut ruffo,aut ſubfuluo,ſplẽdeſcere:modi-
E ce odorare,caput non offendere,ſapore ad ſuauem accedere, ven-
triculum roborare, non difficulter coqui, denique & ſalubre &
durabile eſſe.
Vinum Mauræ,Griſoli, & Abbatis Marci,locorum circa Cy-
rellas,ſimilia quidem Cyrellę ſed nec ita diu durare,nec adeo per-
fecta, nec ſaporis æquè iucũdi eſſe,nec ſtomacho pariter arridere,
non tamen illi officere,ſed potius prodeſſe,caputq. non lædere.

Beluederium, quod album vocatur, aſpectu perpulchrū videri, ſtomacho non diſplicere, moderatè quidem robuſtum, ſed nō admodum durabile eſſe. Quod autem rubrum ſimiliter, aſpectu delectare, ori non prorſus arridere, nimis enim illud exiccare tradunt, proinde podagricis conuenire, integrum diutius, quàm album permanere. A

Paula, quod album, ad rubellum prope accedere, robuſtiſſimū eſſe, familiæ congruere, Guarnacij ſaporē æmulari, difficile coqui, caput replere; quod vero rubrum, Falſamicum vocatum, valde craſſum eſſe, intenſiq. ruboris ad nigredinem, ſtomacho accomodari; ſyncerum, vtrumque diutiſſime perſeuerare. B

Guarnacium, quod quidam Vernatium malunt appellare, id quod Acciaioli fit, & perfectum & ſuaue ac ſtomacho valde amicum eſſe, quod vero Sancti Niceti vocatur, ſimile quidem eſſe, ſed adeo poteris, vt ſemel potum, vix iterum bibi ſine noxa poſſit: vtrumque caput implere: longiſſimo tempore perdurare.

Tropium, non diſſimile quidem Guarnacij apparere, ſed conſeruatu fallax eſſe, ſeruis & ruſticis conuenire. hæc de vinis (vt dicunt) regnicolis. C

De vino Siculo.

Vinum Carinolæ, guſtu, colore & ſapore prope par Græco videri, ſed nec adeo gratum, nec adeo perfectum eſſe, diu durare, non ſępe tamen huc aſportari.

Reliquum quod Siculum, generis nomine vocari diximus, album quidem intenſi coloris ad flauum eſſe, viribus ingentibus pollere, hominibus exercitatis, & plebi potius quàm magiſtratui competere, durabile quoque eſſe, ſed interdum aceſcere. D

Vinum Corſicum.

Petranigrum, guſtum delectare, ſuaue ſentiri, cæteris Corſicis anteponi, hiſque diutius integrum perſeuerare, obſtructionem tamen parere.

Centurium, dulce quidem & gratum, ſed æſtate aceſcere, bibētium corpora facile obſtruere. E

Capocorſicum, à mercatoribus ſępe conditura dulcius reddi, caput ferire, potores obſtructionibus afficere.

Brannum, ſaporis pinguis omnino expers eſſe, proinde aſciuttum, vel exuccum vocant, ſtomacho minus officere, non diu tamen perdurare.

Elbanum

A Elbaunm,leue,albidulum,auſterum;rarò molle, quod maturũ appellamus,inueniri;ſyncerum multo tempore conſeruari.

Vina Liguſtica.

QVinque terreum, ſed maximè razzeſium, Græco æquale propè eſſe; ſapore iucundum, aureo colore ſplendeſcere, non æque, atque Græcum, vaporare, proinde caput minus percutere; facilius coqui, palato magis arridere, non breB ui durare.

Apianum quod aliqui etiam vocant Hippocraſium, valde nutrire, mirabiliter pinguefacere, Guarnacij colore paulo magis album, integrum diu perſeuerare, raro tamen huc aduehi.

Moſcatellum,præcipuè loci,qui Taglia nũcupatur, & optimũ & durabile eſſe;ſapore pergratum, colore aurum imitari, obſtructiones nihilominus ingenerare,

Pauciferum è Liguria,tum album tum rubrum, capiti non obC eſſe,ſubaſperum, atque auſterũ ſentiri,æſtate,niſi in cellis vinarijs frigidiſſimis reponatur,modico negotio euerti.

Vinum Portherculeum.

ID quidem non frequenter haberi, ſed ſtomacho conducere, ſuauiter odorare,ſycerum facilè conſeruari, & omnino mediũ inter Græcum & Cyrellam videri.

D

Vinum Gallicum.

VInum Gallicum,quod è Narbonenſi prouincia Romam aſportatur, tum album,tum rubrum eſſe, vtrumque ferè fugiens, neque admodum durabile. Album, quoddam ſuaue, quoddam ſubauſterum: id colore albidulum,quod blanchettum vocant.Illud aureũ, atque hoc ipſum ſtomacho arridere, congruere, opitulari; rubrum hyeme quidem iucundum eſſe, ſed adſtringere,& æſtate leui negocio aceſcere.

E

De Aceto & defruto. Cap. XXI.

CÆterum & acetum, & defrutum, quod ſapam vocant, etſi nec poculenta, nec vina,ſed condimenta ſunt; in hũc tamen de vinis numerum, quoniam illud ex vino, id ex muſto fit,meritò aſcribi poſſunt.

Acetum igitur aſtringit, refrigerat,veterem tuſſim lenit,recen-

tem irritat, ſitim ex calore natam cum aqua potum, ſedat, neruos A
lædit, malancholicis obeſt, corpus attenuat, oculis intro ſumptum
officit, mulieribus magis, quàm viris aduerſatur, vtpote quod vte-
rum dolore cruciet: quod acre eſt, (ſiquidem pungit, non alit) aluũ
magis ſiſtit, quàm ducit. Cum acetarijs, cum alijs cibis, cũ potibus
condimenti loco vtiliter miſcetur.

Sapa.

DEfrutum, quod & ſapa vocatur, (vt auctor de Diæta, ſiue B
Hippocr. ſcriptum reliquit,) calefacit, humectat, ſubducit.
Calefacit, quia vinosũ; humectat, quoniã nutrit: ſubducit.
ſiquidem dulce. ſubſtantia craſſa eſt, inflat, ſtomacho noxium, cũ
lente, quoniam incraſſat (vt Galenus quoque docet) iungi non de-
bet: quum verò meatus (vt idem eſt auctor) maxime obliniat, mi-
rum non eſt, ſi Dioſcorides illud, ſtypticum appellarit: ſi tra-
diderit, prodeſſe veſicæ ac renibus, dum eroduntur, ac exulce-
rantur, facere item contra venena omnia, quæcunque exulcera- C
tione perimunt; in quem vſum cum oleo bibitur, & vomitioni-
bus redditur; commiſtum his, quæ tenui ſubſtantia ſunt, præcipuè
verò acidis, vt non parum delectat, ſic in illis tenuitatem tempe-
rat; in his acoris vehementiam ſedat.

LIBER

A LIBER TERTIVS.

De Eſculentis. Cap. I.

VINA, quibus vrbs Roma ferè communiter
vtitur, hæc ſunt; tempus eſt ad eſculenta ve-
nire. In quibus recenſendis, ſi multus, & for-
taſſe moleſtus fuerim; quum medici complu-
res, & veteres, & iuniores de his abunde ſcri-
B pſerint: ne miretur aliquis, aut cauſam requi-
rat, cur ego hęc eadem, hunc in locum pari-
ter tranſtulerim, & quaſi acta egerim; maluerimque in his verbo-
ſus videri, quàm huius vitij culpa vacare. quia non ſolum medici-
næ peritis hæc ſcribimus, ſed etiam multitudini hominum, qui ſa-
nitatem ſuam in hac vrbe tueri cupiunt. Hos igitur, dum eſculen-
torum ſermonem fecimus, vt quæ & qualia ſint, intelligant, decet
non hinc aliò ad medicorum commentarios mittere: ſed illa ea-
C dem, in hoc opere vt promptè reperiant, exarare; ne dũ ea hic non
inueniunt, nimis diu animis pendeant. Ad propoſitũ reuertamur.
Sed ſi lectorem ante monuerimus, eſculenta omnia ſuccum craſ-
ſum, lentumque in ſe ipſis obtinere; quippe quæ in corporis no-
ſtri ſubſtantiam vertantur; quale id ipſum eſt, euadant, oportet. Id
verò craſſitiei, lentoriſque particeps eſt. Craſſities nãque ad molẽ
corpori addendam, vel reparandam; lentor ad illam affigendam, &
retinendam, confert. Cæterum quædam magis, quædam minus,
D his facultatibus pollent: ſi altera deficit, nutritio recta non ſequi-
tur: neque enim ſatis eſt, craſſum eſſe ſolum quod nutrit; tale nãq.
non neceſſariò adhæret, non facile affigitur, quale fieri nutrimen-
tum poſtulat. Neque item lentum dumtaxat eſſe, ſufficit. Siqui-
dem alimentum augere corpus noſtrum & implere, quod defi-
cit, debet. Lẽtum verò, niſi craſſum ſit, neutrum per ſe poteſt. Quũ
enim id ſuapte natura extenuari quam maximè ſoleat, per ſe neq.
corporis molem augebit, neque cauitatem eius aliquam imple-
E bit. Quæ tametſi vinis etiam, quoniam alimenta ſunt, conueni-
re videntur; quia tamen clarius in his, quàm in illis reperiuntur,
maluimus ſermoni de cibis, quàm de potibus, hæc eadẽ inſerere.

Eſculenta igitur ab animalibus, & à plantis potiſſimum petun-
tur: (ſi quis tubera, fungos, & huiuſmodi alia his complecti nolit,
quia pauca ſunt, parum admodum refert.) Animalium nomine
tum terreſtria (cum quibus volatilia comprehendimus) tum aqua-

tilia,tum inter hęc media,intelligimus.Ex plantis itaq.ſunt herbę, A
quarum nomine olera intelligimus, radices,coliculi,quos aliqui
aſparagos vocant,folia,flores,fructus,ſemina.

De Herbis.

HErbæ,ſi ad bruta referantur,boni ſucci ſunt. His namque illa paſſim veſcuntur, pingueſcunt, & optimo ſanguine prædita reperiuntur:ſin ad homines,dubitari poteſt.Complures enim his neque continenter, vt bruta;neque bene, ſed male nutriuntur;præſertim ſi ſolis his veſcantur.Quamobrem Gal. 2. B de alimentis, & libro de ſuccorum bonitate ac vitio, olerum nullum,excepta lactuca,boni ſucci eſſe ſcribit. Si tamen intemperatum ſanguinem reſpexerimus, eundem ad bonum ſuccum ſæpè deducunt: illæ craſſum attenuando; hæ calidum refrigerando;aliquæ id quod tenue eſt,craſſum faciendo;& aliæ aliter: ita tamen ſi cum pane atque aliis cibis aſſumantur, in ſanguinem nō malum, ſed probum verti videantur.Cæterum animalia omnia,quum vētres ſuos alimentis implere continuè ſtudeant, homo autem ſua C diligentia, & plurima, & meliora ſibi comparet, atque vbi datur occaſio, ſe ſe illis infarcire quotidie ſoleat,(id quod non leuis multorum malorum cauſa exiſtit)herbæ ipſæ ab his periculis hominē crebrò tuentur: quippe quæ vel cum pane, vel cum alijs cibis deuoratæ vt parum habent alimenti, multum autem excrementi, ita ventriculum quidem replent, (quod omnibus, quæ alimentum aliunde quęrunt,maxime naturale eſt) ſed illum non ſinunt, nimia nutrimenti vtilis copia,quæ noxia ſemper eſt, laborare: quin D immò venarum oſcula, eo diſtento, quæ alioqui dum ille concidit, conniuent, attractioni patentia reddunt; vnde ritè concoctus ſuccus in venas commodius, & ſubit, & trahitur. Quæcunque item à populo paſſim eduntur, ferè omnes prompte ſecedunt, ſaturitatem immodicam prohibent, appetitum, eas eſſe conſuetis, excitant. Vbi nutrimentum vtile timetur, ne multa copia ſumptum officiat, ventriculum ſua mole implentes, à graui ſaturitate defendunt. Hinc & qui ieiunant, & qui frugaliter E prandent, vbi cænaturi ſunt, quia valde appetunt, ne nimium onerentur,acetarium in prima menſa ſummunt.

De Braſ-

A

De Braſsica. Cap. II.

Braſſica (vt Catonis verbis vtar,) omnibus oleribus anteſtat. Romę olim (vt quidam putant) in magno fuit honore: nullo non tempore à pleriſque comedebatur. Vndè fortaſſe natum eſt, quod adhuc in Vrbe, non ſolum hyeme, ſed etiam æſtate, quamquam æſtuoſa eſt, à non paucis in menſa ponatur. In tres ſpecies illam Cato diuiſit, Prima, vulgaris caulis, tum niger, tum albidus, expâſis, amplis, lenibuſque folijs, eſſe videtur. Secunda, quænā ſit, arioli oportet, niſi forte ſimilis factitio apio ſit, quod (vt Columella lib.11. docet) & lati folij, & criſpæ frondis, arte fit. Ad hoc igitur cum criſpatu, & cum folij amplitudine ducta comparatione, caulis noſtra tempeſtate, chriſpus, vulgò, riccius, fortaſſis erit. Tertia, caulis quidem niger, ſed natura paruus, qui à nonnullis, caulettus, dicitur, eſſe poſſet.

B

Sunt & aliæ quædam braſſicæ ſpecies: quæ à populo manduntur: nempe caulis thyrſutus, caulis cappuccius, ſiue capitatus, quē aliqui lacuturrim, alij tritianum nominant: caulis Bononienſis; hic Bononiā Romam vectus eſt, ſapore gratus, teneræ ſubſtantiæ, hyeme eſtur. thyrſutum (ſi verū eſt quod Columella tradit) ex vetere rapi ſemine braſſicā gigni: Cōtra ex braſſicæ, rapum: facile creditu eſt, rapi naturam, vt etiam illius figura præſefert, obtinere: perinde ac ex rapi vetuſto ſemine profectus ſit. Tum hic, tum lacuturris ęſtate, & autumno paſſim reperiuntur: ſed tanto alijs deteriores ſunt, quanto maior per æſtatem (vt inquit Dioſc.) braſſicæ acrimonia eſt.

C

D

Præter hæc quoque Cyma occurrit. Eſt autem cyma, ipſorum caulium delicatior, teneriorque cauliculus, quem (vt lib.19. Plin. aſſerit) à prima ſectione, proximo vere præſtant. Græci, κύημα, quaſi partum vocant: Latini aliqui & cymas, & cymata, dicunt, nec in braſſica modo, ſed & in raphano, & alijs quamplurimis, quamquam abſolutè cymam, non niſi de braſſicæ fructu intelligi putent. Hæc ex omnibus braſſicæ partibus, habita ad eam, vnde oritur, proportione, ſuauiſſima eſt. Nam (vt.2. de alimentis Gal.) minus, quàm braſſica ipſa, ſiccat. Tametſi aliorum olerum caulis temperatura eſt, vt plurimum, qua folia, ſicciore potiſſimū, quum iam prope eſt, vt ſemē profundant. Dioſcorides tamen ſtomacho vtiliora braſſicæ cymata, (inquit) verum maiorem acrimoniam habere, & ad ciendam vrinam efficaciore vi eſſe. Seruata eadem,

E

dem,ſaleq. condita,ſtomacho inutilia,& aluum turbare. A

Inter braſſicas, melior eſt criſpa; ſed quælibet,quia maioris eſt per æſtatem acrimoniæ,quia etiam ſiccat,ſalubrior hyeme, quàm æſtate.Suauior quæ pruinã experta fuerit,ſubcruda vtilior, quàm percocta:quippe ſubcruda ventrem mollit,percocta ſtringit:eoq. magis ſi non ſemel, ſed bis,donec tabeſcat,illã coquatur: id fiet ſi priorem aquam, vbi mediocriter cocta videbitur, effundentes, aliam calidam illico, ita vt neque aerem, neque frigidũ quicquã contingat,injjciamus. Alioqui(vt plerique crediderunt)non ſolũ B ipſa,ſed neque olus aliud, neque legumen, & ſi diutiſſime coxeris, plane tabeſcere poterit; ſiccandi, & abſtergendi vim habet, tum comeſta, tum foris impoſita. Vt vero ſuccus eius purgandi facultate pollet, ita corpus ipſum communi ſiccantium ratione ſiſtit magis,quàm ad deijciendũ incitet.Paucũ Gal.opinatur habere alimentum, idq. quam lentẽ humidius: vt quæ edulium eſt nõ firmum,ſed laxum:ſucci tamen eſſe non probi,vt lactucã, ſed praui, & graueolentis. Tametſi vero Hipp. libro περὶ παθῶν: Κράμβη (inquit) ἴσχει τινὰ δριμύτητα ἐς τὸ διαχωρέειν, καὶ ἅμα δ' εὔχυμος. quod eſt; Braſſica, C acrimoniam quandam habet ad ſeceſſum, & ſimul (latine ſcribam, quod Græce dicitur)euchyma eſt.Galeno tamen nequaquã aduerſatur. Non enim euchymam,ideſt boni ſucci (quemadmodum poſteriores, interpretari ſolent) eam eſſe putat; ſed euchymam,ideſt ſapore præſtantem, & cibo laudatam. Sicut Ariſt. 3. de animalium generatione, circa finem, de oſtreis loquens: διὸ, καὶ πρὸς τὴν ἐδωδὴν (inquit) γίνεται εὔχυμα, κατὰ τοὺς χρόνους τούτους,quod eſt. D Quamobtem ſapore per id tempus præſtant, ciboq. laudantur. Sed aliqui vſq.eo braſſicæ cibum alere dicunt, vt pueros ad citum perducat incremẽtũ, & tamquã lætiore ſagina, corpus exhilaret.

Quod vero ad vrinas attinet, Græcus quidam author,ducere tradit. Gal. tamen nihil ipſas inſigniter aut ciere aut morari: lentem, item & braſſicam æquali menſura ſiccare: ob idq. viſum hebetare: niſi forte totus oculus humidior fuerit, quam naturalis habitus poſtulet. Hoc forte modo verum eſt, quod Dioſc Tremulis (inquit) & quibus hebetiores oculi ſunt,in cibo ſubuenit: E non tamen deſunt, qui ſimpliciter aſſerunt, eam claritati oculorum multum conferre,ſucco crudę angulis vel tantum tactis cum Attico melle.

Fama eſt apud omnes,ſi ante cibũ ſumatur,vel cruda vel cocta ſit,crapulæ, ebrietatiſq. noxas diſijcere. Quippe Androcides,ſapientia

A pientia clarus, aduerſari vino, ac ebrietatem arcere, hoc prodidit exẽplo; quod vitis etiam, viua, braſſicæ fugetur odore. Vnde forſan Ægyptijs, qui magnopere vini ſunt amantes, moris eſt (vt quidam ſcribunt,) omnibus eſculentis braſſicam coctam in cibatu præmittere; quæ vini noxam inhiberet. Quarè id poſſit, adhuc à multis quidem deſideratur, ſed ſi quemadmodum in olla, tum, vbi à prandio in cœnam ſeruatur, tum vbi coöperta coquitur, nidoroſa, fœtida, quaſi peditus olens, efficitur; ita in ventriculũ ſiue cruda,
B ſiue cocta ingeratur, vapores malè olidos, hominiq; iniucundos, inibi quoq. exhalat, probabile eſt ab his ex ea, ante vini potũ in caput aſcendentibus, cerebri naturam, tamquam ingratis, ac moleſtis recedere, atque in profundum effugere. Deinde ſi verum eſt id, quod Galenus 7. methodi ſcriptum reliquit, ex offendentis con tactu, ſtipari, conſtringi, ac durari corpora, tenueſque eorũ meatus cogi, ac denſari; neceſſe eſt, cerebrum vnà cum ſuis membranis id ipſum ſentiens, ſimiliter in hoc ſtatu conſtringi, atque ſtipa-
C ri; ſuoſque meatus, veluti ante coactos, atque denſatos, superſalienti vino, vel minimè, vel parum explicare, aut certè vinum cum his miſtum, nec libenter, nec facile admittere. Proinde tum multo minus ab eo lædi, quàm ſi quid tale, qualis braſſica eſt, præſumptũ non fuiſſet; tum ipſam ebrietatis & crapulæ noxam euitare: quomodo & abſynthium, & amygdalas amaras, & alia huiuſmodi, ebrietatem, aut propter ſuam amaritudinem, aut iniucunditatem arcere, veriſimile eſt: nobis ob id nequaquam prohibẽtibus, quo-
D minus alia quædam ante vini potum aſſumpta, diſſimili ratione temulentiæ aduerſentur, veluti lactuca a nonnullis traditur; forte quoniam ita caput replet, vt per id tempus vino poſt epoto ne locum quidem vllum relinquat: quomodo etiam braſſica, non neglecta priori opinione, id ipſum efficere poſſet, quippe quæ, vt quotidie experimur, non leuiter caput implet.

Cæterum ea opinio, quòd braſſica crapulam ſedet, quia ſuccũ dulcem, diſcutientemque obtinet, & quoniam ipſa frigida eſt, vt
E multis difficultatibus ſcatet, ita iure prætermitti nunc poteſt.

Hippocrates eam calefacere, aluũ mouere, & biliosa ducere: ſecundo de diæta docet. Dioſc. aluum, & menſes, potũ eius decoctũ ciere. Græcus quidam auctor, pulmonem lædere, ſed, ſi cum pingui carne coquatur, plurimam læſionis partem amittere.

Non dixerim, ſi vulneribus imponatur, eadem conglutinare, mala vlcera, inflammationes induratas, & ægre ſolubiles, & eriſi-

L pelata,

pelata, id genus, & epinyctidas, & herpetes ſanare. Id enim excedit præſentis negocij terminos: neque item quod abſterſoria ſua facultate lepras curet, neque quod eius caules combuſti efficiant cineres admodum exiccantes, vt videlicet iam & cauſticam, ſiue adurentem vim participent: qua ratione ei veterem adipem commiſcentes ad inueteratos laterum dolores, & ſi quid eius fuerit generis, adhibent. Valenter namque digerens pharmacum efficiunt. Sed ſileam, an non, prorſus ambigo, quòd aduerſus fungorum venena aut ipſa edatur, aut ſuccus potetur? Ita boletis veſcentes, periculo liberet? quòd ictericis, & ſplenicis in vino nigro per dies 40. ſuccus eius potádus detur? tuſſim leniat? ipſa verò cocta quòd vocem expediat; atteriæ impedimentum emendet? quare ſtudioſi vocis, hac paſſim vtuntur? quòd inſomnia, vigiliasq. diſcutiat? quòd ſomnum efficiat? quòd vanas imagines dormientibus obuerſari non ſinat? quòd morbum articularem nulla res tantũ purget, quantum braſſica cruda, ſi quis eam edat cum ruta, & coriandro conciſam? Verùm qui caput infirmum habent, aut ocioſe viuunt, aut multis cogitationibus dediti, aut aluo adſtricta ſunt, hi neque braſſica, neq. eius iure, niſi forte aluus moueatur, vtantur. Sæpe enim tum hæc, tum illud, ab his aut difficile, aut vix coquitur: quod oſtendit frequens eorundem, poſt quam aſſumpta ſunt, ructus. Iam ſatis de braſſica: metuo ne quis nimiũ putet; deinceps de lactuca dicendum eſt.

De Lactuca. Cap. III.

LActuca ſatiua, priuſquam lac edat, natura magis refrigerat; ideo æſtate grata eſt: ſtomacho faſtidium, quod vel à calore, vel ab aliquo putri mouetur, aufert: cibi appetentiam facit: ebrietatem (vt quidam putant) prohibet: ſomnum conciliat: vapores, qui facile coagulantur, habet: id quod lac eius oſtendit: his ſpiritus cerebrum oberrantes ſurſum aggreſſa ferè conſtringit, denſat, vincit, & motui, & vigiliæ ineptos reddit. Sanguinem augere præ cæteris oleribus creditur, & idcirco lactis abundantiam parere: ſitim, quia frigida, & humida eſt, ſedat: aluum mollit, aut certe non ſiſtit: non difficile coquitur: calidis ventriculis prodeſt; elixa quoniam melius in ventre permutatur, maiore ad nutriendum efficacia eſt: cibum in ſtomacho non continentibus, illota, &, vt ex terra eruta fuerit, comeſta: quia guſtatui fortaſſe ſe magis iucundã præbet, opitulatur. Frequens eius vſus, quia ſe ſe mouentes in cerebro

A bro ſpiritus (vt proxime diximus) cogens, quaſi torpidos efficit; corporis debilitatē inducit; claritati oculorum officit: ad res Venereas minus procliue reddit corpus;ferè geniturā extinguit: fertur, eam,nocumentum, quod ex aquarum mutatione contingit, auertere; illiuſque ſuccum, ſi abunde ſumatur, venenatum eſſe, atque hominem perimere. Hanc vitent (vt aliquibus placet) qui ſanguinem expuunt,qui ſuſpirioſi ſunt;item qui pituitoſi,& qui liberis operam dare cupiunt.

B

De Boragine.

Borago apud pleroſque rei herbariæ ſtudioſos, bugloſſum eſſe putatur:vulgatiſſima eſt:ea maxime anteponitur, cuius folia iucundiſſime olent,& ferè peponis odorem imitatur. Hæc cibo gratior eſt:hæc in vinum deiecta,hilaritatem afferre,& ſuaui ſuo odore vires recreare creditur: quotidianis obſoniorum iuribus peculiari quadam gratia iungitur.Iis, qui ob faucium aſpe-
C ritatem, tuſſiunt, Galeno auctore, cocta in melicrato, conuenit: vrinam(vt poſteriores aliqui voluerunt)prouocat:ſitim ſedat: bonū ſanguinem generat:ictericis, melancholicis,animo deficientibus auxiliatur:caules, ſi tum elixi, tum crudi comedantur, hepaticos affectus adiuuant; flos acetarijs inſpergitur,ſed niſi diligenter ore atteratur, in ſtomacho præſertim pituitoſo, ferme non coquitur; quippe integer ingeſtus, ab alieno ſucco potius tabeſcit, quàm permutetur: vt in alui excrementis paſſim videre licet.Radix hye-
D me, vice folij, quum anni tempus illud non præſtat,manditur.

De Blito.

Blitum ſine vllo ſapore,ſine vlla acrimonia,iners & fatuum olus eſſe tradunt:ſic forte dictum,quod Græci aliqui,*βλίτον*, ſtolidum appellent: Biedone, ſiue bietone, vulgo nominatur.Vliginoſum, & aqueum eſſe cenſent, adeo, vt niſi quis illud cum aceto mandat(vt Galeno placet)ſtomacho noxium ſit. Bonā
E tantum facere aluum, nullaſque alias in medicina vires habere, Dioſcorides putat. Contra vero aliqui, aduerſus cancrum vlceratum valere. Item Plinius aduerſum ſcorpiones potum è vino prodeſſe; clauis pedum illini, lieni,& temporum dolori, ex oleo. Quinetiā Hipp.2. de muliebribus morbis, eo fluxum muliebrem ſiccare tentat;ſi verò non ceſſet, ſcilicet, fluor dictus(inquit) ſuſinum, aut blitum herbam,quæ velut lingua eſt, in lana ſubditítiū

efformato. Sed illud maxime mirum eſt, quod idem auctor 2. de A
Diæta: Blitum (inquit) calidum eſt, aluum non mouens; vtcumque
tamen ſiue ab his, ſiue ab illis dicatur, quod poſteriores blitum ap-
pellant, id non vrbanorum, ſed ruſticorum, & nō niſi in aliorum
olerum penuria, cibus eſt.

De Beta.

QVemadmodum Græci aliqui blito inſulſum adijciunt, ita
latini nonnulli betam Græce, τεῦτλοι fatuam vocant. Vn- B
de Poeta:

Vt ſapiant fatua, fabrorum prandia betæ,
O, quàm ſæpè petet vina, piperque coquus.

Duplex eius genus Græci quidam faciunt, nigram, & albam;
atque hanc Siculam appellant, quæ extrita littera, v, ferè ab omni-
bus noſtri ſæculi medicis, Sicla nominatur. Tradunt, nigram, cō-
peſcere aluum, albam mouere; vtrique nitroſam vim ineſſe, adeo
vt poeta, quadrupedibus leporem, & auibus turdum ex proprio C
arbitratu præpoſuit, ita betam inter olera, fatuam, ſuum iuxta pala
tum, cenſuerit. Si copioſe ſumatur, ſtomacho nocere: alimentum
exiguum pręſtare: hepatis, & lienis obſtructionibus cum aceto co-
meſtá auxiliari. Contrarias facultates habere, Græcus quidā eſt au
ctor, nempe ſuccum eius calidum eſſe; ventrem ducere, ſitim effi-
cere. Corpus autem craſſatum eſſe partium, & flatuoſum, & co-
ctu difficile, & frigidum, & ventrem ſiſtere, pręſertim, ſi bis (vt de
braſſica dictum eſt) coquatur. Nitri enim qualitas, quæ illi tribui- D
tur, cuius cauſa mouet, abſumitur. Sed vt vini ſapor in dolio braſſi
ca corrumpitur, ita betæ folijs demerſis reſtitui. Huius radicem,
quę longa, recta, carnoſaque eſt, guſtatui quidem arridere, & vel
crudam in cibo iucundam eſſe. Sed vt aliqui arbitrantur, pituitam
gignere, quippe craſſam eſſe, & coctu difficilem, & flatuoſam: ven-
trē nihilominus procitare, & ſi eam quis vrat, dein melle ſubigat,
atque hac mixtura calueſcens caput illinat, reliquos capillos reti-
nere. Menandrumque inter Græcos aſſerere, allium edentibus, ſi E
betæ radicem, in pruna toſtá, ſupercomederint, odorem extingui.

De Atriplice.

ATriplex, Gręce χρυσολάχανον Hipp. ἀνδράφαξις vulgo atripli-
ce, trepeſe, repeſe: non niſi a pauperibus, & raro in
Vrbe comeditur, vt Dioſcoridi, & Galeno placet, aluum
mol-

A mollit,at Hipp.humida quidem eſt,ſed non ſecedit. Duo eius genera ſtatuunt,ſyluestre,& ſatiuum. Id ferunt Pythagoram culpaſſe,quòd difficilime coqueretur, ac ne in hortis quidem iuxta id naſceretur quicquam niſi languidum. Dioclem verò tradere,plurimos ex eo gigni morbos, nec niſi mutata ſæpius aqua coquendum, ſtomacho contrarium eſſe,lentigines,& puſtulas gignere. Semen eius,tametſi felle ſuffuſos,cum mulſa aqua potum, ſanare creditur:Si tamen abunde ſumatur, & vomitum citare, & aluum

B vehementer mouere. Cæterum quum Hipp.ſcribat,atriplicem nõ ſecedere,Gal.& Dioſ.cõtrà: Diocles verò multos morbos gignere, & mutata ſæpius aqua coquendam eſſe,atque id vt in braſſica, & in pleriſque alijs aſtrictionem affert: ita in hac efficere, iuſtum ſit. Satius eſt,illam ruſticis edendam relinquere, quàm in Vrbe, niſi neceſſitas cogat, in cibum admittere.

De Spinacio.

C Spinacium,atriplicis ſpeciem alij eſſe volunt:aliqui contra omnino negant:nouum olus eſſe contendunt. Aliqui atriplicem Hiſpanienſem,tamquam herbam non antiquam,ſed vt ex Hiſpanijs huc aduectam, ſic appellant. Flatus colligit, & vomitiones concitat,niſi ſuperfluus humor,quo redũdat,abijciatur. Ideoque amotis radicum capillamentis,citra aquam rectè coquitur: vtpote quod magnam ſucci copiam inter coquendum emittat:rudi

D cula ſubinde percuſſum, dicto humido vt plurimum expreſſo, in manuales globos redigitur: mox in oleo frigitur. Labra modo quodam aſtringit,ſed aluum ſimul mollit. Melius atriplice ſuppeditat alimentum. A quibuſdam creditur primæ refrigerantium, humidorumque claſſis eſſe:lauandi, ac abſtergendi facultatem habere, bilem obtundere, ſpirationi,& pectori,& calido pulmoni conferre.

De Rumice.

E Lapathi genus eſſe putatur:in vineis paſſim apud nos inuenitur,rumex vineatius vulgo dicitur; crudus non eſtur: acorem quendam preſefert,aluum mollit:creditur bilem obtundere,regio morbo auxiliari,& ſuo ſemine ventrem aſtringere.

De Oxalide, ſiue acetoſa vulgò dicta. A

Oxalis quoque ad lapathum refertur, acidior multò quàm rumex: acore ſyncero, ſimplici, nullius acerbitatis participe, à Galeno eſſe ponitur: cocta quidem in ferculis grata; ſed cruda in acetarijs lõge gratior: nihil magis eius acore, per æſtatem aliquibus arridet: nihil æque langueſcentem reuocat appetẽtiam: moderate refrigerat: eiſdem pollet, quibus & rumex; ſed tanto præſtantius, quanto quàm ille iucundior eſt. B

De Soncho, id eſt, Cicerbita.

Cicerbita (vt Dioſcorides inquit) mediocriter aſtringit, atq. refrigerat: ſuccus in ſorbitione datus ſtomachi eroſiones lenit, lactis abundantiam (vt quidam interpretantur) facit: folia ex aceto, ſaleque mandũtur: eſculenta eſt & radix: ſed autumno, & hyeme potiſſimum, quòd per id tempus tenera ſit.

De Cichorio, quod Græce, σέρις, vocatur deq. condrilla. C

Multiplici genere conſtat: vniuerſe autem hoc, vel illud, quia tenerum ferè perpetuo eſt, quouis tempore & crudum, & elixum in acetarijs manditur: ad id genus condrilla quoque, prçterquam quod amarior eſt, aſcribi poteſt. Vere declinante gratiores cauliculi, quàm folia: aſtringit, refrigerat, ſtomacho accommodatum eſt: aluum (vt Dioſc. inquit) elixum, ſiſtit: ius (vt quibuſdam placet) ſoluit. Dyſentericis, & quibus genitura ex morbo effluit, prodeſt; æſtiuum, quoad proprias facultates, ſi nigrum eſt, melius: hibernum, quo candidius, eo deterius. D

De Cichorio, quæ Endiuia, nuncupatur.

Vocata namque Endiuia, quæ hoc etiàm genere comprehenditur, vbi frigore per hyemem dealbata eſt, vires ſuas ferè omnes amittit: mortuum cichorium ſiue intybum dici poteſt. Licet enim refrigeret, nullius tamen amaritudinis, nulliuſque aſtringentis facultatis eſt particeps. Cæterum hæc multo promptius quàm vbi viridis eſt, frangitur; ſitim melius extinguit, immodicum appetitum citius retundit, ventriculoque minus grauis eſt: vt pote quæ ventrem celerius quidem impleat, ſed dentibus ante attrita, in ſuccum aquoſiorem, leuiorem, minoremque conuertitur. E

Citrago.

MEliſſophyllon, uulgo Meliſſa, cedronella, citrago, in aceta-ria recipitur. Vt Arabes uoluerunt, animum triſtem exhilarat, deficientem inſtaurat, humenti, ac frigido ſtomacho auxiliatur, coctionem iuuat; cerebri obſtructiones reſerat; cordis imbecillitatem intercepto ſomno natam roborat; ſollicitudines fugat. Si antè ſomnum ſumatur, bona efficit inſomnia;
B contra quàm braſſica, quæ, mala reddit.

Caſaleporum.

CAſaleporum, populo, Caccialepori, Terracrepoli, aliquibus hieracium minus, aliquibus ſonchi ſpecies. Hæc, ſi uerum eſt, quod herbarij nonnulli fabulantur leporis eſſe palatiũ, tamquã hoc animal, ut caloris propulſet incõmoda, ſub eius ramis ſoleat ſtabulari, Caſaleporum non ineptè uocatur. Refrigeran-
C di ſubaſtringendique uires interea, dum tenerum eſt, antequam cauleſcat, habet; ſtomachi eroſiones emendat; hyeme inter acetaria ſumitur.

Rapunculus.

ID olus, qui ſylueſtre rapum non eſſe cenſent, antiquis incognitum fuiſſe contendunt, & crudum & coctum eſtur. Putant aliqui lactis vbertatem efficere, ſi cum pipere longo edatur. Quia verò non niſi cum radice aſſumitur, ob id ipſum ægre con-
D coquitur: & ijs, quibus caput infirmum eſt, aut dolorem, aut quid malum aliud inducit.

Dracunculus hortenſis.

HOrtenſis dracunculus, quem, draconcellum, appellant, maximè quidem differt ab antiquorum dracontio, ſiue dracunculo; ſed tamen excalfaciendi vires habet, acri ſapore eſt: ad intinctus vtimur: linguæ, & folio, & radice, ſalis ac ace-
E ti guſtum repræſentat: inter acetaria olera gratiſſimus, quod ferè nec ſalem, nec acetum exigat: tamquam vtriuſque (vt diximus) ſaporem referens.

Herbaſtella.

QVuibuſdam Coronopus, cum acetarijs manditur, nonnihil aſtringit, languenti ſtomacho (vt exiſtimant) ſubuenit.

Fœni-

Fœniculum.

FOEniculum ordine tertio(vt Gal.opinatur) calefacit. Deſiccat verò non æquè:lacte mammas implet: tarde concoquitur: malum affert nutrimentum: ſemen, diſſolutum ſtomachum redintegrat: nauſeam ſedat:pulmonibus,& iocinori laudatum,vrinam ciet:aluum ſiſtit:geniturę abundantiam quocumque modo ſumptum facit.radix ferè eadem poteſt: poſt cibum eo vſq; mandi debet, quo & vini, & panis, & cuiuſque alius alimenti B odor obſcuretur. Alioqui ſi plurimum aſſumatur, & ſtomacho moleſtum eſt, & coctionem vix admittit; id quod frequentes ructus toto die illud ipſum referentes,oſtendunt. Non rarò ſitim, plerumque ſubamarum os facit.

Fœniculum marinum.

CRithmum,eſtur oleræ modo,crudum, coctumve ſeruatur, etiam in eundem vſum ſale, & aceto conditum:vrinæ C anguſtijs felle ſuffuſis,& menſibus trahendis confert.

Smyrnium, id eſt Macerone.

SMyrnium, quibuſdam oluſatrum,vulgò, macerone, calfacit, vrinam ciet, eiuſdem difficultati medetur, folia tum hyeme tum vere comeduntur;ſed caulis, vere potiſſimum, & crudus & coctus.

D

Sion,ſiue lauer.

SIon,idiotis nũc canneia,nunc lauaronè,nunc gorgoleſtro, crudum & coctum eſtur; vrinam mouet; calculos tenellos rumpit,ac excernit;oculorum hebetudini confert.

Siſymbrium, id eſt Creſcione.

SYſymbrium aquaticum,quod ab aliquibus Cardamina dicitur,vulgò creſcione, in fontiũ riuis, comite ſio,naſcitur,odore & ſapore,ſatiuo naſturtio proximum:calefacit,vrinam ciet, E flatus diſcutit,lumbricos pellit,crudum in acetarijs ſumitur.

Baſilicum.

OCymum, idiotis Baſilico, ad condiendum non iniucundum,ſed pro obſonio periculoſum eſt. Licet enim aluum (vt Dioſc. inquit) emolliat, vrinam cieat, lac moueat, copioſius

A pioſius tamen illius vſus ſanguinem turbidum, & melancholicũ (vt dicunt) atque inflationes efficit: claritati oculorum ac hepati officit: aliquibus inſaniam, ſoporemve affert; deniq. in ſtomacho ægrè permutatur. Ideo Galenus neque commodum eſſe, quod in corpus aſſumatur, & vitioſi ſucci, & ſtomacho noxium, & coctu difficile eſſe tradidit.

Aſparagus.

B ASparagus (vt Dioſc. aſſerit) aluum mollit; vrinam ciet, atque hanc fœtidam reddit. Hęc omnia ſanè poteſt, quoniam ab alieno calore citò corrumpitur, ac putreſcit: putrefactus non leuiter fœtet. Quamobrem vt ſua deinde ingrata qualitate naturam ad expellendum celeriter irritat, & corpus quidem eius per aluum, ſuccus verò per vrinæ vias, ita ſuo fœtore vrinam inficit: quo fit vt ſuſpicione non careat: id quod Gręcus quidam auctor ſcribit: Aſparagum maximè nutrire, & eſſe veluti medium inter
C carnes, & olera.

Cæterum aliqui tradiderunt, vtiliſſimum ſtomacho cibum ex aſparagis eſſe: oculis claritatem afferre, pectoris, & ſpinæ doloribus, inteſtinorumque vitijs prodeſſe: Venerem ſtimulare, vrinam (vt diximus) ciere: ſed veſicam exulcerare. Alij eius radicem, in fœminis ſterilitatem, in maribus ſeminis prolifici priuationem facere. Alij contra, ſemen augere, coitum iuuare, grauiditatis difficultati opitulari. Vtri rectè ſentiant, non niſi experientia intelligi vere
D poteſt. Interim ſecurius eſt, huius radice abſtinere, quàm frui.

Eruca.

ERuca, vrinam cit, concoctioni prodeſt, aluo (vt exiſtimant) accõmdata eſt; acetarijs præſertim cum lactuca vtiliter miſcetur: in cõdiendis obſonijs tanta eſt illius ſuauitas, vt Græci eam εὔζωμον, quaſi iuribus gratam, vocauerint; lac (Auicenna aucto re) gignit; cruda, ſi largius ſumatur, Venerem concitare creditur.

E

Portulaca.

POrtulaca, (vt pleriſque placet) aſtringit: cruda in acetarijs vſui eſt: commanducata, dentiũm ex acriore, acerboue aliquo cibo, torpores ſedat; ſtomachi, & inteſtinorum æſtuationẽ, fluxioneſque mulcet; renum, veſicæque eroſionibus vtilis, vitia earum partium emendat, Veneris, & impetus, & inſomnia

M inhibet;

inhibet: oculos hebetare putatur. Leontinus eſt auctor, folium linguæ ſubditũ, ijs, qui ſiti cruciantur, bibendi deſideriũ reſtinguere. A

Naſturtium.

NAſturtium, Græcè, κάρδαμον, idiotis allegretto, vel agretto: vbi viride eſt, propter aquei humidi mixturam, ſuo ſemine, quo ad vires, multo inferius eſt: quum ita ſe habet, in acetario non iniucunde recipitur, interdum vero cum pane, tamquam obſoniũ, eſtur. Perſas, tradunt olim eo victitaſſe, quo magis ab excreatione ſputi, à mucoſo narium emunctu, & à profuſione lotij ſe vindicarent; quibus maxime noxis pridem ſubijciebantur; ſed copioſus eius vſus carnem liquat, gracilibus obeſt, obeſis non officit. B

Petroſelinum.

VVlgare petroſelinum (vt ferè omnibus placet) apium ſatiuum eſt: id ſiue coctum, ſiue crudum edatur, vrinam ciet, aluum compeſcit, difficulter concoquitur, ructus excitat, caput grauat, ideoque fortaſſe ijs, quæ capitis dolorem ſomno leuant, miſcetur: peculiari facultate comitiales offendit: viſus claritati aduerſatur: teſticulos lædit. Græcos infantium nutricibus hoc cibo interdixiſſe ferunt, quod veſcentes in libidinem pronius ruerent; ſimulque in mammis prouentum lactis extingueret. Proinde Criſippus, & Dionyſius, id ad cibos non admittebant, tamquam nefaſtum exiſtimantes, quod defunctorum epulis dicaretur: & quod eodem ſepulchra coronarentur. Vnde vetus illud, indigere apio: de ijs, qui profligata valetudine eſſe putantur. Cæterum & ori, & ſtomacho gratiſſimum eſt. Oris namque ſuauitatem commendat in his, quibus anima fœtet, grauis alitus tædium corrigit. Id meritoriæ mulieres vt ingratum odoris virus abigant, oraque ſua iucundiorem expirent aurã, comedunt: aquæ, ſi illis incoquatur, potui iucundiores præſtat. Radix efficacior eſt, ſed eo minus periculoſa, quo magis quandam (vt Gal. placet) abſtergendi vim poſſidet. C D E

Anethum.

ANethum in condimentis vſui eſt: renes (vt quidam dicunt) lædit: illius ante ſiccati cum ſeminis, tum comæ decocto, Dioſcorides tribuit, ſomnũ allicere, lac ciere, inflationes, & tor-

A & tormina ſedare, aluum, vomitioneſque ſiſtere, ſingultum leuare, oculorum aciem hebetare, aſſiduo vſu genituram reſtinguere: vbi viride fuerit, veriſimile eſt, remiſſius quidem hæc efficere, ſed forte ſomnum magis propter humidum, quod adhuc habet, conciliare.

Serpillum.

B Syluestre ſerpillum ruſtici in aromatis vicem vſurpant: Vrbani moreto viridi tantum admiſcent. Sic enim valde gratum eſt: quod potum menſes & vrinam trahat, quod veternoſis opituletur; & reliqua alia ſcribere nunc ſuperuacaneum eſt.

Thymus.

Vtilis eſt pro condimento in ſanitatis vſu; hebetibus oculis in cibo ſumptus, opitulatur: concretos ſanguinis grumos diſijcit; vlcera ſui nominis & verrucas tollit; pectoris C vitia expurgat; lumbricos pellit; vrinam & menſes ciet; viſcera expurgat: probatur qui florem habet album.

Satureia.

Thymbra, quæ etiam cunila, & ſatureia vocatur, poteſt Thymo eadem, ſimiliter ſumpta: gratum in ſanitate quoque habet vſum: ſi tamen copioſius & crebrius accipiatur (vt Græcus quidam eſt auctor) calculos in renibus concreſcere facit.

D

Origanum.

Vulgare origanũ vocatas aleces ſuper aſperſum, placet. Anea, quæ verum origanum, ſiue tragoriganum, ſed remiſſius, poſſit, non ſatis expertum eſt.

Nuncupata Maiorana.

E Sampſucum, quod amaraeum vocant, præſtat quidem ad omnes frigidos capitis & neruorum affectus: pectoris vitia, quæ anhelandi difficultatem inducunt, emendat: ſtomacho & foris, & intus opitulatur: iocinoroſos, ac lienoſos, qui ſine febre ſunt iuuat. Eius decoctum contra incipientes cutem ſubite aquas, contra vrinę anguſtias, contra tormina bibitur, ſed præcipue iuſculis ad iucundiorem guſtum infunditur.

Mentha.

MEntha Romana (quam ſatiuam mentham eſſe volunt) calefaciendi, adſtringendi, ſiccãdique vires habet: mammis quæ à partu tenduntur, & lactis abundãtia tument, opitulatur. Difficulter in his, qui ventriculum inanem habent, concoquitur: ſæpe ructu ſentitur. Stomacho pituitoſo accõmodata eſt: in cõdimentorum vſu multifariam recipitur; eius odor animã: A
ſapor, auiditatem in cibis excitat. Aliqui tradunt hanc vulneri inditam prohibere, quominus ſaneſcat, cicatricemque cõtrahat. Alii qui lac, quod menthã habuerit, adiecto ſimul etiã coagulo; neq. coaleſcere neq. ſpiſſari. Ideoque lactis potionibus addi, ne huius coagulati potu, ſtrangulatio contingat. Pleriq. venerẽ ſtimulare, perpauci contra: at illi operis principium, hi finem reſpiciunt. Poteſt enim ab initio ad coitum quidem impellere, poſtea verò generationi reſiſtere, & veneteis aduerſari. Nã vt lac quod alioquin denſaretur, diffundit, ita ſemen, (quemadmodum Hipp. docet) liquat, ſubinde hominem debilitat, eneruat, emaciat. B C

Saluia.

SAluiam tradunt manifeſte calefacere, leniter aſtringere, valere ad omnes capitis affectus frigidos, ad omnes articulorum dolores tam in potione, quàm in fotu, ad comitiales, ad veternoſos, ad ſtupidos, ad reſolutos, ad pituitoſas defluxiones, & pectoris vitia: illius tam decoctum epotum, quàm folia prius areſacta, deinde ſuffita, menſes commorantes trahere, abundantes ſiſtere. D
Ab vtero gerentibus, quæ facile abortum faciunt, vtiliter deuorari: conceptum enim retinere, & viuidum reddere fœtum; ſanguinem expuentibus conducere, flores eiuſdem ſaccharo conditos ad eadem valere, denique ſalutarem ad multa eſſe, præſertim ad fœcunditatem.

Omitto quòd vino commixta ebrietatem inducat, vt nouus quidam auctor aſſerit; incompertum enim eſt. Quod item Hipp. dixerit ſiccam eſſe, & aluum ſiſtere. Quod Dioſc. ſcriptum reliquerit foliorum eius, atque ramorum decoctum bibi ad ciendam vrinã, menſes, & fœtus (fortaſſe tardantes) idem trahere: paſtinacæ marinæ ictibus ſuccurrere; capillum denigrare, vulneribus prodeſſe, compeſcendo ſanguini opitulari; vlcera ferina purgare, genitaliũ prurigines, ſi eodem abluantur, finire. E

Cere-

A

Cereſolium commune.

LEuiter & dulce, & acre, & odorum eſt, ſi cæteris herbis addatur, iucunditatem affert.

Primula veris, Plinio, bellis.

HVius recentis folia ſiue in acetarijs, ſiue in iure pinguium carnium deuorentur, (vt cuidam placet) aluum leniunt. Vtrum fracturis, ſtrumis, vulneribus thoracis, paralyſi, co-
B xendici, inflamationibus genitalium, puſtulis, tum oris, tum linguæ, opitulentur, vt nihil ad præſens negocium facit, ita illis relinquo, qui hæc eadem experti fuerint.

Pimpinella vulgaris.

IN acetaria recipitur, lentoris, & leuis aſtrictionis particeps eſſe videtur: muliebre profluuium ac dyſenteriam cohibere: bilio-
C ſam vomitionem reprimere; vulnera & vlcera ſanare: contagioſis, peſtilentibuſque febribus prodeſſe putatur.

Lupulus.

LVpulus, quem Plinio lupum ſalictarium eſſe, quidam uolūt, duum generum eſt, nempe ſatiuum; & ſylueſtre: hoc in ſepibus, & fruteris ſponte naſcitur: illud in cāpis apertis (vt ſcribunt) ſeritur. Vtriuſque turiones elixi, palato iucundi ſunt: in ace-
D taria ſumuntur, ſanguinem purificant, ventrem molliunt, obſtructiones reſerant.

Capparis.

ALuum (vt inquit Dioſcorides) turbat, ſitim parit, ſtomacho nocet: renes item & veſicam (vt Græcus quidam eſt au-ctor,) lædit, peculiariter tamen lieni prodeſt. Eius radicis cortex abſtergit, purgat, incidit, digerit, contrahit, denſat, conſtrin-
E git, menſes ciet, vrinas mouet, cruentos interdum ſuccos aluo ſubducit, obſtructiones aperit; tenellis eius germinibus homines, vt terebinthi turionibus, veſcuntur: folia, flores, fructuſque cum aceto, aut ſale in acetaria ſeruantur; cibi appetentiam excitant, vires radici quidem ſimiles, ſed imbecilliores habent.

 A

Vocata Lactuchetta.

LActuchetta vulgò; ſiue lactuchella; huius tum flores, tum ſemina conſiderantibus, verronicæ fœminæ ſpecies eſſe creditur: verno tempore potiſſimum inuenitur, re vera nihil in illa peculiare, quod proſit, aut obſit, hactenus compertum eſt: pleriſque dulcis guſtu ſentitur, in acetaria recipitur.

Synapi. B

COliculos quoſdam edit, qui cum teneri ſunt, in acetarijs, inſtar aſparagorum, manduntur: ij perparum quidem nutriunt, ſed ſua cum acrimonia plus humidi, quàm ſemen ſortiuntur, vrinam cient, venerem ſtimulant, viribus ferè eiſdem, quibus ſemen, poller, ſed imbecillioribus inſigniuntur. Semini vis eſt, calefacere, extenuare, extrahere: commanducatum & ore ſæpius verſum apophlegmatiſmi vicem ſubire: tritum, ſubinde naribus admotum, ſternutamenta ciere; comitialibus ſuccurrere, C mulieres vuluæ ſtrangulatu procidentes excitare: ſitim inducere, ad coitum irritare. Ex ſemine adhuc viridi ſuccus colligitur, hic hydromelli commixtus, aduerſum tonſillas, & veteres, atque calloſas arteriæ aſperitates vtiliter gargarizatur: ad oculorum hebetationes & genarũ ſcabricies melle illinitur, ſemen tamen oculis (vt Græcus quidam eſt auctor) & calido tum capiti, tum hepati officit: ex eodem cum vua nigra, & ſapa, vocatum muſtardium fit: cibi appetentiam efficit, in cerebrum illico repit, nares pungit, D lachrymas mouet.

Malua.

ANtiqui maluam in hortis paſſim ſerebrant, cæterorũ olerum modo: eius folia cum oleo, ſale, & aqua, elixa comedebant: exoleuit illorum vſus: quoniam ſi cocta relinquantur, mucoſa fiunt, quod nauſeam parit: vt id euitetur, breui, leuiterque coquantur, ſubinde ſine mora manducentur, cauliculi ſimiliter edendi ſunt. Verum & ij, & folia, prima menſa deuorari E debent, quia tum ventrem molliunt, tum lethalibus venenis aduerſantur: pectus, pulmonem, veſicamque iuuant, raucam vocem leniunt, lac fœminis proritat; ſtomacho tamen, quia laxant, non opitulantur.

De Ra-

A *De Radicibus.*

HActenus de plantis, quatenus olera nuncupantur, tempus eſt vt ad illarum partes ſpeciatim, & radices primum, tamquam ad eas, à quibus inchoare putantur, nunc accedamus. Radices omnes, quoniam ſolidæ ſunt, & ægre liquantur, difficulter, hæ quidem magis, illæ vero minus, coquuntur: ob id quia in ſtomacho diutius quàm par eſt, hærent; & quia generandi vim
B fortaſſis habent, flatum efficiunt; multum tamen nutriunt, hoc eſt ventriculum, qui ieiunio indiget, diu ſaturum ſine moleſtia ſubſtinent. Si ſæpius, & abunde deuorentur, capitis grauitatem, & dolorem amotu non facilem gignunt, vapores enim & plures, & craſſos, & ſolidos, id quod frequens ructus, earum eſum ſecutus, oſtẽdit, in caput mittunt.

Cæpa, & Aſcalonia.

C CÆpa calefacit, æſtuoſa eſt, inflandi, erodendique vires habet: ſiticuloſa eſt: ſemel, biſue copioſius deuorata, capitis dolorem parit: crebrius vero lienem, in vitium adducit: Nullum ferè nutrimentum homini adfert; quum enim ſuccus in ea & multus, & acris, & pungens ſit, ab internis partibus reſpuitur, magis quam admittitur: ob quod non alit, ſed liquat; aluo ſecedit; ſubinde ſiccat, & languidum efficit corpus; quam etiam ob rem non debili, ſed valido conuenit; vbi appetentiam excitat, ſto-
D machi velut ab expletione faſtidia minuit; vrinam citat, ſemen genitale iuuat: cocta, minus mala eſt: vtilis ad pectoris aſperitates, & ad tuſſes fit. Aſcalonia, ab Aſcalone Iudææ oppido, nuncupata, cæparum genere eſſe à multis exiſtimatur

Allium.

ALlium, ſpiritu, ob quem gignẽdi facultatem obtinet; hoc eſt, proprio flatu corpus implet: alienum, quia calefacit,
E diſcutit. Probam oculorum aciem frangit; humido tamen hebetatam ſanat, peditus diſſipat, lumbricos pellit, aluum turbat, ſtomachum ſiccat; atque ita ſiticuloſum fit; alioquin (vt Gal. placet) ſitim non efficit: quinimmò (vt Græcus quidam eſt auctor) peculiari quadam qualitate ſitim ab humore ſalſo creſcentem ſedat. Aquarum contra mutationes vtile; elixum, prauitatem exuit. Fauces ad vocandum clariores reddit, veterem tuſſim lenit, vrinam

ciet,

cier, venenatis aduerſatur, prægnantes ac lactantes offendit, menſtrua ducit. In Vrbe, quæ calida eſt, frequens eius vſus, noxius: in locis frigidioribus, non inſalubris. A

Porrum.

PORrum inflat, mali ſucci eſt, grauia, & tumultuoſa ſuggerit inſomnia, extenuat, exulceratæ veſicæ, & renibus obeſt; continuus eius vſus, oculos hebetat; ſtomacho nocet: capitis dolorem parit: vrinam cit, aluum mollit, menſes trahit, ructum acidum ſedat; dulceſcit, & minus inflat, vna & altera elixum aqua, tum frigida demerſum; Venerem ſtimulat, facit ad pectoris vitia, cũ melle inecle gmate; præſtat a reliquis cibis poſtremo ipſum eſſe. B

Rapum.

RApi radix, decocta nutrit, inflat, humentem, ac fluidã carnem creat: guttur & pectus lenit: frequentius comeſta craſſum gignit humorem; iecur infarcit; vẽtrem nec ſiſtit nec mouet. Cymæ eius decoctæ manduntur, & vrinam cient. C

Raphanus.

RAdix, Græce ῥαφανίς, excalfacit, flatus gignit, ori grata eſt, ſtomacho aduerſatur, ructus ciet, vrinam mouet, ſenſus exacuit, menſes acceſſit. Dentibus, voci, & aſperæ arteriæ obeſt, raucedinem parit, articulari morbo laborantibus dolorẽ intendit. Cruda, vt plurimum eſtur, cocta dulceſcit, & in naporum vicem tranſit. Elixa vtiliter contra veterem tuſſim; & quæ craſſa in pectore concreſcunt, comeditur. Si olidos ructus, quos efficit, contempleris, corruptu facilem iudicabis, ſin quod ægre concoquitur, difficile corrumpi dixeris. Aluum ducit, ſed oportet eã, Dioſcoride auctore, quem Auicenna ſequitur, à cibo ſumere: ſic magis digeſtioni conferre: Præſumpta enim cibum in ſtomacho ſupra ſe ſuſpendit: at iſta Galenus deridet; his contraria magis approbat. Vter melius opinetur, experientia ſola dirimere poteſt. Armoracia vero, quæ nunc ramoracia, dicitur, longè acrior eſt, maiorem calefaciẽdi, ducendique vrinam vim habet, æſtuoſa eſt, grauiuſque concoquitur. D E

Napus.

NApi, qui βουνιάς Græce dicitur, radix, etiam elixa, inflat: parum nutrit, lethalibus venenis ſemen eius potum aduerſatur. Plura ſunt eius genera, ſed albus, & flauus hic in vſu frequen-

A frequenti ſunt. Flauus, quamuis album craſſitudine ſuperet, & colore magis placeat, ſæpe tamen inſipidior eſt, & guſtui minus gratus. Vterque maxime arridet; pinguium carnium iuri decoctus: magis quàm rapum ſaturat, magiſque venerem ſtimulat.

De Rapunculo.

QVi rapunculum in radicum numerum aſcribere contendunt, huic capiti ſubnectant, quod paulo ſuperius de illo
B inter herbas, dictum eſt.

Paſtinaca.

PAſtinacæ radix, vrinam cit, venerem ſtimulat. Hortẽſis edendo magis, quàm ſylueſtris eſt; aqua primo coquitur, ſubinde frigitur, mox alliato illinita comeditur.

Cardui radix appellata.

C RAdix quędam alba; cardui nomine, ſed paſtinacæ ſimilis, Quadrageſimæ tempore à ruſticis vendendo circunfertur; æque comeditur atque illa, fortaſſe vires quoque paſtinacæ ſimiles habet.

Cariota.

CAriota, tum rubra, tum ruffa: illa elixa in acetarium ſumitur: hæc iure pingui, vt rapum. Cocta magis placet: vtraque
D flatum magis excitat; minus quàm rapum nutrit: & minus facile coquitur, vrinam tamen mouet.

De vocato Ceſaglione.

CÆſalonium, palmæ genus, immo potius thallus quidam, ad eius radicem, inſtar globi; quod cerebrum aliqui vocãt, eſſe, & venerẽ irritare creditur. Diuitum menſas raritate ſua exornat; cynarę, quòd ad coitum, iuxta quorundam placita, magis
E inuitet, anteponitur; ſecundis menſis datur.

Tubera.

TVbera, quamuis abſque folijs, abſque caule ſemper ſint, radicibus tamen ſimilitudine rationis annecti conuenit: edűtur cruda pariter & cocta: vtroque modo difficulter coquűtur, ſed multo magis, vbi ſine vllo liquore, deuorantur: flatum mouent,

uent, venerem ſtimulant, ſtomacho nocent, caput grauant, melan- A
choliam acceſſunt. Si vero nimis crebro ſumantur, comitialem morbum, apoplexiam, paralyſim excitare conſueuerunt.

De Aſparagis.

SAtis de radicibus: Coliculi, quos Aſparagos appellamus, ſequuntur. Hi ſumuntur à braſſica, à cichorio, ab aſparago proprie dicto, à lupo ſalictario, à ſinapi, à malua, à rapo, à raphano. De his in tractatu de oleribus, & radicibus dictum eſt: Nunc re- B
ſtat de coliculis ſcribere: vtriuſque brionię, ac etiam ruſci, & quorundam in canneto germinibus, quæ modo quodam aſparagorũ ſpeciem ſubeunt: Canneti piſces vocãtur. Sed ſi prius admonuerimus, coliculos recentes omnes, interea, dum lentorem quendam ſortiuntur, facilè poſſe aluum ſubducere, quibus ſi qualitas aliqua vel acris, vel amara iniuncta ſit, quæ tamen eos edi permittat, tanto magis ſubducere, quanto ipſa qualitas pro alimenti ratione, fuerit vehementior. C

Bryoniæ aſparagi.

ITaque Bryoniæ tum albæ, tum nigræ, quæ Latinis vua taminia eſt, coliculi albæ quidem cocti, aluum, & vrinam cient: nigræ vero menſes trahunt, vrinas mouent, lienem minuunt, vertiginoſis, comitialibus, & reſolutis accommodati ſunt.

Ruſci Coliculi. D

PRo aſparagis olerum modo eduntur, nouelli è ruſco coliculi: amaritudinem quandam habent, vrinam cient.

De nuncupato, Canneti piſce.

EQuiſeti ſurculus eſt, aluum nimis aſtringit, à plebe in Quadrageſima elixũ primo, deinde frictum, mox addito alliato, aut aliquo alio ſimili, comeditur; periculoſus eſt eius vſus. E

Ferula.

FErulæ, tum caulis, tum primum germen, quod aliqui corculum, aliqui ouum appellitant, à pleriſque comeditur: Hæc tamen, Dioſcoride auctore, capitis dolorem inducit: id vt poſteriores perhibent) guſtui gratiſſimum, & ad venerem excitandam, valentiſſimum.

De Flo-

A ## *De Floribus. Cap. III.*

RES admonet, vt flores,& fructus,& ſemina iam explice-
mus.In vſu itaque ſunt flores cichorij,ſaluiæ, roriſmarini,
boraginis,bugloſſi.Hi,quum ſint foliati,& lenes,niſi den-
tibus antea ſatis atterantur,in ſtomacho difficilime concoquūtur:
ei,cum humore lento,cuius fere numquam eſt expers, hærent:in-
tegri,vt in aqua calida, foris non facilè liquantur: ſed tantum fla-
B ueſcunt,diu manentcita in ſtomacho indomiti longo tempore du-
rant,vires olerum vnde proficiſcuntur,habere putantur.

De Fructibus: generatim. Cap. IIII.

FRuctus ferè omnes,aut æſtate,aut autumno perficiuntur:ex
illis,aliqui ſero,aliqui citò putreſcunt.Ex his,quidam & mul
tum,& prompte liquantur;quidam longè minus:& illi ho-
ræi,ij non horæi potiſſimum dicuntur.Horæi ergo nobis nunc vo-
C centur ceraſa,fraga,mora,rubi fructus,armeniaca,præcocia,chry-
ſomela, perſica, pruna,ficus,pepones,cucumeres,vua;& id genus
alia. Non horæi, vua ſpina vulgo nuncupata,pyra,mala,cydonia,
punica,meſpila, ſorba,corna, tricoccus, vulgo azarola;cucurbitæ,
citrullus,oliuæ,limones,citria,aurancia, melangiana, zyzipha, ſili-
quæ, cynara(vt cuidam videtur).Omnes igitur tā horæi, quàm nō
horæi,mole ſua ſtomachum grauant:hi quidem, quia difficulter
liquantur; illi verò quia & celerius,& magis putreſcunt,quàm
D hominis natura requirat,adeo vt ſæpe vix nutrire queant. Quam-
obrem niſi citò ſecedant, in ſtomacho remanentes, eidem oneri
ſunt. Omnes item, niſi qui celeriter putreſcunt (nam hi plerumq;
citius deſcendunt) coctu duri ſunt,ac propterea pleno ſtomacho
maxime aduerſantur;vt pyra,cydonia,mala.Omnes quoq. omni-
bus ferè iucundi ſunt,& appetitū excitant.Quamobrē his vti non
ſæpius,quàm alio cibo,conuenit:ab his namque in expletionem,
quæ plurimorum morborum cauſa eſt,facile incidimus.Atqui cū
E alijs cibis,præcipuè autem horæi,ſiue ante,ſiue poſt,deuorati, ſæ-
pius poſtremo quàm ante vomūtur:(ſi vomitus, forte cōtingant,)
non quia (vt aliqui putant)graues ſint. Alij namq. multo grauio-
res,cibi, ſimilē vomendi differentiā(quod minimè vſu venit,)ſor-
titentur: ſed quoniam vt à natura nimium appetuntur,ſic etiam
retinentur,& non, niſi eadem valde coacta,vomuntur:quemad-
modum alij cibi; quippe qui iucundiſſimi quum ſint; naturam

quidem ad explicandam ſe,atque ad dulcedinem, quam præſtāt, quoquouerſus extendendam, prouocant: ſed vbi violentię alicuius impetu, cum alijs expelluntur, quoniam ab eadem maxime amplectuntur, obnixeque obtinentur, non ante alios cibos,ſed poſt expelluntur. A

De Fugacibus. Cap. V.

HOræi, quia propter ſuum humidum, & Solis calorem, prompte putreſcunt,comeſti,citius,ac magis,quàm naturalis in homine concoctio poſtulet,in ventriculo corrum puntur:quo fit, vel aluum ſua intenſiori putrefactione, ad intempeſtiuam excretionem vt irritent; vel,ſi fortè retinentur,præter id quod grauant,primum vapore ſuo calido,& multo, propter feſtinam putredinem aſcito, vt ventriculum in tumorem attollant, & inflent: deinde vaporem huiuſmodi in caput illinc mittentes, vt id ipſum & valde impleant, & oculos, qui promptius patiuntur, celerius lædant.Ex his vero aluum magis molliūt recentes, quàm antiqui,& maturi, quàm immaturi;& cum rore decerpti, quàm ſiccati.Quippe ros, non ſolum è terra ſed ex eorum quoque corpore ſpeciatim manat.Deinde tum hic,tum ille, ob æſtatis matutinum frigus, apud eorundem ſuperficiem denſatus retinetur, atque ſi fructus,vnde priuatim prodit, molliendi ventris vim obtinet:illum tanto pręſtantius mollit, quanto plus huiuſce roris ſibi adiunctum habet: vt pruna,ficuſue. Ideoque ſummo mane, ante Solis ortum,legendi,neque paulo antequam comedantur,in frigidam (vt moris eſt) immergendi ſunt; quoniam aqua præexiſtentē rorem detergit,& eoſdem inſipidos(vt in ficubus euidenter experimur,)efficit. B C D

Copioſus item & frequens horum vſus vitiato alimēto corpus inficit, & febribus obnoxium reddit; parcus, alimenti ſenſum recreat; minuſque officit: frequens eſt vbi quaque menſa perpetuo ſumuntur;copioſus,ſi horum quàmplurimum, cibi autem ſoliti aut perparum; aut minimum accipiatur. E

Parcus,ſi menſura conſueti cibi ſeruata,tantum cibo demat, quantum ex his, quod neque grauet, neque inflet, acceſſerit; id quod nō doceri,niſi experientia poteſt. Exempli tamē cauſa,quātum erit,vbi vel quarta,vel quinta, vel ſexta cibi portione ſubtracta in eius locum, ex his aliquid aſſumatur.

Neque ignorandum eſt, immodice ſitientibus (quicquid ali-

qui

A qui aliter opinentur) valde noxios eſſe: vitiatus enim eorum ſuccus ob inſignem naturæ, tum propter ſitim attrahendi appetentiam, tum in fructus auiditatem, celeriter in totum corpus diffunditur: qui cum accedente calore (vt diximus) illico putrefiat, corpus ipſum aut calido, præter naturam, affligit, aut quia parum, vel nihil nutrit, repente languidum efficit.

Hos item potius ante, quàm poſt cibum, eſſe conducit. Antea namque deuorati, quoniam ob acrimoniam, aut aliquam aliam
B huiuſmodi qualitatem, quam velox eorum putrefactio inducit, naturam, ad expellendum, irritant, per aluum citius deſcendunt; contra vero poſt aſſumpti, præter id, quod in eos natura cupide fertur, quamobrem expletio plerumque contingit; ſiquidem nõ fameſcentes, ad comedendum rurſus inuitant, vniuerſum cibum corrumpunt; id quod ſi frequenter vſu veniat, aſſueſcit corpus nõ ali, & aut in malum habitum, aut in tabem periclitatur.

Et ſi vero ab aliquibus, quum tam facile putreſcant, quo mi-
C nus mandantur, omnino prohibētur, quia tamē natura noſtra illorum vſque adeo cupida eſt, vt multi abſtinere coacti, magnopere læſi ſint; oportet autem naturæ aliquando parere; ſtudendum eſt vt horũdem vſus nobis aut proſit, aut minime noceat. Neceſſe eſt igitur vel ante cibos, vel cum cibis, vel poſt cibos, vt aſſumantur. Primo modo, ſi aluum cito ducant, tuto præmanduntur; altero, ſi molliant, periculo vacant: tertio ſi frugaliter accipiantur; ſimulque tantum denſiori cibo dematur, quantum ex illis adijci-
D tur, nullum diſcrimen ſubeſt. Quippe vitiatus eorum ſuccus, à venis, vtpote priore nutrimento refertis, non attrahitur: & forte id quod ex alimentis per aluum excerni debet, ob ſuam facilem corruptelam, paulo celerius infra protrudens, ſæpenumero moderata exiſtente deiectione, qua corpus exoneratur, vbi rurſus comedendi tempus eſt, famem ipſam inuitat. Interea tamen, melius eſt prima menſa cum cibis, præcipue vero cum pane, quàm aut ante, aut poſt, illis vti. Sic enim velox eorum corruptela contemperabi-
E tur: ſic etiam Hipp. ſiue quis alius antiquiſſimus tertio de Diæta [illegible], (inquit) ὀπωρέων ἀπέχεσθαι, εἰ δὲ χρῷτό τις, μετὰ τῶν σιτίων χρεόμενος ἥκιστ' ἂν ἐξαμαρτάνοι, melius eſt igitur pomis abſtinere, ſi autem quis vtatur, cum cibis vtens, minime peccabit.

Cæterum ſuper fugaces fructus bibere, nonnumquam inutile, ſæpe noxium eſt. Inutile quidem: quando ipſi ſuo humido ſitim extinguunt; noxium vero, vbi ſitim augent. Putreſcere namque anticipan-

anticipantes,ſitire faciunt.Sed ſi vel propter conſuetudinem, vel propter aliam cauſam, bibendi neceſſitas vrget,ſatius eſt, vbi poſt hos, aut aliqui,aut omnes cibi ſumpti ſunt;quàm ſtatim ante omnes,ſuperpotare.Illud enim eorum ſuccum noua ex cibis materia temperatum:hoc,eum ſolum vitio proprio male affectum,in corpus totum diſtribuit. A

Vtrum aquam, aut vinum, quum ſoli ſeorſum eduntur, ſuperbibere expediat,experientia magis, quàm ratione iudicãdum eſt. Si namque contemplemur Solis calorem,quo per ęſtatem afficiũtur, aqua,quoniam illum retundit,magis prodeſſe videbitur: Sin eorum ad putreſcendum facilitatem,vinum,quia illos indurat,& à putrefactione diutius tuetur:vt in ficubus recentibus,quæ aqua diſſipantur,vino ſolideſcunt,experimur,magis eligẽdum. Sed id, vbi de ſingulis ſermo fiet,clarius explicabitur. B

Ab horęis primum exordiemur,cum quibus ſi forte inter ſcribendum aliquos non horæos miſcuerimus,lector orationem nõ diſſolutam,ſed intercidentium rerum ſeriem cauſetur. C

Ceraſa.

CEraſa quum dulcia, tum acida, ventrem molliunt;illa magis,hæc minus.Siccata ſiſtunt,ſed illa minus;hęc magis, ſtomacho vtilia ſunt;illa,quatenus appetentiam excitant;hęc tum propter id,tum etiam quia vitiatum in eo ſuccum, quæ bilis aliquibus eſt,contemperant. D

Fraga.

FRaga,quibuſdam mora in herbis,ſiue terreſtria,campeſtriaue,ad mora,quæ in arbore producuntur,comparata vocantur.Aliquibus Idæi rubi, aliquibus quinquefolij fructus eſſe creduntur. Illis quidem ſimilitudine quadam:his vero ex arbitratu ſic opinantibus: quum id è quo naſcuntur,non quinquefoliũ ſed trifolium ſemper eſſe reperiatur. Quid præſtent nihil certi ab antiquis habetur. Celeriter tamen corrumpuntur, idcirco perfuſa vino,quoniam eorum ſubſtantiam firmiorem efficit;feſtinamque corruptionis labem prohibet, vtiliora ſunt:alioqui citiſſime aceſcunt,febrim,ſi largius ſumantur,accendunt:modice deuorata,ſitim ſedant: ſtomacho appetentiam excitando proſunt: ſi pura & impermixta in primis edantur,quoniam facile putreſcunt,naturã ad ſecernedum irritant. E

Mora.

A

Mora.

EX arbore, mora, tam alba quàm nigra, vẽtrem, ſi acerba ſint, aſtringunt; ſin matura, molliunt: ſi vero non ſecedant, caput non leuiter lædunt, facile corrumpuntur: vrinam ciẽr, quia forte quum valde ſuccoſa ſint, intra venas & celeriter & abunde trahuntur; vbi ſtatim putreſcentia, citius per vrinæ vias ſuccum ſuum vtpote nimis vitiatum, eijcere cogũtur, quàm alijs corporis B partibus ſibi hauriendi, apponendique tempus, & ſpatium relinquant. Nigra iucundiora ſunt, quippe quæ priuatim cum quadã auſteritate dulceſcunt, ſitim retundunt, intenſum calorem reprimunt, affatim ſumpta, ſtomacho faſtidium afferunt.

Mora ſilueſtria.

RVbi fructus, ſi non tempore, certe figuræ ſimilitudine ſequuntur: hic aliquantum aſtringit, in media maturitate in C cibo ſumptus, aluum ſiſtit; in integra vero, ad oris medicamenta accommodatur: ſatis maturus non inſuauis eſt, vrinã ciet.

Præcocia, Armeniaca, Chryſomela.

PRæcocia, ſiue Armeniaca, & Chryſomela, eiuſdem naturæ fermè ſunt, ſolo magis, & minus inter ſe differentia. Perſicis valde reſpondent: ſingula minus nutriunt, ſtomacho (vt Dioſc. exiſtimauit) vtiliora: quæ leuiore, & rariore, ſicciore que D pulpa ſunt, minus facile ſecedunt. Vtrum promptius, quàm Perſica, putreſcant, poſteriores dubitarunt. Verum humida citius, ſicca ſerius corrumpi, certum eſt.

Perſica.

PErſica valde diſtãt à Perſeis quæ in Perſide venefica, in Ægypto ſalubria eſſe traduntur. Quædam duracina, quædam apertu facilia vocantur: non leuis tamen, inter hæc differen- E tia eſt. Illa diutius incorrupta ſeruantur, hęc prompte putreſcũt: in ſtomacho illa ſerius, hæc citius coaceſcũt. Quamobrẽ, illa minus, hæc magis noxia ſunt: vtraque odore placent. Hoc eodem ex ſtomacho fætorem corrigere, & aduerſus cardiacum affectum valere à quibuſdam exiſtimantur. Vtraque ſi crebro ſumantur, & (forſan acore ſuo) neruos lædunt: cum acidis mixta, nocentiora ſunt. Frequens & copioſus eorum vſus febres excitat. Matura ventrem

trem leniunt;acerba(vt Dioſc.aſſerit)cohibent,ſed ſicca,vehemen A
tius. Vino infuſa, corruptelę magis reſiſtunt: firmiore namque pulpa fiunt, quippe quam quum multo ſolidiorem duracina vino perfuſa ſortiantur, mirum non ſit,ſi non prima menſa (vt etiã antiquitus aliqui ſolebant)ſed poſtrema,quemadmodum vbi ſaccharo condita ſunt,ſatis vtiliter edantur. Quæ Nuciperſica dicuntur,duriore pulpa ſunt,ſuauius olent,minus prompte putreſcunt: difficilius tamen coquuntur,nec eſui adeo iucunda ſunt.

Pruna. B

PRuna matura,recentia,ventrem molliunt: ſiccata,niſi prius apte humectentur, cohibent:humida fieri expedit, non vino (vt fere omnes hactenus conſueuerunt) ſed aqua: illud enim (vt ante diximus) firma, & ſolida;hæc,mollia & lubrica reddit.Cæterum Damaſcena,quia ſucci minus habent,ſtomacho magis accommodantur;alia quo ſucci plus obtinent,eo minus vtilia ſunt, & contra:quanto minus,tanto magis: quod ante cibum ſumi debeant, notum eſt.Quod vero tempus, & ſpatium aliquod intermitti oporteat, antequam alius cibus deuoretur, curioſum potius,quàm neceſſarium eſt. C

Ficus.

FIcus maturæ,recentes, omnes ob lac,cuius numquam participes non ſunt,magis, minuſve calefaciunt:mollem aluum, facile: duram,difficile ſoluunt:ſi ſoluant, calorem vix relinquunt: ſi non ſoluant,accendunt:& papulas,ac ſudores mouent. D

Quæ primum, in media æſtate, cito matureſcunt, niſi ſatis interim pluerit, raro vtiles, plerumque noxiæ ſunt: ſibi namque à Sole plus caloris,quàm natura ferat, aſciſcunt.

Quamobrem corpus noſtrum immodice calefacere, præſertim ſi abunde deuorentur, & febribus obnoxium reddere conſueuerunt:ſic etiam quæ Auguſto menſe naſcuntur, antequam pluat, & æſtuoſæ ſunt,& inſalubres. E

Siccatæ, quas caricas appellamus, æſtuoſæ ſunt;aluum quoque mouent; ſed quo minus id præſtant, eo magis calefaciunt;ventrẽ flatibus implent; renes tamen (vt quidam putat) expurgant,ſummota tenuiori extrinſeca pellicula. ſi largius ac ſæpius eſitentur, pediculos creãt; iecori ac lieni officiunt:oculorũ aciẽ obtundunt.

Vtrum ſuper ficus,vinum,an aquam bibere expediat,complures qui-

A res quidem ambigunt; ſed longe melius eſt (quia plurimo humido redundant) ſecundum illas non potare. Poſt autem maiore cibi parte iam ſumpta, conſuetum potum, ſeu aquam, ſeu vinum, ſeu ex his mixtum accipere; qui vero ſtatim ab his potare voluerit, huic conducibilius eſt, aquam, quàm vinum ſorbere: quia enim hac (vt ante diximus) prompte diſſoluuntur, vino autem duriores euadũt, ad imos inteſtinorum ſinus, id quod in eis optabilius eſt, facilius ferentur.

B

De Cucurbita.

ANguria, Peponeſque ſequuntur: ſed ſi prius nonnulla tum de cucurbita, tum de citrullo, qui horæi nõn ſunt, interponamus. Ad illorum enim cognitionem, partem aliquam conferre videntur.

Itaque cucurbita, vel in longum producitur, vel in orbem intumeſcit, vel in breue craſſamentum cogitur. In cibis, quo longior,
C tenuiorque, eo gratior: ſi cruda eſitetur, obeſt: ſin cocta, prodeſt: ſine noxa concoquitur, modo corrumpi non anteuertat. Humidum, frigidumq. alimentum vt in ſe eſt, corpori prębet; parum nutrit, ſitim ſedat: origano, ſinapi, croco, piperi, & id genus alijs, vtiliter iungitur; quin etiam vbi valde tenella eſt, aqua prius elixa, ſubinde ſuo cortice deraſa, mox aceto, ſale, & oleo condita, quibuſdam acetarij loco plurimum expetitur.

Vt Græcus quidam eſt aũctor, colico dolori obnoxios ac pi-
D tuitoſos lædit: veneris appetentiam reprimit, ſemen genitale minuit. Aliqui aluum ab ea molliri exiſtimarunt; ſed quia fragilis eſt, ac ſine lentore, per ſe quidem non molliet, niſi forte aut copia, aut aſcita putrefactione, naturam ad expellendum irritet.

Peregrinæ cucurbitę, quæ nuper in Italiam aduectæ ſunt, Indicæ ab aliquibus vocitantur, melopeponum effigiem referunt, ac ſi eſſent melopepones immaturi, crudiue: ſed aliæ magnæ, alię paruæ, aliæ mediocres, aliæ item oblongæ, aliæ rotundæ, vario
E colore. Sapor his ferè ſubdulcis, non vſque adeo inſipidus, vt noſtratibus: quo diutius durant, eo difficilius coquuntur, tantoque minus aluo ſecedunt, quanto magis rara, leuique ſubſtantia conſtant, quæ in paruam molem facile colligitur.

Citrullus.

CItrulli, quos aliqui cucumeres Dioſcoridi eſſe cõtendunt, glutinoſo, frigidoque ſucco referti ſunt; coctioni valde re-

luctantur: longum tempus exigunt, vt è ventriculo deſcendant. A
Eos, quibus ob calorem animus deficit; (vt quibuſdam videtur) olfactu ſuo reſtituunt: ſi iugiter deuorentur, aut humorem malũ, aut febrem diuturnam efficiunt.

Cucumis vulgo dictus.

ANguriam antiquioribus Græcis ignotam fuiſſe, quidam exiſtimarunt; cucumis vulgo nuncupatur; ſitim extinguit, linguę ariditatem tollit. Periculoſus tamen eſt creber eiuſdẽ vſus. In aqueũ enim ſuccũ facile vertitur; qui ſi ſobrij hominis B
ſtomachum frequẽter attingat, quoniam hoc & mundo, & vacuo ſæpenumero ſurit, intra eius tunicas, ſicut oleum intra pannum lanẽum infarcitur. Quamobrem nõ niſi magna cum difficultate, ac labore diſcutitur, doloreſq. (vt dicunt) ſurdos plurimum inducit. Sin in ſtomachum pleniorem incidat, minus quidem diſcriminis affert; quoniam in his per vrinæ vias plerumque diffunditur; alioqui venas intra retẽtus, aut horrores intempeſtiuos, aut infenſam C
laſſitudinẽ, aut contumacem, longamq. febrem accerſit. Deniq. (vt pleriq. ſcriptis mandarunt) difficulter in corpus diſtribuitur, genituram imminuit, & deſideria veneris obtũdit. Quod noſtras apud oras affectis febre præſertim vrente, proſit, ſi ſuccus eius aſſiduè potetur, opinio eſt.

De Peponibus, qui Melones vocantur. Cap. VI.

PEpones, quos melones appellitant, qui nam apud antiquos D
fuerint à quibuſdam rei ruſticæ plurimum ſtudioſis, valde ambigitur. An citrulli ſint diligenti mangonio ſic elaborati, quemadmodum anguriæ, ſimili artificio ex cucurbitis mangonizatæ, alijs decernẽdum relinquemus. Qui ergo ſunt odoratiores, ſimulque craſſiore pediculo, & pondere grauiores, ij in alijs præſtare creduntur. Omnes omnibus ferè perquamiucundi ſunt: tamen & vomitum excitare ſolent, & veloci ſua putrefactione corpus noſtrum grauiter offendere, propterea quanto citius ſecedũt, E
tanto magis innoxij fiunt. Tenuiori ſua ſubſtantia, vrinam: craſſiori, ventrem mouent: parum admodum alunt. Quia enim magis putreſcere, quàm par ſit, & in ſtomacho, & in venis anticipant, naturæ nimis infenſi ſubito fiunt: quamobrem vt craſſiora cibi exerementa per aluum, tenuiora per vrinam, ſic illi per hęc eadem, tamquam onuſti, & forte per corruptelam mordaces,

eidus

A citius quàm nutriant,eijciuntur. His ferè de cauſis,vel affatim co meſti,quia perparum nutriunt, & minus ſeminis (quoniam id ex alimento fit)ſuggerunt, & veneris deſideria (vt à multis perhibetur) ſummouent. In ſtomachum, ſobrij hominis incidentes, ſi ſubinde aut parum, aut nihil, alterius cibi ſumatur, febrem aliquando excitant. Quod vt euitetur, ex his longe minus, ex cibis præcipue ſolidioribus, vtpote ex carne, ex pane, multo plus eſſe oportet:vt à pluri & graui alimento deorſum impulſi, breuiorem B in corpore moram trahentes, ad excretionum vias celerius pellantur. Denique ſuper eos, præſertim vbi duræ ſubſtantiæ, quales probare ſolemus, exititerint, leuiores cibi nequaquã edendi ſunt. Quũ enim ob ſuam duritiem non adeo facile per aluum ſubeant, periculum eſt leuibus ſuperingeſtis, ne ventriculus ad vomendũ impendio magis cogatur. Quocirca ſalubrius eſt, in primis quidem hos, ſubinde carnes, aut quippiam aliud ſubſtantiæ grauioris ſupermandere; vt pondere ſuo, renitentem peponum pulpam, deor C ſum premendo compingat.

Poſt illos ſtatim bibere, ſæpenumero inutile; non raro noxium eſt. Si tamen bibere oporteat, vinum potius, quia iucundius eſt, bibere conducet: quippe illi linguam attingentes, dum labili ſua ſubſtantia, in eam non admodum imprimuntur, ſed eandem ferè abſtergunt, integramque guſtui relinquunt, vinum eidem ſapidũ ſentiri faciunt. ſubinde vinum, quominus, quàm aqua illos putreſcere permittit, eo magis eorundem ſubſtantiam firmat; & à prom D pto in putredinem lapſu defendit.

Cæterum eorum ſemina & calculoſis proſunt, & vrinam cient; ſed hanc non quia putreſcere anticipent, vt de illorum pulpa dicebatur; ſed quia ſemina omnia, ſpiritus valde tenues habent, qui vt terram in molem attollunt, ſic intra venas humores agitant, inflant, diffundunt; qui ſubinde ad vrinæ vias, quia maiorem locum requirunt, quaſi exitum quæritantes, protruduntur.

Vua. Cap. VII.

E ACerba, quæ vulgo agreſta nuncupatur, aſtringit; ſed cruda magis; elixa, minus. Cruda item concoctu difficilis, elixa facilis: aluum illa ſtringit; hæc, quia coquendo dulceſcit, cum leui quadam aſtrictione, modice relaxat: neutra vini guſtatũ, contra quàm vua matura, obſcurat: quia enim moderate aſtringit, ſubſiccum, & fermè intergrum guſtus inſtrumentum relinquit:

quit:ſtomacho per æſtatem,& iucunda & proficua. Succus huius, A
quando aut inſolatione,aut igne ſiccatur, magis aſtringit. Acore
ſuo refrigetat,nec alte penetrat, vt acetum:propterea vini ſenſum
in guſtatu,ſicut acetum,non prohibet.Nam licet acetario ſumpto
maxime arrideat vini potus:id tamen,niſi minus dilutum,aut niſi
valde potens bibatur, vix aliud propter aceti impreſſionem poſt
acetarium iucundè ſentitur.

At vua matura, recens, omnis aluum turbat, præcipue ſi affa-
tim ſumatur,ſtomachum inflat:innocentior,quæ aliquamdiu pe-
pendit:hæc cibi appetentiam reuocat, ob id ſtomacho accommo B
datur, atque vtilis eſt.

Duracina,quę vulgo pergulesſia dicitur,concoctu grauis eſt. Ie-
iunantium & ſobriorum ſtomachos valde lędit, quia ſolida ad-
modum ſubſtãtia conſtat,cum aſſatis,modicè ſumpta,vt grata eſt,
ita nihil nocet. Ex vuis paſſis albæ,quoniam ſæpius auſterę ſunt,
magis aſtringunt, quàm nigræ. Illarum caro faucibus & veſicæ
prodeſt. C

Hactenus de fructibus,qui nobis horæi priuatim dicuntur,ad
alios,qui non horæi vocantur,accedamus.

Vua ſpina.

VVa ſpina, ſiue criſpina, antiquis incognita fuiſſe putatur:
ante maturitatem menſe Maio, & Iunio in ferculis grata
eſt.Interim viridis, atque acidi ſaporis,inſtar omphacij,a-
ſtringit.Matureſcẽs,colore pallido fit,atque ſubdulcis, ſed minus D
grata eſt.

De Pyris.

PYra ieiunis ſumpta nocent: pleraque aſtringunt, aluum ſi-
ſtunt:ſecundis menſis cum pane, & caſeo,quibus non ob-
eſt,quia lentorem, illis vtpote nimis fragilibus,præbet, vti-
lia ſunt:ægre tamen concoquuntur. Vocata moſcarola, veteribus
forte ſuperba, vt facilius corrumpuntur, ita minus difficulter co- E
quuntur: denique colicis periculoſus eſt pyrorum omnium vſus.

De Malis.

POma, Græcis μῆλα, quædam acida, quædam dulcia,quædã
ex his mixta, vel auſtera, magis minuſve, quædam inſipida
ſunt:hæc velut inutilia reſpuantur. Cætera non ſunt ante

colli-

A colligenda, quàm in arboribus maturuerint, alioqui cococtu diſ-
ficiliora, frigidioraque ſunt: tarde permeant, praue nutriunt; quę
verò matura ſunt, ac in hyemem, atque ver ſeruantur, multo me-
liora ſunt. Omnia refrigerandi vim habent; parum nutriunt: au-
tumno magis; hyeme, dum ſatis maturuerunt, minus, obſunt. Au-
ſtera, vel aſtringentia, ſtomacho proſunt, aluum ſiſtunt: acida appe
titum reuocant, calorem obtundunt, inflant tamen, & neruis ob-
ſunt. Dulcia minus male diſtribuuntur: melancholicis, ac pleuriti-
B cis conferre putantur. Singula poſt cibum eſſe cōuenit, ita ventrē,
& ſtomachum roborant; atque ijs auxilio ſunt, qui cibum faſti-
diunt, tardeque concoquunt, quique vomitu, diarrhœa, & dyſen
teria infeſtantur. Quidam aſſerit, inducere obliuionem ijs, qui cre-
bro eadem ad ſaturitatem vſque deuorare ſolent: an ideo melan-
cholicis ſubueniunt? ad animi tamen defectionem & cordis im-
becillitatem conferre. Appia mala, quod Dioſcoridi melimela
ſint; roſea verò, quod Epyrotica, Latinis orbiculata, contemplan-
C dum quidem, ſed vere affirmandum eſſe, non videtur.

Cydonia.

CYdonia aſtringenti vi pollent; ſolida, duraque ſubſtantia
conſtant, odorem cum quadam ariditate gratum exhalant;
propter primum, quia rem, cui adhærent, ad ſe alliciunt,
exuguntque, ſtomachum humidum, laſſumque roborant: ob ſe-
cundum, quia difficulter coquuntur, & vbi in ventrem deuorata
D ſunt, ſua interpoſita ſubſtantia, non facile cedunt; præſumpta, ven
trem ſiſtunt: ob tertium, venenis tum humidis, tum putrefacien-
tibus aduerſantur.

Poſt aſſumpta, quod aluum moueant, dicitur quidem, ſed an
ita ſit, compertum non eſt. Nam quod aſtringendi ſua facultate
comprimentia (vt à multis ſcribitur) hoc præſtent, valde ambiguū
eſt; quippe quæ vel pondere ſuo, vel aſtringendo partes continen
tes, comprimant oportet: non pondere, quia parum ex illis poſt
E cibum aſſumi ſolet: non aſtringendo partes, quia ſtomachus ma-
iori eſt amplitudine, quàm comprimi ſecundū ſuas partes, (quē-
admodum in lucanicis implendis exemplum ab his datur) poſſit.

Cydonia quinetiam ſtomacho accommodata ſunt, tosta mi-
tiora fiunt: quæ in melle fuerint condita, & ſeruata, vrinam quidē
(vt pleriſque placet) cient: mel autem contracta in ſe eorum vi, con
trà reſtringit: quæ item in melle coquuntur, ſtomacho vtilia, & ve-

ſcendo grata ſunt, verum in aſtringendo minus poſſunt. A

Poſt vini potum manſa, quia forte quum ſine lentore non ſint, inter glutiendum æſophago adeo inhęrent, vt partem parti ſimul iungant, & ſtringant. Vinum quo minus facile caput vapore ſuo percutiat, prohibent.

Eorumdem ſuccus non minus quidem aſtringit, ſed vrinam ciet: vtrum id efficiat vel odoris, halituſq. ſui acrimonia, vel quia dum in venas meat propter aſtrictionem, totus vnà potiſſimum iunctus, præexiſtentem alium in venis ſuccum ante ſe pellat & in B vrinæ vias tamquàm in excretionis locum protrudat; alterius eſt negocij. Sed illud nos decet admonere, Cydoniatum, ſi bona copia eſitetur, deinde vel aqua, vel vinum bibatur, ſuſpicionem facere, ne aliqua in hepate obſtructio ſuboriatur. Potus enim quum illud liquet, per venas ad hepar maiore copia defert: vbi, quia plurimum eſt, & nimis adhæret, & ægre concoquitur, ſe ſe tantiſper firmat, dum nõ ſolum obſtruat, ſed dolorẽ quoque moueat. Quãobrem huius aut perparum edendum, ſi ſuperbibatur; aut ſi multum deuoratur, non ſuperpotetur. C

Granata.

MAlum punicum omne, aſtringit: ſed acidum magis, dulce minus: mediocre, mediocriter. Dulce tenuẽ in pectus deſtillationem compeſcit, & euocat. Nam leui ſua aſtrictione, fluentis impetum, modice refrænat: dulcedine, quia hæc (vt & Hipp. & Dioſc. tradiderunt) ſine calore non eſt, cruditatem maturat, & educit. Quæ acida ſunt, ſtomachi ardoribus proſunt, maioreſque ad reprimendum vires habent; & ad ciendam vrinam efficaciores. Cæterum creber ſingulorum vſus, venereos impetus abſcindere creditur, an quia (vt Dioſc. inquit,) non nutriunt. D

Meſpila, Sorba, Corna.

MEſpila (vt Gal. placuit) multo fortius quàm ſorba aſtringunt. Parce his vtendum, nec ſane vt cibis, ſed potius vt medicamentis: difficulter enim ſuperantur. Eiuſdem facultatis Corna ſnnt, præterquam quod morſis à cane rabido, quẽadmodum eorum ligna, maxime obeſſe putantur. E

Vocatum Azarolum.

ID ad meſpilum referri debet: Tricoccon Dioſcoridi eſſe putatur; ſuauius & minus aſtringens, quàm meſpilum.

De Oli-

A

De Oliuis.

OLiuæ, ſtomacho vtiles ſunt, non (vt à multis creditur) quia vel facilè ſuperantur, vel ſtomachum valde roborant; ſed quoniam appetitum excitant. Alioqui, quoniam immaturæ condiuntur, & hæ paſſim comeduntur, ventrem aſtringunt; difficulter coquũtur; in ventriculo diu morantur: ob quod oculis obſunt, capitis dolorem mouent, pulmoni plerumque officiunt.

B

De Oliuarum ſucco.

OLeum, qui oliuarum ſuccus eſt, ſua lenta, craſſaque ſubſtantia, tenaciter his inhæret, quæ primum, & proxime contingit: proinde quibus fuerit illitum, in his diu admodum perdurat, adeo vt corpori inunctum, veſtimenti, ac munimenti inſtar eſſe videatur: quippe quod nec ab ambiente facile aut extenuatur, aut digeritur, nec intro in corpus prompte tranſſumitur;
C oculos foris attingens mordicat, vlcera, quæ nimis celeriter ad ſanitatem tendentia, plus æquo ſiccantur, modice humida reddit. Quo dulcius, eo magis & dolores mitigat, & corpora ſicca humectat. Fortium pharmacorum vires obtundit. Ante cibum ſi potetur, aluum mollit; difficulter concoquitur, ægre diſtribuitur, parum nutrit. Intus enim propter inſitum corpori humidum non perinde, ac foris, hæret, ſed plurimum, & velociter labitur.

D

Arbutus.

ARbutus ſtomacho nocet, capitis grauitatem facit, male cõcoquitur, ruſticorum cibus eſt.

Citria, Aurancia, Limonia, Adami poma.

CItri ſuccus coctu difficilis eſt, pulpa magis, cortex maxime: ille frigidus & ſiccus eſt, ventrem ſtingit, putredinem arcet, calorem obtũdit, ſitim ſedat, appetitum excitat: pulmo
E ni tamen & pectori aduerſatur, niſi aut ſaccharo, aut melle paratus adminiſtretur. Pulpa, craſſum, pituitoſumque generat ſuccum; ſtomacho nocet, inflat, frequẽs eiuſdem vſus, coli dolorem parit: neque ante, neque poſt alios cibos edenda eſt, vtpote quæ diſtributionem impediat, neque facile miſceatur illis: Per ſe ſola vel ſaccharo, vel melle condita, ſumi abſque noxa poteſt, vbi vel iter faciendum, vel omnino nouem, exempli cauſa, decemue horas, pau

loue

Ioue plures,aut pauciores ieiunandum eſt. A

Modica enim eius portio deuorata,ventriculum toto die ſaturum ita ſuſtinet,vt vitiatis ſuccis,minime impleri ſinat, ſubinde longo interpoſito ſpatio vt tandem euicta,conſuetam in cœna famem oriri permittat.

Corticem, efficere gratum oris odorem, palam eſt:quidam addunt,ſi parce ſumatur aduerſus atram bilem,& triſtitias,quas illa mouet,opitulari; ſtomachum vſu mediocri roborare,immoderato coctionem labefactare melle conditum calfacere ventrem, humorem qui in eo coijt,, expurgare,coctionem moliri. B

Aurancia,limonia,Adami poma,citro ſimiles quidem habent vires,ſed multo inferiores: priuatim tamen limonis ſuccus cum vino Cretico potus,calculos mirifice pellere perhibetur.

Melongena vocata.

MElangiana,ſiue melongena,ſiue mala inſana,melancholicum gignunt humorem:capitis dolorem inducunt: quo magis apud ignē coquuntur, eo plus mali ſucci amittūt. C Si crebro deuorentur, lienem & hepar obſtruunt; colorem naturalem corrumpunt, nunc pallidum nunc ſubnigrum efficiunt. Manduntur prius elixa, mox cortice nudata, ſubinde oleo,butyroue frixa,ſale ac pipere addito.

Iuiubæ.

ZIzypha,Galeno forte ſerica, officinis iuiubæ; parū nutriūt: D difficile cōcoquuntur: ſtomacho inutilia ſunt;pectoris,atque pulmonis cum calore vitijs conferre, neque non & veſicæ,ac renibus prodeſſe Arabes cenſuerunt.

Iuniperi fructus.

IVniperi bacca,quæ myrti fructum magnitudine imitatur, (vt Dioſc.ſiue quis alius antiquiſſimus memoriæ prodidit)mediocriter calefacit,& aſtringit:Galeno calida in tertio, ſicca in primo eſt ordine: acerba, inguſtabilis; nigra, matura,guſtabilis;hæc E ſtomacho prodeſt: ad pectoris vitia, ad tuſſim , ad inflationes,ad tormina,ad venenata facit: vrinam ciet:conuulſis,ruptis & mulierum locorum ſtrangulationibus confert. Ramenta huius ligni pota,homines necare(vt Dioſcoridi tribuunt)impoſtura eſt.

Siliquæ,

A

Siliquæ, uulgo, Charobæ.

RECentes (vt Dioſc. inquit) ſtomacho aduerſantur, aluum ſoluunt: eædem ſiccatæ ſiſtunt; ſtomacho minus noxię, vrinã cient, ægre tamen hæ quoque tum concoquuntur, tum deijciuntur, & praui ſucci ſunt.

Cynara.

B CYnara, & cruda, & cocta ſecundis mẽſis eſtur: cruda quidẽ, vbi tenera eſt: cocta verò, quum dura; oris odorem commendat, appetitum excitat, vini potum efficit iucundiorẽ, venerem ſtimulat: ægre concoquitur; flatus omnino expers non eſt; capitis grauitatem parit; vrinam ciere creditur: praui ſucci edulium, & maxime quum pluſculum obduruerit, bilemque tum flauam, tum atram accerſere à Galeno cenſetur. Caules, cortice deſquamati, manduntur crudi, folia hyeme obruuntur humo, candorem ſic aſciſcunt, & amaritudinem exuunt. Cruda, coctaue in hi-
C bernos cibos admittuntur; omnia, ſimiles ferè vires habent.

De Fungis.

FVngi, ratione ſimilitudinis, in fructuum numerum aſcribi queunt. Qui ergo natura lethales non ſunt, vtpote vocati pruneoli, quos plerique omnes eſſe ſecuros putant, ſuauem in cibis gratiam habent. Verum & ij, & id genus alij in olivetis
D collecti, periculoſi ſunt. Oleæ namque ſua vicinia (vt à quibuſdam dicitur) in illis craſſitiem, atque lentorem, augere ſolent. ægre in ſtomacho atteruntur: integri, & quales ingeſti fuerunt, ſæpe cum reliquis excrementis redduntur: largius deuorati quàm maxime nocent; ſuo namque lentore ſtomacho obnixe inhærent; ſubinde, dum aut ſuo propter copiam pondere ſtomachum infra magis trahunt, aut propter flatum impenſius extendunt, & œſophagum ſimul deorſum rapiunt, quo nimirum retracto, laryngem aſtringũt,
E mox vel ſtrangulant, vel malum, quod Hipp. arida cholera dicitur, afferunt; vel certe ſtuporem, apoplexiam, vrinæ difficultatem, anhelationem, & animi defectum accerſunt. Deniq. pituitoſum, & frigidum, vitiatique ſucci alimentum præbent. Quamobrem quia non ſolum veneno, ſed etiam copia, flatuve vel mortem, vel aliquod graue malum inducunt, multo melius erit, eos non eſſe, quàm poſt illorum eſum grauiter timere, atque triſtari. Qui vero

ſe ab his continere non poteſt,hic minus periclitabitur,ſi aut butyrum,aut oleũ,aut aliquid huiuſmodi paulo ante illorum eſum aſſumpſerit.Hactenus de fructibus,ad ſemina tranſeundum. A

De Seminibus.

SEmina omnia,quia generant,ſimulque terram, cui inſerũtur, in tumorem attollunt, flatulenta ſunt, & inflant. Nam etſi aniſum diſcutiendo flatui in vſu eſt,idem tamen(vt experientia docet)flatum excitat. Omnia item,quia terrena ſubſtantia ex plantarum natura potiſſimum conſtant,concoctu magis difficilia ſunt, magiſque ſtomachum grauant. Romæ paſsim eduntur amygdalæ,caſtaneæ,nuces iuglandes,auellanæ,pinei nuclei, piſtachia,coriandrum,piper,ſemina item fœniculi, aniſi, cumyni, peponum,lupini,legumina omnia, oryza, far,hordeum, triticum. B

De Amygdalis.

AMygdalæ difficulter coquuntur, ſomnum inducunt,ſtomachum grauant,vrinam cient,parum nutriunt,quinque ſexue in cibo præſumptæ, ebrietatem arcere putantur:minus efficaces ſunt dulces,quàm amaræ.Virides tamen cum viridi ſummo operimento ſuo,in cibo ſumptæ,ſtomachum humentem emendare creduntur: nihil prorſus(vt à pleriſque ſcribitur) aſtringunt,extenuandi,& abſtergendi vi pollent. C

De Caſtaneis.

CAſtaneæ difficulter coquuntur,tarde meant,inflant, aluum ſiſtunt,capitis dolorem inducunt, humido ſtomacho prodeſſe, ſanguinem excreantibus opitulari, & venerem excitare,quia flatum mouent,creduntur.Crudæ magis:elixæ, vel aſſæ minus, prauæ ſunt. Circa finem autumni,& ſequẽtem, hyemẽ, ſi tempeſtas humida fuerit, quoniam exiccant, ſecurius comedi poſſunt:affatim tamen,& crebro deuoratæ,magnopere nocent. D

Nuces iuglandes. E

IVglans difficilis concoctu eſt, ſtomacho inutilis,capiti dolorẽ infert: tuſſientibus inimica:recens ſtomacho, vt pote dulcior, minus obeſt: facilius quàm auellana ſuperatur:ſicca,ſi prius in aqua maceretur, viridem mentitur: ſicca item abunde deuorata, linguam calefacit,& modo quodam quaſi vlcerans, leuiter findit.

Melle

A Melle, aut ſaccharo condita, idē, quod citri pulpa, ſimiliter concinnata (vt proxime diximus) præſtat.

Auellanæ.

NVces Ponticæ, ſiue auellanæ, oblongæ, rotundis præſtantiores, & iucundiores eſſe ſolent: minus alunt, quàm amygdalæ: difficile coquuntur, ſtomacho infeſtæ ſunt, inflationem pariunt; largius eſitatæ, capitis dolorem efficiunt; innocen-
B tiores ſunt virides, quàm aridæ.

De Pineolis vocatis.

NVclei pinei, meliores ſunt recentes, quàm vetuſti: & hi, nēpe veteres, aqua tepida prius macerati, minus noxij quàm ſecus. Nutriunt quidem, ſed non facile coquuntur: ſi in ſtomacho paulo diutius morentur, caput grauant, ac dolore afficiunt, ne dicam (vt à multis creditur) quod pinguefaciant, quod
C pulmonibus, tuſſi antiquæ, renum, & veſicæ vitijs, ac etiam iſchiadicis, paralyticis, ſtupidis, & tremore oppreſſis, opitulentur: quod præterea venerem excitent, & humidum in inteſtinis emendent.

De Piſtacijs.

PIſtacia ſtomacho vtilia ſunt, non quia ipſum roborent, (vt quidam putat) ſed quoniam, vbi ieiunandum eſt, (quemad-
D modum de pulpa citri, & iuglande condita proxime diximus) prohibent, quominus deinceps lædatur. Copioſius deuorata, caput nimis implēt: cætera pineis nucleis ſimilia eſſe vidētur.

Coriandrum.

COriandrum, ſiccum in vſu eſt: ſtomacho bonum: ructum acidum ſedat, ventrem ſiſtit, ſomnum conciliat, ſi poſtremum edatur. Genituram auget, maiore tamen copia ſum-
E ptum, non leui periculo tentat mentem: tritum, & recentibus carnibus inſperſum, ne per æſtatem cito putreſcant, prohibet. Verum ita ſiccum, quia uix alere poteſt, potius inter condimenta, vel aromata cenſeri deberet: quemadmodum piper, aniſum, fæniculum, cuminum, & id genus alia, vbi valde areſacta ſumuntur.

Piper, Aniſum, Cuminum. A

DE quibus nunc dixerim, piper quidẽ vrinã ciere; ſed renes lædere: valenter tum calefacere, tum exſiccare: conceptũ ab ortu vitiare, capitis pituitam elicere, ſomno dolores (vt quidam arbitrantur) finire, appetentiam excitare. De fœniculo ſatis dictum eſt, vbi de illius planta ſcribebatur.

Aniſum.

ANiſum vero, calefaciendi, ſiccandique vires etiam habere, oris halitum commendare: ſtomacho inutile, prætetquam inflato, eſſe: ſomno dolorem leuare, vrinam ciere, fluxum, & albas mulierum fluxiones ſiſtere, ſitim (vt quibuſdam placet) arcere: lactis abundantiam præſtare; venerem proritare: fumo, capitis dolores naribus attractum ſedare. B

Cuminum.

CVminum, vrinã ciere, flatus, & eos præſertim, qui in ſtomacho ſunt, diſcutere: decoctũ eius, bibẽtibus pallorẽ creare: naribus paſtilli modo appoſitum, ſanguinis fluxionem cõpeſcere: mãmas lactis coagulatione turgentes ſanare: frequẽti vſu (ſicut aliqui opinãtur) calculos in renibus gignere. De Peponum ſeminibus, ſuperius, vbi peponum memineramus, locuti ſumus. C

Lupinus.

LVpinus, aqua maceratus, amaritudinem deponit: hoc modo communiter eſtur: concoctu difficilis eſt: ſuccum craſſum gignit, tarde meat, ægre ſecedit: cibi auiditatem facit, faſtidium ſummouet. D

De Leguminibus. Cap. VIII.

LEgumina omnia (vt inquit Hippoc.) flatuoſa ſunt, & propria habent vitia: neque his niſi cum alijs cibis vtendum. Leguminum voce in Vrbe intelliguntur, fabę, cicera, faſeoli, piſa, cicerculæ, lentes. E

Faba.

FAba inflationem parit, magis viridis, quàm ſicca: vtraque tamen cum ſuis corticibus magis inflat, minus vero ſi cortice denudetur, atque dum coquitur, ſi prior aqua ſimul eijciatur:

A ciatur: ægre à ſtomacho ſuperatur, caput grauat, mentem turbat, vana & tumultuoſa inſomnia, crudoſque humores gignit; colicæ, ac herniç obnoxios peculiariter lædit. Farina eius elixa mammis inflammatis, & quibus lac in grumos coagulatur, prodeſt: proprietate quadam (vt dicunt) deſtillationes ex capite in pectus compeſcit: excreationibus tum ex thorace, tum ex pulmonibus proficit. Aluum Hippoc. ſiue quis alius antiquiſſimus, ſtringere; Galenus propter abſtergendi vim, quæ in ea eſt, lenire tradit. Vtrum ſit, li-
B bello noſtro, de aluo, ſine medicamentis, mollienda, declaratũ eſt.

Cicer.

CIcer, aliud album (quod columbinum vocant) aliud rubrũ, quod, quia venerẽ magis excitare putatur, venereũ dicitur. Tertiũ nigrum, mole minus, quod arietinũ appellant. Tradunt, cicer, aluum mollire, vrinam ciere, lactis abundantiã facere, ſed inflationes gignere: difficulter coqui, neq. ante, neq. poſt cibũ,
C ſed in medio edendum eſſe: viride tamen malum colorem, maleque olentem halitum efficere, non reperiri aliud in leguminum genere, quod magis nutriat, & pulmonem, vocemque clarificet, vim abſterſoriam validiorem, quàm fabam, obtinere, adeo vt recenter creatos in renibus calculos cõfringat, & comminutos deturbet: ſed longe magis hac facultate arietinũ pollere. Ideoq. ius eius, ſpeciatim veſicç morbis & vlceribus ſupra cætera legumina, officere. Album vtilius eſſe, vtpote quod aluum, vrinamque du-
D cat, & magis alat.

Phaſelus.

PHaſelus, ventris inflationes (vt alia legumina) gignit: ægre concoquitur, vrinam cit, ſemen generat, venerem excitat, tumultuoſa, & terrifica, quemadmodũ lentes, efficit inſomnia: corpus (vt Arabs quidam ait) pinguefacit, crebro vſu vertiginem accerſit, eiuſque decoctum menſes proritat: ſi viridis tener
E cum ſuis folliculis elixus in acetarium ſumatur, aluum mollire creditur.

Piſum.

DE hoc Dioſcorides nihil, quod ſciatur, ſcriptum reliquit: Hipp. aluum mollire, memoriæ prodidit. Quidam alter, cremorem eius: Galenus cum faba quãdam habere ſimilitudinem

litudinem, non æque tamen ac fabam mouere flatum, neque detergere. Ideoque ſegnius quàm illam, per aluum ſecedere. Recens eius theca cum ipſis granis ab aliquibus manditur. A

Cicercula.

Cicercula, pauperum menſas, plerumque diuitum, non niſi luxuriantis gulæ gratia, implet. Perinde atque piſis vtuntur, illius cremorem phaſelis ceu potentiorem in alendo præferunt. B

Lens.

HEbetat oculorum aciem lentis continuus vſus: ægre concoquitur, ſtomachum, & ventrem inflat, grauia, & tumultuoſa inſomnia facit, neruis, pulmonibus, & capiti inimica. Contra lac ſe in grumos coagulans, & lactis abundantiam, in maris aqua cocta, & illita mammis remedio eſt: præſtat in cibo, quæ nihil atri in maceratione relinquit: hyeme melius, quàm alijs temporibus editur; menſtruos fœminarum curſus firmat, coitum prohibet; ideo caſte volentibus viuere conuenit: ſanguinem reddit hærentem, tardifluum, eiuſque inflammationem extinguit. Denique (vt complures innuunt) cum cortice, & ſine cortice, primum elixa, deinde abiecto iuſculo comeſta, ſemper adſtringit: magis tamen cortice induta, quàm exuta: cremor vtriuſque contrariam vim habet. Nam ſiue modice, ſiue plurimum coquatur, vtriuſque primum ius aluum mollit, ſecundum aſtringit: ſed magis eius, quæ cum cortice, quam eodem nudatæ, primum ius ventrē ducit; ſecundum cohibet: quandoquidem cortex, vt illam integrā tuetur, ita facultatem in ea ventrem molliendi, quo minus diſſipetur, defendit: quemadmodum etiam; hordeo vſu venit, quippe quod ſi non purgatum (vt Hipp. inquit) coxeris, purgat is ſuccus fortiter; ſi vero decorticatum coxeris, perfrigerabit magis, ac aluum ſiſtet. C D

Oryza. E

VEntrem compeſcit, mediocriter alit. Illius vehemens aſtrictio (vt quidam dicunt) retunditur, ſi nocte integra cum furfuris aqua maceretur; ægre concoquitur: minus tamen vbi cum lacte bubulo, aut amygdalarum cremore, aut carnium iure pingui, deuoretur: quomodo præſertim cum lacte, ſemen augere putatur.

Far.

A

Far.

LAtini exiſtimant,de omnibus frugibus dictum far eſſe: po-
ſtea frumento cuidam particulatim tribui cæpiſſe. Apud
Græcos quidam chondrum,quidam longe aliud eſſe volũt;
quidnam modo ſit, nondum ſatis conſtat. Id,quod paſſim cir-
cunfertur,tritici quædam ſpecies,maioris tamen, & longioris, &
durioris eſſe videtur. Hoc etiam ab eo differens, quod minus len-
B tum, magiſque friabile, quam triticum,ſit:proinde ſalubrius eſſe
farris huius,quàm tritici,cum aqua,vel iure aliquo ferculũ;vtpote
quod lentũ quiddã, cum friabili iunctũ habeat; quamobrem vbi
diutius coquitur, (ſic enim optime paratur) inſtar triticeæ farinæ
cum acido pane ſubactæ fermenteſcit, & melius in ventriculo
vincitur. Quemadmodum enim fermentum acore ſuo panem
triticeũ coctu faciliorem reddit,ita friabilitas,vt ita dicam,quæ in
farre eſt,ſuper igne,diu cũ eius lentore verſata, far ipſum atterens,
C & minus viſcidum,& ſuperatu promptius efficit.

Hordeum.

AVctores omnes,hordeum refrigerare, & nonnihil abſter-
gere tradiderunt; ſiccare vero, & humectare, pro vt cum
humido,aut ſine humido fuerit: quemadmodum ex hor-
deo tum polenta,tum ptiſana:quippe illa ſiccat,hęc humectat.Nõ
differre ab antiquorum hordeo,patet ex his,quæ Hipp.2. de Diæ-
D ta,memorię prodidit.vbi ſcribitur;Hordeum,natura frigidum eſt,
& ſiccum. Ineſt & purgatorium quiddam ἀπὸ τοῦ χυλοῦ τοῦ ἀχύρου
à ſucco intra glumas contento (ita liceat hoc loco τὸ ἄχυρον inter-
pretari)ſic enim ſequentia monſtrant, quando ſubiungit.Eius ſi-
gnũ habebis,ſi voles,hordeum nõ purgatũ coquere. purgat enim
is ſuccus fortiter:ſi vero decorticatũ coxeris, perfrigerabit magis,
ac aluum ſiſtet:quum autẽ coctũ fuerit,humor quidẽ purgatorius
prę igne perit,frigiditas autem & ſiccitas relinquitur. Hactenus
E Hipp.Ex quibus nõ modo,quod proxime diximus,manifeſtũ eſt,
ſed etiam medicos noſtræ ætatis vehementer errare, qui dum cu-
piunt ptiſanam magis abſtergere, deglubendum eſſe hordeum
contendunt,& iubent:quod tamen eo minus abſtergit,quo ma-
gis eſt ſua tunica denudatum:ſimulq. eos magnopere decipi, qui
ptiſanam ſimiliter abſterſoriam cum iure pulli conficere volen-
tes,hordeum aqua prius incoquunt quoad rumpatur, deinde illã
abijciunt,

abijciunt, mox in eius vicem ius pulli commiſcent. Non vidétes, A
maiorem abſtergendi portionem in aquam ipſam decubuiſſe, tã tumque abeſſe, vt huiuſmodi ptiſana abſtergat, vt aluum ferè con ſtringat.

Triticum.

DE hordeo plus ſatis, ad triticum accedamus: cuius & vis, & bonitas, quũ omnibus nota ſit, id modo dixerim, quod triticeus panis rite fermentatus, ex omnibus alimentis ho B mini accommodatiſſimus eſt: quippe qui ſtomachum non inflat, corpus agile reddit, leniter implet, duram ſatietatem arcet, viſcidam, craſſam, & crudam pituitam ab ſtomacho tergit, placide nutrit, ſæpius, quàm nutrimenta cætera, placet.

Non inflat, quia ventriculum, non excitato ſpiritu aliquo, ſed propria mole in amplum eleuata, diſtendit Humido namq. ſi iungatur, quaſi ſe ipſum explicans, & expandens, ventriculi partes attollit, lõge ſecius, quàm hordeaceus panis, quàm legumina, quàm C fructus, quàm piſces, quàm terreſtrium animalium carnes, & id genus alia. Quinimmo reliqua nutrimenta, quæ paſſim eſitantur, vbi par expletio eſt, multo magis illum grauant, quàm triticeus panis: vt pote quę maiore mole ingeſta, in minorem concidunt, deinde ſtomachum premunt, vt quinquaginta ficus comeſtæ, & alia huiuſmodi. Contra verò panis hic, exigua quantitate deuoratus in amplam (vt diximus) prompte attollitur. Id quotidie paſſim experimur ſi vel in aquam, vel in iuſculum aliquod immergatur. Nã D ferè ſtatim ſe ſe in magnam explicat, ampliatque: vt mirum nõ ſit, ſi minori, exempli gratia, carne, pluri autem pane ſumpto, leuiores euadamus, quàm cõtra. Vt enim ieiuni grauiores ſumus, quàm cibis refecti; & follis coriaceus, grauior vacuus aere, quàm plenus: ita triticeo pane referti, ſi modus adſit, agiliores, quàm aut carne, aut fructibus, aut alijs id genus alimentis, efficimur. Siquidem ſtomachum ille attolli, hæc conſidere faciunt; partiũ namq. eleuatio, leuitatem: concidentia, grauitatem parit. E

Pluris igitur triticei panis vſus, non modo ſtomachum nec inflat, nec grauat, ſed etiam, ſi modus adſit, corpus agile reddit: Hoc pacto, quia leniter implet, duram ſatietatem prohibet: de qua homo, ſi aut alijs cibis; aut his magis, quàm pane veſcatur, promptiſſime animalium omnium, crebro periclitatur: quandoquidem expletio, quæ à pane ſedulò fermentato fit, (quidquid alij

A alij dicant)facilius vincitur,quàm ea,quæ ab alijs nutrimentis,videlicet æque ferè ſolidis. Secundum enim molem, hæc multo plura, ſimulque maiora. Illa, quæ ex pane, & panciora, & minora requirit. Nam ad ſtomachum celeriter implendum, quod naturaliter maxime omniũ appetimus,minor portio panis,quàm cæterorum, non inquam liquidorum, ſatis eſt:vtpote panis libra vna,ſtomachum & magis,& commodius extendit,quàm carnis, aut alicuius alterius,libræ duæ. Quod vulgo iactatur, omnis re-
B pletio mala, panis autem peſſima,(niſi commentum quippiam ſit ad compeſcendam implendi ſtomachi auiditatem: quum panis ſæpe tum præſtò ſit, tum ſæpius placeat, ne hominem immodica expletio plerumq. torqueat,ſubinde aut in grauiſſimos morbos, aut denique in mortem deducat:) neque verum eſt, neque apud auctorem fide dignum inuenitur. Aliqui Auicennæ attribuunt. Sed hæc ſententia in eius commentarijs, qui ad nos peruenerunt, nuſquam legitur. Quis enim non nouit expletio-
C nem ex fungis, ex piſce, quam tincam vocant; ex armoraceis (vt nos in quodam vidimus,) multo deteriorem eſſe, quàm ex pane? At ſi quis poſt diuturnam famem, pane ad ſummum impletus,ferè ſtatim perijt;id non pani,ſed extremæ expletioni tribuendum:ſimile namque (immo peius)ex alijs alimentis,modo ſolida ſint,contingere ſolet.

Quia igitur natura,ventriculum,in quo,velut in penuario,nutrimenta recondit,amplum,& plenum,quoad fieri licet, eſſe per-
D petuo poſtulat; vt ibi parato ſemper alimento,ſicut in terra plãtis, illius defectu animal perire non poſſit. Panis id ipſum inter omnia ferè nutrimenta perquàm commode præſtat: quippe qui, (niſi forſan immodicus fuerit)ventriculum & celeriter, & ſine moleſtia replet. Impedit enim quo minus homo duriter ſaturetur; tamquam is,qui mole ſua ſtomachum iam ſatis quum extenderit, naturam ab appetitu rurſus implendi diuertens, noua alia cibaria recipi non ſinat.

E Atqui viſcidam pituitam, ſiue crudum humorem, qui in ſtomacho plerumque redundat,panis ante liquatus,deinde illi commixtus;(cum humido enim prompte ſoluitur, facileq. miſcetur) lentore ſuo,quando infra deſcendit,in inteſtina ſecum ducit:& vt quotidie ſecedit,ita quotidie ſtomachum abſtergit:id quod nutrimentis paucis vſu venire ſolet. Nam etſi piſces, exempli cauſa, lentore quamplurimo conſtant, quia tamen ſua mole in ſtoma-

cho concidunt, denſanturque, potius quàm cum eius humido rarefiant, & miſceantur: vbi ſecedunt, ab alijs quaſi ſegregati, nihil ferè aut trahunt, aut tergunt. Indicio ſunt ſputa multa, & viſcida, quæ (vbi homo non valde exercetur,) illis comeſtis contingunt. Quippe lentus eorum ſuccus, quia non facile miſcetur, in corpore ocioſo relictus, vel in ſputa, vel in deſtillationes abit. Eadem eſt caſei, & aliorum huiuſmodi ratio, quum homo aut nihil, aut parum exercetur. A

Placide nutrit, quia, dum quoad ſatis eſt, ſtomachum impleuit, ex eo in venas plus ſucci non elicitur, quàm poſſit natura conficere; longe aliter, quàm alimentis reliquis accidat. Hæc enim ſæpenumero, aut ſicciora ſunt, vt arefacta, tum perſica, tum mala: aut humidiora, vt recentes vuæ: vtraque præter id, quod ſtomachum & implent, & grauant: illa per exiguum, hæc nimium corpori ſuccum tribuunt: vtraque deinde longa dierum ſerie grauiter lædũt, & morbos à nutritione, illa quidem perquàm parca, hæc autem, immodica gignunt. A pane vero vel per ſe ſolo, vel cum alijs, maiori tamen ex parte ſumpto, vbi ſtomachum naturaliter expleuit, neutrum euenit; quia ſuccum corpori alendo, non ſuperfluum, ſed qui ſatis eſt, ſuggerit, multumque ſtercoris, pro ſui ratione, ſecernit. Vt ruſticorum exemplo, qui ſolo pane, & aqua veſcuntur, palàm fit: quippe qui (niſi quid extrinſecus accidat) agiles, robuſti, ac bene ſani ſunt: ſubinde per aluum affatim deijciunt. B C

Hinc notum eſt, cur magis ſæpe, quàm reliqua nutrimenta placeat: quia enim frequens expletio, de qua (vt diximus) crebro periclitamur, ſi modus in panis eſu adſit, aut minus ſæpe, aut certe nũquam lædit; quis iure non aſſeret, boni panis vſum homini non abhorrendum, ſed amplectendum eſſe? Atque propterea frequentius arridere: quippe qui in magnam molem, quum facile pandatur, ſtomachumque cito extendat, grauioribus alimentis eundem (niſi homo aut negligens ſit, aut ſic omnino velit) ſuperimpleri non ſinit: quum item ſuccum exiguum præſtet, qui vaſa interiora multum repleri prohibet, ſatietatem perraro afferre poteſt. At vero tum diſplicet, vbi in ſtomacho humidum non eſt, quo liquari poſſit; vt pleriſque febrientibus euenit: vt vſu venit etiam ijs, qui vel nimium comederunt, vel qui ructus nidoroſos edunt, vel ore, aut amaro, aut valde ſicco ſunt; aut omnino maxime ſitiunt, totoque vel corpore, vel ſtomacho inſigniter æſtuant. Cæterum panis calens; quia calore ſuo humidum ad ſe trahit, & ſugit; aluũ D E

adſtrin-

A adſtringit, ſitienloſus eſt, inflat, citoque ſaturat. Vetus, quia nimis exſiccatus eſt, non minus aſtringit. Recens vtroque ſalubrior eſt, & inteſtina, leniter implendo, ferè mollit.

De Aquaticis, & præcipue de Piſcibus. Cap. VIII.

EXpleto ſermone de alimentis, quæ à plantis, tempus eſt, ad ea, quæ ab animalibus petuntur, accedere. Verum de aquatilibus ſcribendum, quia plantis propiora
B videntur: Deinde de terreſtribus, cum quibus & volatilia intelligimus.

Ante omnia vero ſcire licet, aquatilium nomine, nos accipere non ſolum piſces, & quæ tantum in aqua ſunt animalia, ſed etiam his ſimilia; quæ partim in aqua, partim in terra, diuerſis tamen in temporibus, viuunt, vt cochleas vt teſtudines & id genus alia.

Deinde, aquatilia cuncta ferè lenta, & humida ſubſtantia conſtare: humida quidem, propter aquam, in qua verſantur, lenta ve-
C ro, propter oleoſum, ſeu pingue, quod in omnibus animalibus neceſſario reperitur; alioqui natura flecti vix vmquam poſſent.

Sed quæ plurimum lentorem habent, difficulter in ventre coqui, ſtomacho nimis inhærere, faſtidium parere, colicis obeſſe, caput lædere, ſtrangulationem, veluti fungos, minari, in his, qui aluo aſtricta ſunt, infenſam putrefactionem latenter accerſere, vt comeſtis anguillis, vt etiam vocatis tincis vſuvenit. Poſtquam enim in ventre putruerunt, alijs veſicas, & vlcera palam intra os, labra,
D nares, clam vero aluum intra, alijs deſtillationem moleſtiſſimam ad articulos, acri ſuo calore interdum mouere conſueuerunt. Æſtate quinetiam præcalida, valde periculoſa eſſe: quia enim per id tempus, plurimum bibitur: lenta eorum ſubſtantia ſimul cum potu, per vniuerſum corpus immodice digeritur, ſuccumque ex alijs alimentis, mixtura ſua crudum, & coctu côtumacem reddit. Id quod & cruditas, & longa, pertinaxque laſſitudo ſequi ſolet. Hæc item, & alia his proxima; ſi mortua breui concidunt, vt mi-
E norem locum in ſtomacho capiunt, ita plus æquo eſitari; ſatietatem efficere, ſitim inducere.

Hæc quoque, quoniam nimio lentore ſuo in ſtomacho magis figuntur, diuque retinentur, aluum ipſam compeſcunt: ſubinde ſuccum viſcidum ceu nimium nauſea quadam emergente, per œſophagum ſurſum ad os mittere, qui obuiam laryngi factus, partim in tracheam arteriam delabitur, & tuſſim inſignem mouet;

partim caput, nobis præcipue cubantibus replet, & nouæ deſtillationi in ſubiectas partes occaſionem præbet. A

Neque verum in his eſſe, quod dicitur, quia facile corrumpuntur, facile concoqui: ſed contra, vbi facile cõcoquuntur, facile corrumpi. Neque item, ſi prompte putreſcunt, quod aluũ lentore ſuo firmẽt; quoniam ſi lentorẽ accedente putrefactione fortaſſis amittant: nam amittere ſolent: vt acrimoniã, quæ ventrem irritat, propter putredinẽ, celerius acquirunt, ita citius per aluum prodeunt.

Eligenda vero potiſſimum eſſe, quæ maxime fragilia, paucíq. lentoris participia; & ex his primum marina, deinde fluuiatilia, tertio lacuſtria. B

Cæterum eiuſdem ſpeciei piſces, ſi mare, fluuium & lacum frequentent, præſtantiores eſſe, qui ſæpius in mari verſantur; deinde qui in fluuio; tertio qui in lacu; duræque carnis ægrius, quàm mollis, confici, Philotimum prodidiſſe.

Meliores, & paruos & magnos in aqua, ſiue ſalſa, ſiue dulci, natantes; modo puram, & fluentem inter lapides percurrant; ſiue promontoria tantum in mari, quos aliqui proprie dici volunt ſaxatiles; ſiue omnino petras vel in mari vel in aqua dulci potiſſimum habitent. C

Eos contra deteriores, qui citius, his, qui aliquanto ſerius in aere permutantur; qui firmas, & quietas aquas, his, qui currentes & murmurantes incolunt: qui putreſcere anticipant, prius quàm in ventre coquantur.

Illos vero qui prompte putreſcunt, quia nimis humidi ſunt, alimentum præſtare, ſolutu ac diſſipatu facile, ſimulque humidum & aquoſum excrementum. D

Nec ignorare decet, plurimum piſces magnos, omnes, concoctu duriores eſſe quàm paruos, eiuſdẽ generis; modo molles omnino non ſint. Coctu quoq. difficiliores, qui torrentur, quàm qui elixi: peiores tamen qui oleo friguntur.

Quod perhibent, calidis, ac ſiccis temperaturis, & æſtate potiſſimum conducere: pituitoſis autem, & hyeme, plurimum nocere. E Tutius eſſet ſi dixiſſent, piſces, his, qui ſibi conferre, quandocunq. & vbique, & ſæpius experti ſunt, prodeſſe: qui vero contra, obeſſe. In cibis enim eligendis, quoniam his populus veſcitur, quum hos experiri nihil periculi ſit, nullam aliam certitudinem inuenies, (vt etiam Hippoc. innuit,) quàm corporis ſenſum. Denique qui propter conſuetudinem vernaculos piſces experientia habent

explo-

A exploratos, ijs memoratis proxime indicijs, ad ipſos dignoſcendos, nihil opus fuerit: quibus vero eorum vſus eſt inſolitus, ſiue ex alia ciuitate huc migrarint, ſiue ſint incolæ, hæc omnia ſtatim initio expendant, priuſquam à propria experientia ad cognitionem naturæ ſingulorum adducantur.

De Marinis piſcibus. *Cap. IX.*

De Sturione.

B INter piſces igitur, quibus Romæ veſci ſolemus, ſturio eſt. Hic vulgo, dum natu maior eſt, propriè ſturio; dum vero minor, porcelletta, dicitur. Veteribus ab aliquibus, ſylurus putatur; pluris æſtimatur quàm vllus alius piſcis; quoniam gulæ & ſapore, & pinguedine, potiſſimum arridet. Craſſum, lentumque ſuccum gignit; carne dura, & glutinoſa eſt; difficile concoquitur, ſed tanto difficilius, quanto recentior; fraceſcens, (frolium vulgo dicunt)
C melior eſt: æſtate media, & capite, & abdomine, magis placet. Robuſtis, & qui ſe multum exercent, magis quàm ocioſis, & ſtomachum debilem habentibus conuenit. Antea igitur quàm menſæ apponatur, debet tum franceſcens, tum diligenter ad ignem coctus eſſe, deinde, ſi elixus ſit, cum leucophago, id eſt albo ſapore, quibus arridet, mandi.

Vmbrina.

D VMbrina, quæ & vmbra, vocatur, carne non perinde, ac ſturio, dura eſt, nec adeo ægre coquitur. Diebus canicularibus præcipue pingueſcit. Abdomine, & capite maxime laudatur Imbecillioribus ſtomachis negocium facere conſueuit: Suauior eſt aut elixa, ſubinde cum leucophago, ſi comedatur; aut cariophyllis pertuſa, ſi poſtea verubus aſſetur; atque interim oleo & omphacio ſæpius perfundatur.

Thynnus.

E IN varias, multaſque differentias à quibuſdam partitur, vulgo tamen, vbi ſatis adultus eſt, ſexque menſes excedit, Thynnus: citra vero, pelamis, appellatur. Æſtate, quoniam aſylo (vt dicunt) infeſtatur, deterior eſt; poſt arcturum melior: quoniam ab eo liber eſt. Recenti pulpa, iuxta ventrem, ipſoque pingui ſumine, palato quidem gratus, verum languidioribus ſtomachis inimi-

cus,

cus,nauſeamque afferre ſolet.Circa vero dorſum, & caudam,vt parum delectat,ita minus officit. Forſan id,quia parcius,illud, quia plus iuſto comeditur, euenit:carnis duræ & grauis eſt; difficulter coquitur:pelamis,paulo minus:ſed hæc(vt quidam volũt) vrinam peculiariter mouet. A

Recentes thynni condiuntur, in fruſta diuiſi; ſale prius, deinde contrito coriandro aſperguntur; mox verubus aſſantur, Interim continua olei,& aceti inſperſione,fæniculi vmbella,aut libanotidis ramulo, irrorantur. B

Rondine Græce, ἱέραξ: *latine,miluus.*

CArnem obtinet valde duram: palato iniucundus,ſpectandus magis eſt,quàm comedendus.

Rondine Græce, χελιδὼν: *Latine hirundo.*

ROmæ raro uidetur: guſtui non admodum arridet; Carne dura eſt, non facile coquitur; minus tamen hic piſcis malus, edendo,quàm miluus eſt. C

Coruus,qui Græce, Κορακίνος, *appellatur.*

AEſtate ſæpius capitur; carne dura eſt: ab ijs, qui gulæ deliciosius incumbunt,non laudatur:Eſt albus,& niger: albus melior. Quod paralyticis conferat (vt quidam putat) experientia ignotum adhuc eſt:ſicut etiam lapillus in eius capite inuentus, ſi puerorum collo ſuſpendatur, quòd regium morbum excutiat. D

Piſcis,vulgò capone.

QVibuſdam Cuculus,Græce,κόκκυξ, quibuſdam aut citharus; aut mulli quædam ſpecies eſſe videtur: quicquid ſit; piſcis apud noſtrates omnes materna lingua,capone; qui carne alba, & firma & friabili conſtat,bonitate cibi à paucis piſcibus vincitur,minus tamen ſapidus eſt,quàm ſalubris. E

Piſcis alius,vulgo capone,Græce κόραξ, *Latine coruus.*

CAponi prædicto ita ſimilis eſt, vt eidem in omnibus ferè congener eſſe videatur.

A *Peſce forca, communiter etiam capone vocatur, ſed Græce lyra, & Latine lyra.*

PAſſim inuenitur, carnem habet inſtar milui, proxime dicti duriuſculam; idcircò non admodum expetitur: fere, quemadmodum miluus, negligenda eſt.

De lupo, qui ſpigola vocatur.

B SPigolam, quæ Græcis λάβραξ, Latinis lupus eſt, ſucci tenuis eſſe quidam perhibent, ſalubribus aſcribunt: hieme, ſed præſertim Ianuario menſe, ſi capiatur, ſummam ei ſaporis gratiam ineſſe tradunt.

De Cephalo.

CEphalus, mugilum genere comprehenditur: Qui in ſtagnis & fluuijs degit, (vt Hippocrates aſſerit) & grauis, & ma-
C lus eſt: qui in mari, guſtum valde delectat. Ob id ſæpe plenius eſtur: ſæpeque capitis dolorem inducit: eius pinguedo, (vt etiam ille teſtatur) homini eſt infeſtiſſima.

Aurata Græce χρύσοφρυς.

BOni quidem ſucci eſſe, ſed ægre concoqui à quibuſdam putatur. Tarentina cæteris alijs præfertur: Romana non item: æſtate rarò capitur; hieme crebrò: illa vilior; hæc melior.

D *Dentex, Græce συνόδων.*

SApidum piſcem plurimi eſſe cenſent: quidam, vt Niceſius, copioſe alere, ſed carnoſum, magis; pinguiorē vero, minus: modicè item adſtringere, ac difficulter excerni.

Vocatus Fragolinus.

LAtine rubellio, Græce ἐρυθρῖνος ex piſcibus, qui aſſantur, pro-
E batiſſimus cenſetur. Eſt enim & guſtui gratior, & ſtomacho nequaquam moleſtus, vtpote qui etiam febricitantibus (vt quidam exiſtimant) concedi queat: ſiquidem nullam, lentiq. humoris exuberantiam habet. Quum ſeſquipedalem magnitudinem exceſſerit, in denticem euadere, communis piſcatorum opinio eſt. Præſtantior exiſtimatur, ex Niceſij ſententia, vere ipſo: ex Archeſtrati, exortu caniculæ; apud Romanos hieme. Ad ſummam ſa-

mam ſaporis eius gratiam comparãdam ganeones: tria requirunt, ſcilicet, vt ſint recentes & frixi & frigidi; ſic tamen, vt aurancij ſucco, ac modico pipere, pulpæ eorum torpeſcentes aliqua ex parte molliantur, & excitentur. A

Salpa.

IGnobilis, & plebeius piſcis eſt ab aliquibus appellatur obſcœnus, niſi ferula verberetur, percoqui vix poteſt: æſtate, ſi quid boni habet, melior eſt; in ventriculo (vt plerique admonent) ægre conficitur, nec niſi malum ſuccum gignit. Et ſi vero tam operoſe, atque eleganter à natura depingitur, (ſiquidem eum à ceruice in caudam per argentea latera aureæ, rubenteſque lineæ certis diſtinctæ interuallis decenter exornant:) ab optimatium tamen menſis, vt inſulſus, & mendax, repudiatur. B

De ſargo, populariter ſargone.

SArgus, quamquam auratis non abſimilis eſt, dorſo tamen multo magis repando, ventreque prominentiori eſt. Ex Niceſio, bonitate ſucci, & ſuauitate ſaporis, melanuro præfertur: aſtringit item, & nutrit magis quàm melanurus: autumno, & hieme melior: duræ carnis eſt, non facilè coquitur. C

Occhiata vulgo.

MElanurus, Græce μελάνουρος, quod nigram habeat caudam, appellatur. Sargo (vt diximus) inferior eſt: vere, & autumno minus malus: Neapoli (vt ſcribunt) frequens eſt. Romæ raro conſpicitur. D

Mullus Græce τρίγλα.

ROmanis, quaſi exoleto Latino nomine, triglia, Græca voce appellatur. Galeno fermè aliorum omnium ſimilium carnem habet duriſſimam, & valde friabilem; lentoris, atque pinguedinis expertem; vtpote quæ alimentum ſit, hominum naturæ accommodum. Quanto maior fuerit; tanto magis improbanda eſt: tum quia carne (vt multis placet) inſuaui, & valde dura conſtat; tum etiam quia leporem marinum, qui nobis veneno eſt, & ſæpius; & promptius quàm minor, edit. Si crebrò comedatur, oculorum aciem hebetare, & neruis inutilis eſſe creditur. E

Laccia.

A

Laccia.

LAtinis quibuſdam aloſa, Græcis aliquibus θρίσσα dicitur. Marina, ſtrigoſa, inſuauis eſt. In Tiberim ſubiens, ibique breui dierum ſpatio capta (quoniam citò pingueſcit) tenera, & ſapida redditur, & niſi ſpinulæ, quibus eius caro tota perfoditur, obſtarent; perquam iucunda eſſet. Verno tempore capitur, deinceps rarò videtur, vbi copioſe comeditur; id quod plerumque accidit,
B quia Romæ, quum recens capiatur, gulam maxime irritat, Glutinoſa, & multa ſua ſubſtantia in ſtomacho nimis hærens, diuque manens (vt alijs id genus piſcibus vſu venit) aut ſitim moleſte auget, aut intempeſtiuam ſomnolentiam inducit.

Suaro paſſim dictus.

REuera non ſaurus, ſed (vt quibuſdam placet) Trachurus eſt: dura carne conſtat, ob id ægrè concoquitur, craſſum-
C que ſuccum gignit, pedalem magnitudinem rarò excedit, quouis anni tempore capitur.

Tarantola, vulgo.

PIſcis hic eſſe ſaurus, Græce σαυρὸς, ſeu σαῦρις, creditur: ſi ſic eſt, carnem habet (vt Gal. inquit) duritie, mollitieque mediocrem: raro tamen habetur.

Scombrus, ſiue Scomber.

D

NOſtri macarellos Veneti ſcombro appellant. Vere pingueſcit, tenerque fit. Hoc tempore inter delicatiora obſonia numerari poteſt; reliquo, ab innata quadam ſiccitate, ignobilis eſt. Carnem enim duriuſculam, exſuccamque habet: vix vnquam ad cubitalem magnitudinem excreſcit: minor maiori ab aliquibus anteponitur.

Merluzus, vulgo.

E

ASellum proprio nomine Ligures; Romani ſcarmum, & Merluzum appellant. Media æſtate, (vt quidam ſcribunt) ſexagenos dies latet. Apud antiquos inter nobiles piſces habebatur: ſed quia victu nunc prauo, nunc probo (vt ferunt) vtitur: ſi moderata carne ſit, pluris: ſin molliore, & pinguiore, minoris æſtimandus eſt.

Merula, turdus, iulia, perca, phuca, ſcarus. A

MErula plebi merlo; turdus & minor, & maior, paſſim tordo: ſed maior duplex, alter verdone, alter (quia tuber) etſi dici poſſet roſſone, adhuc tamen vulgari nomine donatus non eſt. Iulis ſiue iulia, Romæ, ac Neapoli obſcœno vocabulo, menchia de re. Perca, vulgo perchia: Phuca ſeu phycis, confuſe quoque apud vulgus percia: Scarus omittitur, quia nondum quis vere ſit, notum eſt. Piſces olim laudatiſſimi, quippe qui à Galeno in ſaxatilium numerum aſcribuntur; atque alimentum, quod ex B eis ſumitur, non modo ad coquendum facile, ſed etiam hominum corporibus ſaluberrimum præſtare traduntur. Ætate noſtra longe aliter habent: à plurimis enim piſcibus, & bonitate carnis, & ſuauitate ſaporis manifeſte vincuntur; ſeque ipſis, prout prius erant, multo ſunt inferiores.

Boca.

BOopam, potiusquam Bocam appellari debuiſſe quidam aſſerit: quoniam is ipſcis prægrandes habet oculos. Cęterum C Bocæ fœcundiſſimæ ſunt, gregatim capiuntur, ſolentque eas piſcatores in oleo, acetoque ſemicoctas cum myrto plurima, in caniſtris aſſeruare: quę poſtmodum in remotiſſimas à mari Italo regiones, mercimonij cauſa deferuntur: viles ſunt, & precio, & bonitate, quum ſucci, tum carnis.

Gobius. D

GObio, vel Gobius à Venetis Go: Romę (quia raro cōſpicitur) peculiare nomen non habet: ſemipedalem longitudinem non excedit. Galeno pręſtantiſſimus ad voluptatem, coctionem ſimul, ac diſtributionem, & ſucci bonitatem eſt, is, qui in arenoſis littoribus, aut ſaxoſis promontorijs viuit. Non autem ęque eſt iucundus, neque boni ſucci, neque ad coquendū facilis, qui in fluminum hoſtijs, aut in ſtagnis, quum dulcibus, tum ſalſis verſatur. E

De vocata, Frictura.

EX pręd ictis vero piſcibus, qui minores ſunt, quàm eſſe ſoleant, frictură nomine veneunt. Sunt enim multa piſcium genera, quę ob paruitatem, in ſartagine frixoria, feruenti oleo coquuntur; ſicuti paruæ miglę, bocæ, ſcombri, Trachuri, pagri, auratę; propterea vna voce, frictura vulgariter appellantur.

Sarda,

A *Sarda, ſardone, ſperone, halec, vulgo alece.*

ANtiquorum ſarda valde differt à noſtra. Illa (vt Plinius exiſtimauit) quædam pelamidis ſpecies eſt: hæc à multis poſterioribus trichia, ſiue trichis vocatur. Carne conſtat neque admodum lenta, neque valde friabili; quouis modo coquatur, elixa, aſſa, frixa, ſemper placet. Autumno, quia pinguior eſſe ſolet, melior habetur.

Sardone aliquibus chalcis, ferè ſardam æmulatur.

B Piſcis vero, ſperonius appellatus, dicto quidem ſardoni figura, non autem virtute ſimilis eſt: vilis enim pretij eſt, male ſapidus, ſquamis infenſus.

Halec modo liquamen ex piſcium inteſtinis, modo piſciculus quidam valde minutus nuncupatur: is qui vulgo alice dicitur, eſſe creditur: Græce ἀφύη, Latinè apua. Cum ſarda, niſi longe minor eſſet, de bonitate pugnaret.

C *Scorpæna Romæ ſcorfanello, et ſcorpio, ſiue ſcorpius: Romæ ſcorfano.*

ALterum ab altero differt, nempe ſcorpæna, minor, ſcorpius maior: illa nigricat, hic ruffeſcit: illa minus, hic magis probatur. In menſis enim illa plebi tantum, hic diuitibus interdum apponitur: vterq. duræ carnis eſt: ſed ſcorpius quadam ſaporis ſuauitate, pluriq. nutrimento ſcorpænam antecellit.

D *Piſcis miſſore, ſeu peſce prete, ſiue prete cephalo.*

GRæce à pleriſq. οὐρανόσκοπος, ab aliquibus ἡμεροκοίτης; Latine mutuata à græcis voce vranoſcopus. Duræ, ac iniucundæ carnis eſt, pauperibus, & plebeis, à ditioribus relinquitur.

Citula ſiue peſce ſan Pietro.

GRæce (vt quidam putat) χαλκεὺς latine faber; Romæ raro excedit cubitalem menſuram, carne aliquantum tenera

E friabilique conſtat, non inſuauis eſt, nec mali ſucci exiſtimatur, quamobrem è diuitum menſis non exploditur.

De Tragina.

TRagina, ſiue Traſcina, latinè marinus Draco, Græce δράκων. Vt Galenus aſſerit, Dracones his omnibus, qui eis veſcuntur, duram habere carnem manifeſte apparent: aliqui vero tra-

dunt hos eoſdem ſatis nutrire, neque palato ingratos, neque mali ſucci eſſe. A

Piſcis ſpada.

GRæce ξιφίας, latine gladius, quanto maior, tanto magis dura, & inſuaui carnę eſt; quo autem minor, eo minus.

Alter Piſcis ſpada.

NOn à roſtro, ſed a cauda dicitur, Græcę ἀλώπηξ, latine vulpes, ſiue vulpecula, ęque dura, & coctu difficili, maleq. vulpem olente carne eſt: in magna piſcium penuria vix à plebeis admittitur. B

Bronco.

COngrus, Romę Bronco, Gręcis quibuſdam, γρύλλος plurimis κόγγρος Carnis valde duræ, & inſuauis eſt: à magnatibus, niſi guloſi ſint, minimi ęſtimatur.

Murana, Græce μύραινα. C

PLebeius piſcis eſt; eius caro non minus nutrit, quàm congri: verum à duritie quadam innata, & humore tenaci, laborioſe concoquitur, ac diſtribuitur.

Acuchia, Græce βελόνη Latine acus.

HVmidum, bonumque ſuccum, forſan quia ſine pinguedine eſt, prębere: ſed tardiuſcule, cæterorum comparatione, concoqui traditur. D

De piſcibus aquæ dulcis. Cap. X.

Anguilla, Græce ἔγχελυς

PErgrata quidem palato eſt, præcipue Vulſinenſis lacus, ſed ſtomacho, renibus, & articulis inimica. Numquam eſt, (vt Galenus inquit,) boni ſucci: cuiuſq. pinguedo (vt Hipp. aſſerit) homini eſt infeſtiſſima. Si affatim edatur, nullo tempore non officit. E

Lampreda, Latinis pleriſq. Lampetra, quibuſdam muſtela.

LAmpetræ, quæ paruæ, parui: quę magnæ, magni pretij ſunt. Neq. id iniuria, quoniã magnæ, ſuauiſſimę sũt; Martio tamẽ, & Aprili menſe. Siquidem incipiente ęſtate, dureſcũt in illis

neruus

A nervus interior, qui pro ſpina eſt. Harum pulpis nullam vim noxiam ineſſe putant, ſi valdè admodum neque duræ, neque lentæ, neque pingues fuerint. Cæterum delicatiore quodam condimento, longe maiorem, quàm ab ipſis pulpis, nobilitatem accipiunt. Necate enim lampetram in Cretico vino ſolēt, ei myriſtica nuce os claudere, & foramina illa totidem caryophillis adimplere, in teganoque conuolutam in ſpiras, additis auellanis tritis, medulla panis, oleo, vino Cretico, aromatibuſque ad temperatiores pru-
B nas, certis momentis ſedulo coquere. Vtrum neruis, quemadmodum anguillę, aduerſentur, quia tam frequens earum vſus non eſt, quàm anguillarum, adhuc inexploratum eſt.

Barbus.

INeunte vere, ſapidior, quàm reliquis anni temporibus eſt. Eius caro neque firma, neque friabilis eſt; raritate ſubſtantię leuis, parum nutrit. Oua pręſertim menſe Maio, pernicioſa ſunt:
C pręter id enim, quod violentiſſime tum vomitum citāt, tum aluū mouent, nonnumquam etiam & mortem afferunt.

Squalus

VErno tempore, quum vtero gerit, melior eſt, carne ſuauiori, & firmiori, quàm barbus, atque ſecurior ad ſanitatē eſt.

Lucius.

D EX omnibus aquę dulcis piſcibus, quia carnis quaſi exſuccę eſt, minus inſalubris eſſe putatur. Romę tamen inſuauis eſt: niſi alicuius condimenti lenocinio compenſetur.

Trutta, non autem Trotta, quoniam hæc amia eſſe putatur.

REcens cito coqui, ſubinde aut comedi, aut condita ſeruari debet: quippe quæ, vbi præpinguis, perquemagna mole eſt, qualis in lacu Lario gignitur, pauciſſimis horis ſummam
E ſaporis gratiam, quam habet, amittere conſueuit. Quæ item longe maior & pinguior eſt, vt multo ſucco replere corpora, genitalemq. humorem copioſe ſuggerere dicitur, ita ſanis præberi quidem poſſe, ſed ægris euidentiſſime nocere creditur; vtpote quæ tarde, laborioſeque in ſtomacho atteratur, ac ſecernatur. At fluuiatiles, quæ aduerſo torrentium impetu fatigantur, atque occurrentibus inæqualium vadorum petris illiſæ, caſtigatiora ſumina;

mina, & aridiuſculas carnes oſtendunt, cum ſaxatilibus marinis de bonitate certant, adeo vt eas medici nonnulli ægris apponere, atque commendare non dubitent. A

Tinca.

NOmine tum Græco, tũ Latino re vera caret: hęc, quia propter ſuum inſignem lentorem, atq. craſſitiem, ſtomacho nimis hæret, difficile concoquitur: quia item in cœnoſis locis maxime degit, & putreſcentis limi ſordibus veſcitur, mali ſucci: Febremque, in his præſertim, qui aluo aſtricta ſunt, ſi copioſius edatur, excitare ſolet. Diebus canicularibus valde noxia eſt. B

De muſtelis, cartilagineis longis, non planis. *Cap. XI.*

De piſce Palumbo.

PRimus, vulgo peſce Palombo, ſiue canoſa, cuidam canis Galeus: Item alter peſce palombo ſpeciatim ſcazone, Græce γαλἑος ἀκανθίας, cuidam, muſtelus ſpinax: Tertius peſce Palombo γαλεὸς λεῖος idest, muſtelus leuis. Omnes carne ſunt magis, minuſve dura, inſuaui, Ingrate olida, coctuque difficili. C

Peſce Scorzone, Græce σκύλιον, cuidam catulus maior. Item peſce Gatto, pariter Græce σκύλιον, alicui Catulus.

VTerque, propter duritiem, lentitiam, & viroſum odorem, quemadmodum vulpecula, in cibis admitti non ſolet. D

Peſce Porco.

GRæce κεντρίνης, ſiue κεντρίνα, Latine Centrina dici poſſet Romæ perraro videtur: eius caro duriſſima, vt referunt, valdeque glutinoſa. Vix ab infima plebe in cibum aſſumitur. Hepar, tenerrimum quidem, ſed inſipidum: vbi tamen frigitur, olei quamplurimum reddit. E

De Planis Cartilagineis. *Cap. XII.*

Martino peſcatore, Græce βατραχὸς ἁλιεὺς, Latine Ranapiſcatrix, ſiue marina.

MVcoſam, virus olentem & mali ſucci carnem habet: ita vt non immerito a plebeis pleriſque reijciatur.

Tor-

A

Torpedo, & Paſtinaca marina.

TOrpedo, Romæ occhiatella, Græce νάρκη; vtpote quæ dum viuit, minime verò dū mortua eſt, (vt pleriqueomnes affirmant) & proxime, & è longinquo, vel ſi haſta, virgaue attingatur, lacertos quãuis præualidos, torpidos, & pedes quamlibet ad curſum veloces (vt dicunt) alligatos reddit. Paſtinaca vero Romæ brucho, Græce τρυγὼν, venenato ad caudam radio armata eſt: quem
B niſi abſcideris, etiam mortua mortem affert. Cæterum Galenus 3. de alimentis, Paſtinacam, atque torpedinem, carnem tradit habere mollem, iucundam, medioctiter per ventrem ſubeuntem, neque concoctu difficilem: nutrire item moderate, ceu alia quoque omnia, quæ carne molli ſunt prædita. Verum ita ſit, non niſi experientia cognoſci poteſt. Nos profectò nihil teſtari poſſumus. Neutram enim unquam guſtare auſi ſumus: vt pote qui ab illa torporem, ab hac venenum, ſeu viua, ſeu mortua ſit, non leuiter vereamur.
C Si namque paſtinaca per mortem, ſuo aculeo hominem pungens, ueneno interimere poteſt; cur torpedo vel mortua torporem inducere non poteſt? niſi forte id animaduerſum non fuerit; quoniam inductus torpor vt ignauiam in membris, ſic in animo vt conceptum malum neſciat explicare, ſocordiam parit.

Aquila (vt putant) aquilon, à Græcis ἀετός.

D PAſtinacæ ſimilis, aculeoque ad caudam non minus pernicioſo prædita eſt, ſed eo deterior, quo carnis & durioris, & inſuauioris exiſtit.

Raia.

RAia, vulgo mucoſa, ſeu bauoſa, Græce λειόβατος, latine leuiraia. Raia altera ſtellaris dicta, & vbi minor eſt, arzilla. Vtraque plebeius cibus eſt: vtraque carne prædura, coctuque difficili conſtat. Hepar tenerum, & ſapidum habet.

E

Rhombus, & paſſer.

INter planos piſces principatum rhombus obtinere creditur; omnium & temporum, & locorum piſcis eſt: idemque & delicatus, & ſalubris. Hieme, quàm æſtate, magis commendatur: eius pulpæ candidæ, preſſo quodam humore ſucculentæ, quæ affatim, & ſalubriter alunt. Paſſer multo inferior eſt rhombo.

Solea,

A

Solea, ſiue lingulaca.

IN ſumma cæterorum piſcium copia, magnam ſolea claritatem ſortitur. Probatur hieme, & frixa, aurancij mali ſucco, pipereque conſperſa: exiſtimatur, leuiter nutrire, facile coqui, in ſecundis venarum, & iocinoris digeſtionibus, nulla fermè noxiarum ſuperfluitatū excrementa relinquere. Vt verò Galenus aſſerit, mollior eſt, & cibo ſuauior, ac in totū præſtantior, quàm paſſer.

B

Polpo.

GRæce πολύπους, Heſiodo ἀνόστεος, Latine polypus. Ab aliquibus traditur libidinoſiſſimus eſſe: atque hinc fortaſſis Venerem concitare: maiorque humectare ventrem, ſi abunde elixus ſit, & ſtomachum roborare. Antequàm coquatur, quidam admonent, arundine ſecandum eſſe: ferro enim infici, vitiumque contrahere. Inſuauis adeo eſt, vt ab infima plebe tantum, niſi medicamenti loco, edatur.

C

Sepia, græce σηπία.

PRædura carne, & non ſapida eſt; difficile concoquitur, à diuitibus negligitur, pauperculis relinquitur. Quidam perhibent, quod excretionē per hemorrhoidas moueat; vtrum ita ſit, incompertum eſt. Si eius decoctæ (vt Dioſ. inquit) atramentum comedatur, ægrè concoquitur, aluum tamen mollit.

D

Calamaro, Græce τευθὶς, *Latine loligo.*

MInus dura carne eſſe videtur, & coctu facilior, quàm ſepia. Paruæ loligines noſtra ætate, vtpote ſatis teneræ, atque admodum ſapidæ, plurimi æſtimantur: tam elixæ, quàm fri-ctæ, quomodocunque tamen parentur, ſtomachum cruditate ſemper onerant.

Cæterum Galenus de his tribus omnibus, nempe de polypo, ſepia, loligine ita ſcriptum reliquit. Polypi, ſepiæ, loligines, & E alia his ſimilia, duræ ſunt carnis, ad coquendum difficilia, exiguumque in ſe ſuccū ſalſum continentia. Si tamen concoquantur, alimentum non paucum corpori exhibebunt; cæterum hæc quoque ſucci crudi plurimum gignunt.

De

A ## *De Rana, Cap. XIII.*

RAnæ (Dioſ. authore) contra omnium ſerpentium venena pro antidoto ſunt, ſi ex ſale, & oleo decoctæ comedantur, iuſque earum itidem ſorbeatur. Quibus oſſa tenera ſunt, ita vt eadem facile rumpi dentibus poſſint, hæ magis probantur: quoniam (vt arbitror) iuniores ſunt: periculoſus eſt omnium eſus: quædam enim illarum vice interdum ſumuntur, quæ B deinceps comeſtæ, nunc vrinæ aut ſtillicidium, aut difficultatem, nunc ſanguinis cum dolore mictionem efficiunt.

De cruſtaceis, & teſtaceis. Cap. XIIII.

Locuſta, cammarus.

LOcuſta, Græcis aliquibus κάραβος cammarus marinus: Græcis ἄστακος, vulgo leone; cammarus item aquæ dulcis, ſimiles quidem C ſunt: ſed ille rubenti corpore, aculeato, & aſpero conſtat, ij leui ac fere cæruleo, multiſque ſubnigris maculis ſplēdent.

Locuſta, difficulter concoquitur, ſed admodum nutrit: ſalſi ſucci particeps eſt, vi cuius aluum mollire poteſt: ſi tamen aqua dulci ſæpius coquatur, ventrem cohibet. Cammari vero (vt Græcus author inquit) ventrem aſtringunt, vixque concoquuntur, præſertim magni, & aquæ dulcis: parui autem melius, & eorum caudæ quàm chelæ, ſcilicet crura, difficilius concoquuntur, & craſſioD ris ſucci ſunt.

Squilla, ideſt gammarelli marini.

SQuillæ paruę, vulgò gambarelli marini, à cancrorum generę differunt, eo quòd caudam habeant, à locuſtarũ autem, quòd forcipe careant, ęgrè concoquuntur, ſtomacho noxię, quidem ſed ſtomachicis conferunt, quibus (vt arbitror) leuia nutrimenta, in ſtomacho citius putreſiunt, quàm concoquantur: veneris deſiE derium (vt Gręcus eſt author) mouent; quadam peculiari proprietate ad mulierum conceptus in cibis valent.

Cancer.

GRæce καρκίνος tum marinus, tum fluuiatilis eſt; vterque vbi cruſtam exuerit, tenerior, ac iucundior in cibum euadit. Denique aſtaci, paguri, cancri, locuſtę, carides, gammari, ac

id genus alia(vt Gal. inquit) tenui teſta concluduntur,duritieq. te A
ſtaceis ſunt ſimilia: ſed minus, quàm illa ſalſi humoris continent,
quamquam eum habent ſatis multum. Dura in totum carne con-
ſtant; ideoque ad coquendum ſunt difficilia, & firmi alimenti,
quum ſcilicet in aqua potulenta præcocta fuerint. Horum quo-
que caro, vt oſtreorum, quum præcocta (vt dictum eſt) ſuccum
ſalſum in aqua depoſuerit, aluum ſiſtit: ægrè etiam corrumpun-
tur,non ſecus,ac teſtacea, quæ duram habent carnem. Cruſtacea
item ab ouis commẽdatiora ſunt, pingueſcere ſolent plenilunijs. B

Cochleæ.

OMnes ægrè concoquuntur: ſtomacho tamen in quo facilia
concoctu, citius putreſiunt, quàm bene concoquantur;
vtiles, ſiue terreſtres, ſiue marinæ: ſed hæ aluo (vt Dioſ. in-
quit) facile excernuntur, fluuiatiles virus olent: terreſtres in apri-
cis locis, & odoratis herbis victitantes præſtant ijs, quæ in opacis,
ac paluſtribus degunt. Quę verò ſylueſtribus fruticis, & ſentibus C
hærentes inueniuntur, (vt etiam Dioſc. aſſerit,) aluum, & ſtoma-
chum turbant, vomitum cient.

De teſtaceis, præcipuè de oſtreis.

TEſtaceis omnibus commune eſt (Galeno authore) vt ſalſum
in carne ſuccum contineant, qui aluũ ſubducit, quod ſeor
ſum vnicuique magis, minusue ineſt, pro qualitatis, & quan
titatis ratione. At vbi ſæpius elixa, ſuccum ſalſum exuerint, eo- D
rum caro corruptu quidem eſt difficilior, ſed aluum ſiſtit. Cęte-
rum oſtrea, inter alia teſtacea, carnem habent molliorem, proin-
de aluum valentius ſubducunt: imbecillius autem nutriunt: quę
vero ſunt carne duriore, difficilius quidem concoquuntur, ſed
firmioris ſunt nutrimenti. Hallucinatur qui oſtrea Veneris ten-
tiginem ſalacibus augere putat, deceptus ſpecie ſeminis, quod
plurimum ſua ſubſtantia pręſe ferre videntur; quippe ſemen plu-
rimum fit, vbi plurimum comeditur, idemque benè concoqui- E
tur; ſiquidẽ vltimum, & perfectum alimentum ſemen eſt. Oſtreo-
rum autem caro, tale quiddam (ſi experientiam accuratè contem-
plemur) re vera non euadit, ſed decipit: ſicut enim cochlearum
magnarum caro pari ſimilitudine pleroſque captos feſellit, &
ſummopere lęſit.

Conchu-

A *Conchulæ, ideſt pectines, ſiue pectunculi.*

AFfinem oſtreis naturam, atque ſaporem habent. Interdum tamen venenatę fiunt, vt Paulo III. ſedente, non ſemel tantum, ſed bis, terue contigit. Qui enim eas comedebant, ferè omnes eodem die, aut nocte peribant.

Tellinæ.

B GRatæ ſunt guſtui, verùm arenulis ſcatent; his expurgatæ multo iucundiores ſunt. Recentes (vt Dioſc. admonet) bonam faciunt, aluum, præſertimq. coctarũ ius eſculentum.

Teſtudo.

TEſtudo, quemadmodum alia teſtacea, carnem habet concoctu difficilem: quamobrem poſteriores medici, valde redarguendi ſunt, qui eam extenuatis, & ſtomacho imbecillis, ceu
C alimentum maxime inſtaurans, paſſim præbent. Ignari quòd his vtpote debilibus, & eneruatis (vt experientia docet) mirifice noceat. Sed eos illud decepit, quod ſtomachicis quidem confert, non omnibus, verum his, (vt proxime quoque diximus,) quibus cibi concoctu faciles in ventriculo celerius putrefiunt, quàm alere queant; concoctu autem difficiles, qualis eſt teſtudinea caro, bene concoquuntur. Nemoralis melior eſt, quàm aquatica: ſanguis eius (vt Auicenna recenſet) epilepſiæ, ouum uero infantium tuſſi
D medetur.

Echinus marinus

STomacho accommodatus eſt (vt etiam Dioſc. docet) aluum lenit, ciendæ vrinæ vtilis.

Hactenus de aquaticis, & fortaſſe magis, quàm præſens opus poſtularet. Malui tamen in his abundare, quàm mordicus obſeruando ne multus eſſem, neceſſaria præterire.

E

De Carnibus. Cap. XV.

AD carnes tam pedeſtrium, quàm volatilium tranſeamus. Animalia domeſtica, quoniam humidiori & pinguiori carne conſtare ſolent, nutrimẽtum magis fluidum, quàm ſylueſtria, quæ ſicciora ſunt, præbent. Sylueſtrium enim caro firmior, & minus prompte putreſcit, quàm domeſticorum. Nouella

item quàm valde aucta, (ſuillam excipio) & humidiora, & coctu faciliora ſunt, aluoque ſecedunt. A

In ſumma, tam volatilium, quàm quadrupedum augeſcentium caro, longe eſt præſtantior, quàm ętate declinantium: media autē eſt inter vtramq. florentium, praua admodum eſt valde nouellorum, ac ſenum; ſed ratione diuerſa: ſiquidem ſenum, dura eſt, & ſicca, neruoſaque, proinde ad coquendum contumax, & exigui nutrimenti: contra, animalium nuperrime editorum corpora, mucoſa ſunt, ac humida, excrementis plena, facilius tamen per aluum ſecedunt. B

Carnes quin etiā eorundem animalium omnes, malæ, bonęve ſunt, paſcuorum varietate. Quæ namque herbis odoratis, vt pote ſerpyllo, thymo, mentha, & huiuſmodi, vt in montanis locis, veſcuntur, meliores, atque iucundiores: quæ vero contra, videlicet inodoris, mollibus, & inſipidis, ingratæ, inſulſę, vt in conuallibus pleræque. Illæ item æquali mole magis alunt, hæ minus. Illę robur ſolidius pręſtant, hæ laxius. Illę homines agiliores, hæ ſegniores efficiunt. Illæ facilius, hæ difficilius ferre labores permittunt. C Amplius, Carnes omnes quū ſiccę, tum humidæ calefaciunt: quia quàm alia nutrimenta pluri ſanguine conſtant, qui ſine multo calido naturaliter numquam eſt: proinde quæ plus ſanguinis obtinent, multo plus; quæ minus, longe minus calefaciunt.

Quæ item ſicci plus habent, hę calfaciunt ſimul, & ſiccant: quæ vero plus humidi, hæ omnes calefaciunt, humectant, & magis quàm illæ, ſecedunt. D

Atqui nimium vel elixæ, vel aſſę, quum in vtriſque inſitum humidum, abſumptum ſit, parum ad robur conferunt, ægreq. concoquuntur. Cæterum mediocriter tum elixæ, tum aſſę, ad robur efficiendum mediocriter ſe habent; & aſſæ exercitatis; elixæ ocioſis, magis proficiunt. Crudiores vero ad robur quidem, & ad labores commodæ, ſed difficilius vincuntur: ſic animalium recens mactatorum plus roboris afferunt, quàm fraceſcentium, vulgus frollia vocat. Denique aſſæ ac frixæ in ſartagine, ſicciores: in aqua, E vero dulci elixæ, alimentum corpori præbent humidius. Atq. ad gulam coercendam melius eſt elixis, quàm aſſis vti: quoniam illæ facilius coquuntur, minus nutriunt, minus iucundę ſunt; quamobrem crebro expletionem, ſępe cruditatem prohibere conſueuerunt.

Pingues æſtum, macrę grauitatem, corpori afferunt. Denſæ itē,

craſſę

A craſſæ,grauesque,laborantibus & exercitatis:Raræ vero tenues,leuesque ocioſis commodæ: vtræque tametſi multis indicijs, externa tamen coctura facile cognoſcuntur: illæ enim ſero, hæ cito coquuntur.

Carnes quoque magis abunde, ſimulque pluri tempore nutriunt,quàm ſemina,quàm olera,quàm fructus, quàm piſces:Succum enim adeo non labilem,non diſſolutu facilem, non exiguę corpulentum, vt illa,ſed firmiorem,denſiorem, magiſque fibro-
B ſum prębent:qualis nutrimenti vltimi conditio eſſe ſolet. Quamquam enim tritici ſuccus, quemadmodum carnium eſſe videtur, pari tamen poſita vtriuſque mole: multo minor ex tritico, quàm ex carne prodit. Ex quibuſdam etiam, vt ex anguilla, et caſeo, etſi propter lentorem valde adhęret,propter eundem tamen,quia nimius eſt, intro non ſatis petit, vt bene nutriat, ſed foris plerũq. circa partes exiſtens, ab animantis calore primum liquatur, deinde tenuior efficitur, aliòque per corpus errat: vnde deſtillationes,
C & articulorum dolores.

Itaque quum carnes ſuccum præſtent, magis, minuſve firmũ, copioſum,denſum,lentum,fibroſum,optime quidem alunt, ſed tanto parcius,quàm panis, & reliqua id genus nutrimenta,deuorandæ ſunt,quanto,ſi affatim ſumantur, pręcipue ſi vinum quoq. bibatur,venas ipſas citius implent,& aut laſſitudinem, aut ſpiritus fœtorem, vt in canibus, & puerulis experimur,aut oris amaritudinem,ſitimve;aut denique putredinem infenſam accerſunt.

D Conuenire autem homini magis, quàm cætera nutrimenta, quoniam ſimiles ſunt,quòd videlicet caro carnem efficiat, ridiculum eſt;quoniam ita quoq. ſanguis ſanguinem gigneret,atq. optimum alimentum eſſet. Id quod minime vſu venit.Sed conuenire iuſtum eſt,quia(vt diximus) ſuccum reddunt,qui ſi modus adſit, robur corpori(quemadmodum vinum,animo)ſuggerit.

De Quadrupedibus. Cap. XVI.

E

Caro Vitulina, & bubula.

E Quadrupedibus,vitulina caro, quæ mógana vulgo dicitur, præſtantior eſt:præſertim ſi aliquantum ſraceſcat,& vitulus adhuc lacteat,ortui tamen valde proximus nó ſit:hæc enim & odore,& ſapore, & viſu,quoniam albet,perquam iucúda eſt: facile

facile concoquitur, aluoque ſecedit, Vocara campareccia. longe inferior eſt. A

Bubula vero, robuſta eſt, aluum ſiſtit, ægre in ventre ſuperatur: ijs, qui valde, & continenter exercentur, proficua: ocioſis noxia eſt: quòd humorem melancholicum gignat, multi anticiparunt ratione dicere, priuſquam ita eſſe viderent: re tamen vera incompertum eſt, niſi quis dixerit ob id, quod difficulter in ſtomacho vincitur, ſæpeque laborem facit, triſtitia hominem affici, ſubinde melancholicum apparere. Ius eiuſdem (vt Græcus quidam exiſtimat) ventris fluores ex flaua bile compeſcit. B

Bubalus, vulgo Bufalus.

HVius caro viſu pulchra, albida, tactu lenta, & craſſa: ægre concoquitur. Recens comeſta, præter id, quod ingrata eſt, alui fluorem mouet: ſalita minus lædit, magis ſapit: Iudæorum cibus eſt: lumbaris eius muſculus, hepar, lingua, & mammæ in fœminis adhuc lactantibus, mirifice commendantur. Neq. ſolum apud Hebræos, ſed apud Rom. nobiles pleroſque in pretio eſſe videntur. C

Caro hœdina, & Caprina, & Hircina, & Arietina, & Taurina.

HÆdina caro, quia hircum modo quodam olere ſolet, à vitulina odoris iucunditate ſuperatur: propterea quidam poſtquam cocta eſt, ne odorem hunc ſentiant, frigidam eſſe malunt. Lentitia ſua, quæ non immodica eſt, magis aluum mollit: ſeruata tamen, quo traceſcat, non æque teneteſcit, ac vitulina: præbetur conualeſcentibus: creditur, colicis morbis obeſſe, pulmoq. eius, ſi ante potum edatur, temulentiã auertere. Caprina, præter id, quod bubulæ vitia omnia (vt inquit Hipp.) habet, flatũ ſuſcitat, ructum, & vocatam choleram parit: ſuccum item vitioſum, (vt Galeno placet,) & acrimoniam ſortitur. Hircinaque tum ad coquendum, tum ad ſuccum bonum generandum, eſt deterrima. Hanc ſequitur Arietum, poſt Taurorum. D E

Caro Agnina, Ouilla, & Veruecina.

AGnina, præſertim annotina (vt Hipp. aſſerit) ſemper quàm ouilla, leuior eſt. Alicubi quemadmodum Patauij, non modo quàm ouilla, ſed etiam quàm veruecina, & iucundior, & melior, Romæ contra. Aſſa magis quàm elixa commendatur:

A daturhumidis corporibus obeſt: quanto iunior eſt agnus, tanto deterior, peiuſque concoquitur: quo autem maior, eo promptius vincitur.

Ouilla, Romæ, non niſi à pauperibus, atque hís perpaucis emitur: in locis montanis, quia melior eſt, etiam à diuitibus plerumq. deuoratur.

Veruecina, quàm ouilla, & quàm agnina, Romæ quidem ſalubrior, ſed in locis vicinioribus, propter paſcua, & ſuauior, &

B præſtantior.

Caro Porci, Suculæ, Apri.

Fere omnes aſſerunt, carnem porcorum modicè pinguium, qui annotini, & præcipue caſtrati ſunt, boni ſucci eſſe; poten ter alere: ventrem mollire, vrinam ciere, facile concoqui: exercitatis conferre: ocioſis ac ijs qui ventriculo humido ſunt, nocere. Sanè id non de Romanis, ſed de ijs qui, priuatim aut hor-

C deo, glandibuſve, aut alijs id genus veſcuntur, admitti debet. Si quidem Romani ſues gignunt in hominibus excrementa plurima, deſtillationes, cruditates, malique ſucci ſunt: quando tot, tantiſque ſordibus, etiam omnium generum vitiatis alimentis temere nutriuntur. Neque verum eſt (vt quidam exiſtimat) quia temperato habitu ſunt, alimenta vel mala, in bonum habitum vertere. Quoniam alimenta in principio contraria ſunt: quo circa fre quenti eorum vſu poſſunt id, quod nutritur, in ſuam naturam po-

D tius permutare, quàm in illius bonum habitum conuertantur: vt in tanta nutrimentorum varietate carnes eiuſdem ſpeciei animalium, bonitate, & ſuauitate plurimum differentes oſtendunt. Vt etiam ſi verueces, hos quidem in conuallibus, illos vero in monti bus, nutritos experiamur, facile cognoſcitur. Hinc forſan in inſula Sancti Thomæ nuncupata, porci caro (vt ferunt) ſalubrior eſt, & ægris præbetur vtilius, quàm aut gallinacea, aut alia penes nos ma gis laudata. Neque item inficiabor, quoniam ibi quum abundan-

E tiſſimus ſit ſacchari prouentus (vt quidam arbitratur) cannas ex quibus ſuccus ad illud conficiendum extractus eſt, alió reiectas paſſim inuenientes, affatim deuorare: ſubinde tales fieri: æque ac ſi ſaccharo nutriti eſſent. Adeo vt hoc animal, quum nullum ferè ciborum genus renuat, & à quouis facile tum impleatur, tum pinguefiat, ſuccum, ſi bonis alatur, bonum; ſin malis, malum nobis præbeat.

Suculæ caro, excrementis quàmplurimis abundat, in alum A
ſuccum affert, longe grauior, quàm ſuum adultorum eſt: difficulter concoquitur.

Aprina tam maiorum, quàm minorum, melior eſt, quàm ſuum domeſticorum, quin etiam (vt auctor de Diæta ſcribit) ſiccat, robur exhibet, ac ſecedit.

Calli aprugni, ægre admodum in ventre ſuperantur. Cæterum in ijs omnibus proxime dictis, & bobus, & hircis, & ſuibus, carnes caſtratorum (vt Gal. inquit) ſunt præſtantiores: ſenum autẽ B
peſſimę: tum ad coquendum, tum ad ſuccum bonum generandũ, tum ad nutriendum.

Lepus.

LEporina caro (vt Hipp. inquit) ſicca eſt, aluum ſiſtit, vrinę citamentum quoddam facit: quia igitur ſiccat, & vrinam ducit, mirum non eſt, quòd ſanguinem (Gal. 3. de alim.) gignat craſſiorem. Quod vero melancholiam pariat, dubitari facile poteſt, C
tum quia à pleriſque melioris eſſe ſucci: quàm bubula, & ouilla ſtatuitur; tum quia venatores, qui frequenter illa veſcuntur, non magis neque ſæpius melancholicos, quàm alios videmus. Si forte quia lepus nullius animi eſt, eius caro malencholiam induceret: Phaſiani quoque idem efficeret, qui adeo timidus eſt, vt viſo nuncupato falcone, potius quàm volare audeat, à venatore manu capi patiatur. Poſt aliquot ab ortu hebdomadas quanto iunior, tanto melior eſt. D

Cuniculum Gal. quum lepori ſimilem affirmet; vbi mediæ fuerit ætatis, ac modice pinguis, lepori forſan, quoad nutriendi bonitatem, inferior non erit.

Capreolina caro.

QVo minus ſicca, magiſque tenera eſt, quàm leporina, eo facilius & concoquitur, & diſtribuitur. Ab Arabibus medicis, quadrupedum ſylueſtrium omnium carnibus E
anteponitur.

Ceruus.

CEruorum caro (vt Gal. aſſerit) mali ſucci eſt: ęgre concoquitur: bilem atram gignit: æſtate, quia viperis, & ſerpentibus veſcuntur, cauenda eſt: hyeme tutius eſtur: iecur, & lienem obſtruit.

A obſtruit. Quin etiam ferunt, ſi crebrius, & ſine modo deuoretur, corpus tremulum, & inconſtans efficere. Ad apri comparata (vt Hipp. innuit) ſiccat, minus ſecedit, ſed vrinam magis ciet.

Vulpes.

VVlpium caro, dura eſt, nequiter olet, autumno, quoniam vuis pingueſcunt, minus mala eſt.

Echinus terreſtris.

B EIus caro, pro medicamento magis, quàm pro cibo, ſumenda eſt: vt enim quidam dicit, ægre concoquitur, & exiguum alimentum præbet: vt vero Hipp. vrinam ciet, ac humectat.

Glirium caro.

GLires apud Romanos in cœnis apponi, vetitum erat: ſed hac noſtra ætate ganeonibus maximè expetuntur. Cæterum pinguedinis exuberantia ventriculi appetentiam de-
C ſtruunt; concoctu ſunt contumaces: lentum, ac frigidum ſuccum gignunt: forſan ijs, qui fame canina obſidentur, ſua pinguedine ſatietatem afferentes, famem retunderent.

De volucribus. Cap. XVII.

D AVes omnes (vt Gal. animaduertit) pauciſſimum præſtant alimentum, ſi ad genus greſſilium conferantur, ac potiſſimum ſi ad ſuillum. Vt vero Hipp. ſicciores ſunt quadrupedibus. Earundem caro leuior eſt, digeſtuque facilior. Aſſa, & non aſſa (vt narrat Auicenna) ventrem aſtringit: exceptis forſan ijs, quæ in aquis degunt, quæ naturaliter humidæ ſunt: pingues quidem ſed quo minus, eo meliores: quæ verò natura ſiccæ, contra. Syluestres, quàm domeſticæ minus humidæ ſunt: tenuiorem habent carnem, & diſtributu promptiorem. Domeſticæ plus nu-
E triunt, magiſque temperatæ ſunt: ex his, quæ in agris ſub dio viuunt, meliores, quàm quæ in corte pingueſcunt. Demum, quia in vniuerſum aues omnes ad quadrupedia comparatæ, ſiccæ ſunt, iuniores potiſſimum (quales ante diximus) eligantur; vt earum ſiccitas humido ipſo, quod ortui propinquum eſt, moderetur. ſic enim velocius nutriunt, facilius concoquuntur. Totum per corpus magis prompte diſtribuuntur. Nam ex familiaribus cibis (vt

T Galenus

Galenus inquit) humidior, vt minus nutrit, ita & facilius concoquitur, & per rotum corpus digeritur. A

Gallina, gallinaceus, capo, gallus.

CAro gallinæ, quæ parum abeſt, quin oua pariat, & gallinacei, qui aut nondum canere incepit, aut proximus eſt, vt cantet, optima ex omnibus volucribus apud Arabas eſſe cenſetur. Tradunt inſuper, gallinam intellectui augmentum afferre, illiusque cerebrum, ſubſtantiam noſtri cerebri (ſic enim dicunt) augere: & ingenium acuere. Eam verò, quæ iam perfecta eſt, quoniam natura ſiccior, quàm eius pullus eſt, ventrem aſtringere; atque ideo elixam, non aſſam comedi debere. Pullos autem gallinaceos, ventrem humectare, velociter diſtribui, oculis conferre, & ſanguinem augmentare, atque laudabilem gignere, appetitum roborare, naturis omnibus conuenire. B

Caponem, pullis, & gallinis præferendum eſſe, atque (vt arbitror) magis nutrire. C

Gallum, præcipuè veterem, non ad nutriendum, ſed ad medicandum valere: & aluum ius eius ducere, carnem ſiſtere.

Gallina Indica.

GAllina Indica, omnibus auis Africana; ſed his Numidica, nuncupatur, illis inter meleagrides; ponitur gallinæ noſtræ carnem æmulatur, ſed aliquâto durior. Diu fraceſcat, antequam comedatur, oportet. D

De Anate.

ANas humidior eſt, ægrius concoquitur, ſtomacho nocet, putredinem accerſit, aſſa vtilior quàm elixa. Alæ, quòd optimæ ſint, rationis, non experientię inuentum eſt; quemadmodum quòd claram, & vocem, & colorem efficiant; quòd ſemen augeant, & flatum excuriant. E

De Anſere.

ANſer anati in his ferè ſimilis eſt, paulo tamen durior: qui iunior eſt, ceu minus noxius, eligi debet. Teſtes anſerum ſi comedantur, ad ſobolem creandam, linguam vero ad ſtranguriam valde conferre quidam exiſtimant.

A

De Columbis, & Palumbis.

COlumbi quidam domeſtici, muraleſue: quidam ſylueſtres: hi palumbi; illi propriè columbi vocantur. Sylueſtres vulgò palumbellę dicuntur, dura carne ſunt. Domeſtici muraleſve, partim domi, partim in turribus & locis alijs ſimilibus nidificant. Turricolæ meliores atq. ſalubriores ſunt; domicolæ (ita dicam) plus habent excrementij ſucci, grauioreſq. ſunt. Creduntur, re-
B nibus cōferre, ſemen, & ſanguinē augere; febrim, ſi crebrius edantur, excitare; anginam inducere, caput & oculos lædere, leprā efficere. Quibus exiguus ſanguis, virtuſque, & innatus calor deficit, prodeſſe; illorum tamen capita, diuturnum capitis dolorē afferre. Eligendi ſunt volare incipientes. Vere, & autumno, magis quàm æſtate, & hyeme à quodam auctore Græco probantur. Sed capite, & collo, antequàm igne coquantur, abſciſſis, edendos eſſe, Arabum eſt præceptum.

C

Pauo, & Grus.

PAuo, perinde atque grus duriſſimæ carnis eſt: pluris æſtimatur, non quo melior ſit, ſed quo dum viuus eſt, pluris valet. Vteruis, niſi diu fraceſcat, comedi vix poteſt. Si pauo melancholiam afferat (vt quidam memoriæ prodidit,) æque ac bubula caro, quemadmodum ſupra diximus) afferet.

D

De Perdice, vulgò pernice.

PErdix (vt Græcus quidam exiſtimat) ventrem ſiſtit: ſanguinē gignit tenuem; & craſſum, ſi offenderit, extenuat: Venerem excitat; ſemen auget, pinguefacit, putredinem prohibet. Prodeſt ocioſis, inexercitatis, ac ijs qui inualidi, & ſtomacho humido ſunt. Debet iunior, & quæ pernicon appellatur, eligi, nec niſi fraceſcens edi. Iecur eius comitiali morbo laborantibus conferre dicitur.

E

De nuncupata Starna.

EXterna, quæ vulgo ſtarna, vocatur, Perdici quoad bonitatē quandoque par, ſæpius vero ſuperior eſt. Cæterum vtraque menſę appoſita, quæ magis placet illa præferenda eſt.

A

Gallina ſylueſtris.

HÆc à vulgaribus gallinacea, à Latinis non inepte gallinago dicitur. Perdicis carni ferè ſimilis, aliquanto tamen inferior eſt.

Coturnix Popularis.

COturnix à populo perdicis quædã ſpecies, ſed paulo maior eſſe creditur; roſtro & pedibus rubet: magis commendatur quàm perdix. B

De Phaſiano.

PHaſianus, non ſolum inter capum, & perdicem (vt quidam arbitrantur) medius, ſed etiam volucribus omnibus, quas proxime recenſuimus, præſtantior eſt: modo fraceſcens prout expedit, edatur. Iunior ſine controuerſia antecedit omnes. Cæterum etſi gallina, capus, perdix, gallinacea, coturnix maior, quæ perdicis ſpecies eſſe ponitur, externa, denique phaſianus ad probam alimoniam comparandam magnopere commendantur; quia tamen carnem, præſertim in pectore, ſiccam habent, (quam præ reliquis partibus, plurimi libentius deuoramus) aluum aſtringunt, ſucci parum ad nutriendum ſuggerunt, ſimulque difficile tum coquuntur, tum diſtribuuntur. C

De qualea.

QValea, coturnix peculiariter appellatur, inter volucres omnes deterior eſſe cenſetur: cito putreſcit; corpora febribus obnoxia reddit: vere, quum reuertitur, inſipida, maliq; alimenti eſt, conuulſionem mouet: elleboro ſæpius alitur, ob quod etiam ſæpius nocet: Illa ſecurior eſt, quæ ingluuie tritici plena inuenitur pinguis, & iuuenis probanda magis eſt. D

De Fulica & nuncupata paoncella.

E

FVlica non modo quia piſces, quibus veſcitur, malè olet, ſed etiam quia carnem duram habet, iniucunda eſt. Vocata paoncella, tolle piſcium fœtorem, paulo minus, quàm fulica, non placet.

A

De Turture.

TVrtur, ſiccæ admodum naturæ eſt, aluum cohibet, ſanguinem, (vt quidam opinantur) ſemenq. auget, intellectum roborat, ingenium acuit. Pinguis, iuueniſque, ſalubrior atq. iucundior eſt.

De paruulis auiculis.

B AViculę omnes, quę hactenus Romæ habentur, exceptis ſturnis, & paſſeribus, iuuenes & pingues facile coquuntur, boniquè ſucci ſunt. Sturni vero, & paſſeres, ſemper duri, male nutriunt. Sed illud negligendũ non eſt, quod plurimi temere facientes, non parum lædunrur; auiculas enim paruulas vtpote ficedulas, & vocaros hortulanos, vna cum oſſiculis plerumque comedunt: quę ſi ventriculum natura inanem forte reperiant (vt ſobrie viuentibus, vſu venire ſolet) illius rugis ſe ſe interdum impingunt, ſubinde eundem vellicant, pungunt, & coctionem grauiter impedire non ceſſant, quoad cum alijs cibis permixta, deorſum deſcenderint. Quod aliquando non biduo, triduo, quatriduoue, ſed multo pluribus diebus, aut etiam menſibus, cum magna eorum, qui ſic ederunt, moleſtia, perdurare conſueuit. Hi ergo dictarum carnes deuorent, oſſicula relinquant.

C

De Animalium particulis, ſpeciatimque de criſtis, & ſubcriſtis. Cap. XVIII.

D QVadrupedum partes à pleriſque meliores eſſe ſtatuuntur, quæ oſſibus propinquæ ſunt: quæ foris magis patent, quæ ſpatulis, & coſtis vicinę, quæ cor inter & cerebrum. Denique magis dextræ quàm ſiniſtræ, & anteriores, quàm poſteriores: ſiquidem membra, quæ caudæ finitima ſunt, & minus ſapida, & duriora eſſe, difficiliusque coqui, ab eiſdem cenſentur. Proinde nares etiam reprobant, ſed femora, & muſculos præſertim albentes, potiſsimum commendant. Volucrum verò partes, alas, & colla, cæteris præferunt: gallorum, & gallinaceorum criſtas, ac palearia (vt 3. de alim. Galenus) nemo nec damnauit, nec probauit. Cæterum à circumfuſo aere, quia perpetim colliduntur, (à calido enim eorum humida diſſoluuntur, ſolida retinentur, à frigido autem compinguntur, atque firmantur) fit vt duræ ſint, nec facile con-

E

concoqui queant. Similem fermè rationem & cutes, & pelliculæ ſortiuntur, id quiuis promptè comperiet, ſi prandium, aut cœnam his & non alijs obſonij loco vtens, bis, aut ter expetiatur. A

De Cerebro.

CErebrum omne (vt Gal. inquit) cibus eſt pituitoſus, craſſi ſucci, tarde permeat, difficile concoquitur, non minimum etiam ſtomacho nocet, nauſeam excitat, appetitum euertit: multo pingui conditum, deinde ſummis epulis manſum, vomitum mouet. Deterius eſt quadrupedum, quàm volucrum: porci, & agni peſſimum, gallinarum & gallinaceorum, & perdicum, & faſianorum non item. Immo à quibuſdam vtile eſſe creditur. B

Medulla ſpinalis, & quæ intra oſſa.

MEdulla ſpinalis cerebro ſimilis eſt, præterquam quòd paulo durior: medulla, quæ in oſſibus, dulcior, iucundior ac pinguior quàm ſpinalis medulla, & quàm cerebrum. Si liberalius comedatur, nauſeam parit: aluum lenit: quod ſemen augeat, opinio eſt. C

De Glandulis, ac de mammillis.

GLandulis omnibus commune eſt, vt ſuaues in cibo & friabiles appareant: mammillares vero cum lac habent, de ipſius etiam dulcedine quippiã præſeferunt: quapropter hæ, quũ lacte ſunt plenæ, ſummopere à guloſis expetuntur, præcipue ſuillæ quuũ ſalitæ antea fuerint. Alimentum autem quod ex his in ventriculo probe cõcoctis prouenit, propè ad carnium alimentũ accedit: quodſi minus, quàm ſat eſt, confectæ ſint, ſuccũ crudum, aut pituitoſum generant: humidiores quidem pituitoſum, duriores vero crudum. denique vt poſterioribus pleriſque viſum eſt. Si iuniorum animalium ſint, & lacte nimirum refertæ, boni dulciſque ſunt ſaporis, bonumque afferunt nutrimentum, ſed tardè diſtribuuntur. D E

De Teſtibus.

TEſtes, quum ex genere glandularum eſſe videantur, non perinde laudabilis ſunt ſucci, vt mammillares: ſed viroſum quiddam habent, vtpote ſeminis quod per eos fertur naturam præſeferentes, ceu renes vrinæ. Animalium greſſilium maio-

rum

A rum ad coquendum longe ſunt difficiliores, & mali ſucci ſunt. Agnorum vero, non item: gallinaceorum iuuenum boni ſucci ſunt, & ſuauiſſimi, & laudabile corpori præbent alimentum, præſertim eorum, qui ſaginati fuerunt: quin immo (vt quidam exiſtimauit) tantum alimenti gignunt, quantum ponderant.

De oculo.

B QVadrupedum oculi, à nonnullis valde appetuntur. Vitulorum, & hedorum optimi cenſentur: hi ſanè iucundi ſunt & ſapidi, præſertim ſi pingue fuerit animal. Pinguedo enim in his vt purior, & candidior, quàm in alijs partibus eſſe conſueuit, atque non ſola, ſed cum muſculis oculorum tenellis deuoratur, ita maiorem edenti ſuauitatem, & nullam fermè nauſeam affert.

Lingua.

C PEculiaris quædam huic parti (vt Galenus inquit) ſubſtantiã ineſt. Carnem enim habet fungoſiorem, & ſanguineam magis. Cæterum ſaliua ſæpius referta eſt, quamobrem præhumida fit; ſtomachum (vt quidam innuit) humectat, vt quidam alter aſſerit; moderate deuorata, temperate nutrit. Niſi animalis iunioris, & opimi ſit, ingrata, duraque eſt.

De animalium pedeſtrium partibus excarnibus, ac de cute, & cartlagine. Cap. XIX.

D

EXcarnes ita dicã particulæ ſunt, aures, roſtra, pedes, quibus etiã brutorũ quorundam labra, quia valde cartilaginoſa videntur, addi poſſunt. Hæ partes vt pinguedinis, ita ſubſtantiç carnoſæ minimum habent, difficile coquuntur, perquam modice alunt; ob lentorem tamen (vt Gal. inquit) per aluum facilius deijciuntur. Meliores ſunt ſuum pedes, quàm roſtrum; & hoc,
E quàm aures, præſtantius. Hæc enim conſtant ſola cute, & cartilagine: cutis valde neruoſa (vt communiter dicitur) eſt: in ventriculo ægrè mutatur. Lactenrium, & iuniorum, minus difficulter concoquitur, exiliter admodum nutrit. Cartilago ex animalibus perfectis, confici vix poteſt: ex his vero, quç creſcunt, ſi ore bene atteratur, deinde in ventriculo confecta fuerit, alimenrum aliquod, ſed perexiguum corpori præbet. Meliores quoque ſunt vitulorum

rum

rum pedes, quàm roſtra, & aures. Eadem in reliquis animalibus obſeruanda proportio eſt, iunioraque ſenioribus, & pinguia gracilibus, in his eiſdem ſemper anteponenda. A

De corde.

COr, difficulter concoquitur; tarde diſtribuitur. Si tamen bene concoquitur (vt Gal. placet) mali ſucci non eſt.

De pulmone.

PVlmo, quia veluti ſpongia quædam eſt, ſi copioſius edatur, ventrem inſignite inflat: vt vero ſuccum in ſeipſo perexiguum habet, ita corpori parum affert alimenti. Id pituitoſius eſſe Galenus tradit, forte quia difficulter concoquitur; ſimulque de ſtomacho propter ſuam leuitatem, ac raritatem, niſi cum alijs valde commixtus ſit, tarde admodum deſcendit: vt ijs, quæ aut pituitam, aut humorem crudum in ventriculo relinquunt, vſuuenire ſolet. B C

De hepate.

LActentium omnium, atque ſaginatorum iecur, cæteris excellentius eſt; ægre in ſtomacho vincitur; vt enim ſiue aſſetur, ſiue aqua coquatur, magis durum perpetuo fit, ita in ventriculo præſertim calido, niſi antea ſatis attritum fuerit, calefactum, vnà cum ſanguine deuoretur, magis dureſcit, & coctioni repugnat; ſucci eſt (vt Galenus exiſtimat) craſſi, ſed non mali, tarde permeat: ſaginati ſuis, ac iuuenis, inter greſſilia reliquis ſuauius eſſe cenſetur. Verùm à Capreoli, plurimorum iudicio, valde ſuperatur. Gallinæ, ac etiam capi, vtroque præſtantius eſt; deinde anſeris; tertio anatis. D

De liene.

LIen, vbi rubet, quia ſanguine minus prauo tingitur, non ita mali ſucci eſt; vt quum aut viret, aut nigricat. Idcirco porci, præcipuè iuuenis, quia perpetuo ruber eſt, non damnatur; vt etiam neque multorum animalium iuniorum, vtpote vituli, hædi, agni, interea dum rubidus inuenitur. Tribuunt illi ſaporem acerbum; ex opinione potius, quàm experientia. Nam ſi porci; lienem diligenter guſtaueris, nihil tale in illo reperies. E

A

De renibus.

Renes ſunt praui ſucci, ingrati ſaporis, concoctu difficiles: hædi lactentis minus mali.

De ventriculis, inteſtinis, & vteris.

Quadrupedum vteri, ventriculi, inteſtina, ſunt (vt dicitur) mali ſucci, difficulter coquuntur, ſerò deſcendunt, parum
B admodum nutriunt. Lactentium ſuauiora, & meliora ſunt. Volatilium ventriculus, quia carne non valde fibroſa obductus eſt, amota interiore membrana (vt fieri ſolet) quemadmodum proba caro ferè concoquitur, nutritque. Talis eſt gallinæ, capi, anſeris, præſertim vbi ſatis pingueſcunt.

De ſanguine.

Sanguis animalium omnium (authore Galeno) vitandus in
C cibo eſt: quia quo magis coquitur, eo durior fit, ægrè in ſtomacho conficitur, parum nutrit, tarde meat. Porci minus malus apud plebem exiſtimatur.

De pinguedine.

Pinguedo ſi abunde ſumatur, nauſeam parit, cito ſaturat, appetitum aufert, ſtomachum euertit, difficulter diſtribuitur, parum, & male nutrit, aluum mollit: condimenti loco ſæ-
D pius iucunda eſt, quàm prædictorum vllum efficiat.

De ouis.

Gallinarum oua, optima ſunt, præcipue iuuenum, pinguiũ & à gallo compreſſarum: ſed maxime omnium, quæ recentia. Velociter ac plurimum nutriunt, ſemen augent, & potiſſimum illorum albumina, vbi tremula fuerint: quicquid contra alij dixerint. Nam ſi quis diligenter experiatur, id verum eſſe non
E obſcure comperiet. Quippe albumen, ceu coctu difficile, ab omnibus damnatur; fortaſſe quando nimis aut crudum, aut excoctũ aſſumitur. Cæterum vbi moderata coctura tremulum fit, tantum abeſt, vt dure nutriat, vt præter id, quod ſuauius, quam luteum, guſtui eſt, placide ſuperetur in ventriculo, & in venas prompte diſtribuatur: id quod facile cognoſcitur ab his, qui illud abunde ſatis deuorarint. Alacritas enim & celer ad coitum propenſio in

illis ſubinde gignitur. Oua quinetiam penes coctura rationem A
valde differunt. Nam quædam diutius cocta ſunt, alia ad medio-
crem vſque conſiſtentiam, alia dumtaxat excalfacta: iuxta quas
differentias, alia dura, alia tremula, alia ſorbilia, nuncupantur.
Tremula ad nutriendum (vt Gal. inquit) ſunt omnium præſtantiſ-
ſima, ſorbilia minus quidem nutriunt, facilius ſubducuntur, fau-
cium aſperitates leuigant, interdum quoque ſtomachum ſupinat.
Dura vero, ad coquendum ſunt difficilia, tarde tranſeunt, craſſius
alimentum corpori tribuūt. Oua item in aqua aut iuſculo aliquo B
(vt dicitur) ſuffocata, modo tenera ſint, ad tremula prope accedūt.
Frixa vero fauces lædūt, vocem exaſperant, ægre concoquuntur,
& quanto magis excocta, tanto deteriora ſunt. Deniq; oua (vt in-
quit Hippo.) robuſtum quid habent, & alunt, & inflant. Robuſtū
quid habent, quia generatio eſt animalis: alunt, quia hoc eſt pul-
li lac: inflant, quia ex parua mole, in magnam diffunduntur. Quod
vitam breuiorem (vt quidam opinantur) efficiant: quod item cal-
culos intra renes, aut veſicam habentibus obſint, experientiæ re- C
pugnat. Nam plerique tum monialium, tum ſacerdotum Conue-
tus carnibus perpetuo abſtinent, in earum vicem ouis veſcuntur.
Vtrumvis ita ſi accideret, & breuioris vitæ, quàm alij, eſſent, &
calculis atque his maioribus magna ex parte ſpeciatim laborarēt,
Vtrumlibet neque antehac à quoquam, neq; nunc ab aliquo eſt
obſeruatum.

De lacte. D

INter lactis genera, quæ paſſim edendo, bibendoue ſunt, ca-
prillum melius, deinde ouillum, poſtea bubulum. Horū quod-
vis boni ſucci eſſe ponitur; multum nutrit, aluum magis, mi-
nusue mollit; aquoſius æſtiuo vernum eſt. Probatur album, æqua
liter craſſum, ex femina ſana, carnoſa, iuuene, partui neque proxi-
mum, neque ab illo valde diſtans: vt videlicet in muliere quod ad
hoc attinet; à partu neque citra dies quadraginta ſit, neque annos
duos excedat. Cæterum quo partui propinquius, eo dilutius; quā- E
to autem remotius, tanto denſius. In æſtatis initio, ex vſu magis
eſt, quàm alio tempore; quippe quod in æſtatis fine, nimis craſ-
ſum eſt. Lac preſſum, ſiue concretum, etſi (vt quidam volunt) gra-
uitatem in ſtomacho gignit, noxios vapores in caput mittit, dureq;
que concoquitur; ſi tamen vnà cum ſero deuoretur, incommo-
dum nequaquam eſt: quippe ſerum in ſtomacho cum lacte rur-

A ſus permiſtum,tenuiorem eius portionem per venas ducit, & aluum, ſi illac feratur, emollit. Lac item & ſtomachi, & inteſtinorum inflationes parit: inutile lienoſis,hepaticis, vertigine affectis, neruorum vitijs. Si ſæpe ſumatur, caput dolore afficit, gingiuas putrefacit,dentes lædit. Neque cum acidis,neque cum piſcibus, ſalubriter conuenit.

Capilacteum.

B OB pinguedinis copiam (vt quidam arbitrantur) ventriculum relaxat, cibo ſupernatat, cibos è ſtomacho celerius, quàm par eſt, deſcēdere facit,vapores in caput mittit,craſſum generat ſuccum. Vt vero nos opinamur,iucundus cibus eſt, aluum mollit,atque ob id, vbi non retinetur, minus tentat caput.

Butyrum.

C BVtyrum largius aſſumptum ſoluit ventrem,reliquorum alimentorum ſaporem obſcurat,ſtomachum euertit, appetentiam arcet, ſputis ex thorace ducendis, ſi parce, atque alijs commiſtum, lambatur, ſatis conducit. Sin copioſe, tuſſim vehementem excitat,parum admodum nutrit.

De omni caſeo.

CAſeus omnis (vt Galenus exiſtimauit) craſſi ſucci eſt: crudum item, & incoctile (vt Hipp. placuit) edulium eſt: ſi-
D mulque ijs,qui ſe vino repleuerunt,nocentiſsimum. Crudum quidem,quia concoctu difficile eſt. Quo enim magis in ventriculo caleſit, eò durior plerumque redditur. Incoctile autem, quia vix coquitur,præſertim in debilibus, & qui minime exercentur. Vini potoribus obeſt, quia vinum, quo magis, quàm aqua, carnes, & plures fructus indurat, ita caſeum vt quum maxime, tum ſolidiſſimum, tum quaſi lapideſcentem efficit. Atqui præſtat mollior duriori: modice rarus,ac laxus,valde denſo,atque ad-
E modum compacto: ſuauis, inſuaui: qui nullam vehementem habet in guſtu qualitatem, ſed dulcem ſupra alias parum eminentem, ei,qui ſaporis acris, aut alius permoleſti eſt: mediocriter ſalitus, ei, qui multum: qui ructu ſentitur breue tempus, ei, qui longum. Sanè (vt 2. quoque de diæta ſcripſit Hipp.) robuſtum quid habet,multum alit,æſtuoſus eſt,ſitim inducit,flatum mouet, aluum ſiſtit. Robuſtum habet, quia poſt animalis ortum ſtatim auget il-

lud, ſimulque magis conſtans, firmumque reddit. Multum alit, quia ſolidior ex lacte ſubſtantia eſt. Æſtum affert, non modo quia pinguis eſt, ſed quia coctioni repugnat; quamobrem ſtomachus laborans, ſæpius æſtuat. Cuius quoque cauſa ſiticuloſus eſt, & ſtomacho, velut in rem moleſtam, inſigniter irruente, atque ob id ſpiritum continente, vt quum aliquid expellere conamur vſu venire ſolet, flatum excitat. Aluum ſiſtit, quoniam ſeroſo ſucco, niſi recens ſit, penitus exuitur. Eum Hippocrates conferre gracilibus tradidit: id in his, qui naturaliter creſcunt, locum habet: præſertim ſi recens fuerit, alioqui ſenibus, quia decreſcunt, tantum abeſt, vt conducat, vt ſæpius obſit. A B

Caſeus recens ſine ſale.

ATqui recens ſine ſale, non obnixè preſſus, ſed adhuc ſeri aliquid retinens, non mali ſucci eſt. Commodè nutrit, guſtui arridet; gracilibus, & ſtomacho validis conducit. Propter ſeri mixturam (quemadmodùm de lacte concreto dicebamus) facile diſtribuitur. Corpus (vt Dioſ. inquit) auget, aluum leniter mollit. C

Caſeus ſalitus.

CAſeus ſalitus, & ex lacte per coagulum concreto formatus, quo magis inueteraſcit, eo deterior eſt. A coagulo enim acrimoniam adquirit, humidum deponit, calidior fit, difficilius concoquitur, ſucci peioris efficitur. D

Calculos (vt quidam aſſerit) in renibus gignit: iecur obſtruit, aluum cohibet. Cæterum ouillus caſeus, qui non coagulo, ſed cinaræ floribus, (vt dicunt) concretus, parce ſalitus ſit, quemadmodum guſtui ſuauis, ac dulcis eſt, ita vel ſeneſcens, minimè fit acris. qua de re non iniuria cæteris melior exiſtit. Mediæ ætatis, vt vocatus marzolinus, omnibus, qui coagulo cõſtant, anteferri debet.

Bubulus, etſi plus nutriat, pinguiorque ſit, reliquis tamen concoctu difficilior eſt. E

Caprinus inueteratus, deterior eſt, vtpote qui ſtatim exiccetur, & friabilis fiat.

Bufalinus, qui vulgo prouatura dicitur, ori quidem pergratus, ac dulcis ſentitur, ſed ægrius concoquitur, quod ſubſtantiam admodum & pinguem, & lentam obtineat.

Denique caſeus omnis (vt nos hactenus plerumque experti

A ſumus) in ijs, qui vitam agunt ſedentariam, deſtillationem, & tuſſim mouet. Quia enim ægrè concoquitur, ac difficulter liquatur, nam à calore ſæpius ſtringitur, quàm mollis fiat, diu in ſtomacho retentus (præterea quod vapores in caput mittat, vbi deinde denſati in fauces decidunt) ob ſuum lentorem, ventriculo nimis inhæret, ſubinde mollem (vt dicitur) illum & quaſi nauſeantem reddit: qui, ceu moleſtus, dum à natura expelli tentatur, ſurſum, vt ſubuerſo ſtomacho euenit, per œſophagum aſcendit, attingensque fauces in tracheam arteriam, per laryngem (quia prior occurrit) priusquam in os, fertur, ſubitamque tuſſim parit, & deſtillationis ſpecie pleroſque decipit.
B

De nuncupata recocta.

VOcata recocta, recens (ſi Arabibus credimus) minus ventriculum vexat, quàm caſeus recenter preſſus. Confert ijs, qui calidis fluxionibus obnoxij ſunt, ſitim ſedat, ſomnum
C conciliat. Veruntamen ventriculum frigidum habentibus, & neruorum morbis obeſt. Inueterata, ęgrè concoquitur, ſitim excitat, caput lædit, parum nutrit, aluum cohibet, flatum creat.

De melle. Cap. XX.

MEl, optimum eſt, quod colore ad albidum, velut Hiſpanum, vergit: quod ceræ aut odorē, aut ſaporem nullo modo refert: quod nullum alium ſaporem, quàm dulcem obtinet: vt pote quod ſine acrimonia quoque ſit. Id enim non ab illius bonitate (vt plurimi putarunt) ſed ab eo, quod aut in apibus, aut in eorum alimento vitium eſt (vt quidam exiſtimauit) adquirit. Senibus, & hyberno tempore magis ex vſu eſt. Exiguum (vt Galenus opinatur) nobis alimentum affert: longe plus tamen, quàm vinum (vt docet Hippoc.) nutrit: flatum mouet; ſæpiusque ſaturat: lienoſis, & hepaticis peculiariter: obeſt flatum excitare, vbi crudum eſt, dicunt: coctum vero, ſine illo eſſe: vt pote quod vbi coquitur, ſpumam amittit; cuius cauſa flatum in eo diſſipari credũt. Cæterum quia Hipp. mel niſi vitioſum ſit, coquere vanũ eſſe perhibet. Idemq. vbi coctũ eſt, ſi rurſus coquatur, non minus ferè, quàm ante quam coqueretur, aut ſpumat, aut in tumorem attollitur. Rectius videbitur inflationes patere, quoniã à partibus corporis, quas attingit, auide, quidem propter ſuam dulcedinem, retinetur: Sed potiſſimum, quia lentum eſt. Interim enim calefiat, oportet: ob calorem
D
E

lorem vero quaſi feruet: ferueſcens, extenditur quidem, ſed ob lentorem, quo minus facile diſſoluatur, partibus propter ſuauitatem obnixe ſimul ad ſe trahentibus, prohibetur. Hoc pacto & iecur, & lien melle potiſſimum intumeſcunt: pedibus autem quadrupedum & maluis, quæ lentorem non exiguum habent, deuoratis, id minime patiuntur. Illud enim quia lentum, & dulce eſt, hæc verò tametſi lenta quoque ſunt, dulcedine tamen carent, ob quam & attractio, & retentio fit. Sic mel etiam ieiuno ſumptum, ſubito ſaturat. Adeo enim illud ſiue ſtomacho, ſiue iocinori ob lentorem duci coniunctum apponitur, affigiturque, vt neque alios cibos admitti, nec ipſum aliò diſtribui facile ſinat. A B

De ſaccharo. Cap. XXI.

Saccharum acrimonia caret, minus quàm mel nutrit, minus mouet ſitim, minus abſtergit: quanto magis rubrum, tanto calidius eſſe quidam volunt. Tradit Græcus quidam auctor, vetuſtum, quàm recens, melius eſſe, tenuius atque calidius fieri, ſed capitis dolorem facere. In aqua vero ſolutum, aquæ frigiditatem ſuſcipere, & refrigerare. Incenſum, ſuffitumue, ac odoratum, capitis deſtillationes ſanare. Arabes aliqui ſi cum oleo amygdalarum dulcium potetur, colico dolori prodeſſe. C

De martio pane, ſiue de nuncupato marzapane.

Ex hoc vna cum amygdalis dulcibus fit Martius panis, vulgo marzapane: mixtura valde ſuauis, & pleriſque hominibus grata. Creditur vires inſtaurare; idcirco datur conualeſcentibus, & debilibus. Sed tantum abeſt, id vt præſtet, vt omninò contrarium incredibiliter efficiat. Minori nanque mole ſumptus, quàm alia permulta nutrimenta, citius ſaturat, citiùs appetitum retundit. Ægre item concoquitur, tarde per corpus digeritur, viſcera, hoc eſt, lienem & hepar, obſtructione afficit, caput grauat, vires frangit. Nam quod valde dulce eſt, veluti mel, & ſaccharum, à calore in amplum extenditur, ſpumat, tumeſcit, & inflat. Ob lentorem enim cum craſſitie ita commiſtum, vt accedenti calido facillimè cedat: propter alterum, paruo negocio in bullas erumpit; propter alterum in loco, vbi bullat, retardatur, & figitur. Ab hoc ſatietas, tanquam à nimio nutrimento ſuboritur: ob id etiam appetitum repente labefactat, lenteque meat: ſiquidem bullans, tumenſque, in vaſis, per quæ fertur, hæret, & ſeipſum à motu coer- D E

cet,

A cet,quo minus facile vlterius repat. Quorum cauſa in lienem, & iecur incidens, inter tenuiſſima, & anguſtiſſima eorum vaſa, propter lentorem, & craſſitiem ſuam retinetur, vtrumque in tumorem attollit & obſtruit. Non enim (vt plurimi opinãtur) quia dulce nimiũ cupimus,ſubinde violẽter attrahimus, ſtatim explet. Ita nãq. ſimpliciter, citrà lentorẽ exiſtens non firmaretur in hepate, lieneue, nõ obſtructionẽ,non humorem inibi excitaret:ſed hinc (ſiquidẽ in ipſum dulce adeo auide impellimur) longe vlterius in
B carnes & in alias partes attraheretur,atq. ab eius onere dicta viſcera vindicarẽtur; præter id,quo multa ſummopere appetimus,vt ſalita, vel acida, quæ tamen(niſi plurimũ aſſumantur) ſatietatẽ minime pariũt Hactenus cur Martius panis ſatietatem celeriter afferat, cur tarde diſtribuatur, cur hepar, lienemq. obſtruat Cæterũ capiti officit, tũ propter amygdalas coctu duras, tũ propter prędictas in ſaccharo facultates. Quia enim in ventre, & in venis propinquis diu retinetur,vapores in cerebrũ,& craſſos,& cõtumaces emittẽs,
C caput ipſum lædit, ob quæ omnia quum nimis ſerò nutriat,vires ipſas quoq. laſſat. Prandere tamen conſuetis,ſi mane ieiunare coguntur, exigua illius portio prodeſt. Integrum enim diem facilè ieiunium ferunt, ad noctem verò hilarius cœnant. Prodeſt item in Quadrageſima, quum cibis, & fluidis, & parum nutrientibus veſcimur, quippe his commixtus celerem eorũ exitum ſuo lentore ita remoratur, vt pauliſper detenti, aliquanto plus alant. Temporibus frigidis,& hyeme potiſſimum, commodior: calidis vero
D & æſtate ſumma, inutilis, ac ſæpe æſtuoſus. ¶ Cæterum ex pineis nucleis, præparatis, vt moris eſt, quàm ex amygdalis, melior eſt. Verum infantibus,qui lacte, quod natura dulce eſt, veſcuntur,ob id alimentum,mellis inſtar dulce,prædicta incommoda non vſueniunt,quia vt velociter,& ampliter creſcunt, ita promptius eorum tunicæ, & vaſa continentia extenduntur, & amplificantur, quàm lac valde admodum firmari in ventribus, & in his viſceribus per id tempus queat.

E *De vocatis muſtaceolis.*

EX ſaccharo item cum cinnamomo, cum ouorũ luteis, cum tritici farina ſine fermẽto,nuncupati Muſtaceoli fiunt. Hos ad ſtomachum ſobrium, ac debilem reficiendum, ieiuni, ante alios cibos,deuorant. Ij non minus eundem euertunt, quàm nuncupatus Martius panis. Qũum enim azymi ſint,laborioſe nutriunt.

triunt. Stomachus vero imbecillis,non quæ laborioſe,ſed quæ facile,requirit. Quum etiam cinnamomo quàm plurimo conſtēt; idque(vt ante diximus) per ſe nec alat,nec roboret;ſed liquefaciat, ſtomachum debilem liquando ad vſq. tabem extenuabit: & quoniam ſatis in mixtura tritum eſt, ſobrij ſtomachi, ceu nudi villis inhęrebit:deinde aut pungens,aut interturbans, nutrimenta probe coqui (vt aliorum verbis vtar)non permittet. Ita de his dici facile poterit,vt magna in eo ſtomachi euerſio ſit,quod illius recreādi cauſa repertum eſt. A

Verum parce ſumpti,præſertim hyeme,non obſunt ijs, qui pituitoſo ventriculo ſunt, ac ſucciplenis, atque ijs,qui (vt proxime narrauimus) præter conſuetudinem ieiunare coguntur. Gracilibus vero,& ijs, qui parum comedunt, & æſtate potiſſimū,noxij. B

De Sale. Cap. XXII.

SAl (vt Dioſc.inquit,) aſtringit,exterit,repurgat, diſijcit, reprimit,extenuat.Corpora,ſi recte adhibeatur,à putredine tuetur, cruſtas inducit. Vt Græcus quidam auctor aſſerit,ſi plus iuſto ſumatur,ventrem proritat, ſanguinē exurit, cerebrum lædit,oculorum hebetudinem parit,ſemen genitale minuit,pruritū excitat, inteſtinis,viſceribuſque nocet. Cur adeo gratum ſit cunctis hominibus,lib.1.de morbo Gallico,ſatis abunde declarauimus. C

De Salſamentis.

SAlſamenta,ſi crebro,& abunde ſumantur,calefaciunt,ſiccāt, ſitim, pruritum, & ſcabiem inducunt,ſtrangurijs obſunt: ſin parce, appetitum excitant, aluum leniter proritant. Et crudā, & cocta comeduntur,ſed modico igne,vt coquantur,indigent. Nam vbi de celeriter faciendis ſermo fit,in prouerbium apud antiquos ceſſerat;citius,quàm ſalſamenta coquantur. D

Quæ ſaliuntur, quo plus humidi naturaliter habent,eo meliora ſunt,vt ſuum,vt tynnorum partes.

Maxima nunc gratia eſt Cephalorum ouis, quæ geminis folliculis circumciſa parte ſuminis, recentibus cephalis eximuntur; Græce, ὠοτάριχα, id eſt oua ſalita: nos bottarga vocamus. E

Eſt & Cauiarium appellatum, quod ex ſturionum ouis in Ponto (vt dicunt) conficitur. ſed id quidam ſimilitudine vocis adductus,garum eſſe ſuſpicatur:minus gratum,quàm bottarga, magiſque ſalſum.

Sunt

A Sunt ſalitę ſardę apud nos dictæ, quæ ab aliquibus trichiæ nuncupãtur, item vulgo haleces, quibuſdam apuæ: in magno vſu aliendis familijs.

Aringæ, pedales piſces, ſale, ac fumo inueterati, vbi fœtoris expertes ſunt, ſalitis, & ſardis, & halecibus anteponuntur.

Salmones quoque Gallia Belgica Romam quotannis mittit Verum ſaliti, quum priſtinã nobilitatẽ amittant, plebi cibo ſunt

Sed hæc, & alia huiuſmodi, quũ notiſſima ſint, melius eſt non B ſcribere, ſicut etiam ſilentio præterire ſalitas Thynni partes, quæ pingui carent, vulgo tonnina, veteribus (vt quidam putant) cybia, & horæa. Item thynnium, paſſim Tarantellum: ſiquidem in illis, macra pinguibus, in Thynnio, macris pinguia præferre velint.

De Aromatibus. Cap. XXIII.

Aromata omnia, corpus magis, minuſve calefaciunt ſimul, & liquant: vbi ſicca, lignoſaque ſunt, minime cõcoquuntur. C Succiplenis, & quibus in ſtomacho pituita plurima ineſt, opitulantur extenuatis, & ſtomacho vacuis obſunt, vrinam plus, minuſve mouent.

De Cinnamomo.

Cinnamomum (vt Arabes exiſtimant) hepatis obſtructiones aperit, ſtomachũ roborat, ſemen auget: vt vero Dioſc. ſcriptum reliquit, vrinam cit, mollit, maturat, venenis, veneD numque ictu, aut morſu relinquentibus, ſuccurrit; purgat quæ claritati oculorum officiunt; facit ad tuſſim, à capite in ſubiectas partes deſtillationes; ad cutem ſubeuntes aquas, ad renum cum vrinæ malo aliquo dolores, ad vrinæ anguſtias.

De Croco.

Crocus (vt etiam Dioſc. inquit) maturat, mollit, leniter adſtringit, vrinam citat, amabilem coloris bonitatem facit, E ſpleni prodeſſe creditur, venerẽ irritare, potum citra drac. I. pregnanti mulieri partum accelerare, ebrietatem prohibere, appetitum excitare: ſi plus æquo ſumatur, capitis dolorem parere, ſomnum inducere, ſenſus obtundere, nauſeam gignere, appetentiam deijcere.

A

Cariophylla.

DE his, neque Dioſ. neque Gal. ſcripſiſſe videntur; hyeme magis, quàm æſtate probantur, odoreque magis, quàm ſapore placent. Nam ſi paulo vberius deuorentur, os ipſum amarore afficiunt. Arabes opinantur concoctionem iuuare, alui fluxiones cohibere, venerem prouocare, oculorum hebetudini conferre, appetentiam ſuſcitare, ſuauem anhelitum, ſi ore verſentur, efficere. B

Galanga.

NEque item Dioſ. neque antiquiores Græci de hac quicquam memoriæ prodiderunt. Hanc eandem & Arabes, & poſteriores aliqui Latini exiſtimant, naribus admotam frigefacto cerebro perutilem eſſe; ore detentam, ſpiritum commendare; vteri flatibus prodeſſe, renes refrigeratos calefacere, flatum diſcutere, Venerem ſtimulare, ſemen augere, humenti ſtomacho ſubuenire. Denique frigidis morbis omnibus ſuccurrere. C

Nux moſchata dicta.

NVx myriſtica, vulgo moſchata laudatur, quæ recens eſt, & rubra, & pinguis, & grauis, quandam aſtringendi vim præſefert. Putant eam lienem extenuare, vrinam ciere, fluentem aluum ſiſtere, flatus diſcutere, vomitū prohibere, viſum acuere, ſtomachum roborare, fœtentis animæ virus commanſam abolere, frigidis vteri affectibus mirificè auxiliari, pulmones tamen offendere. D

Piper de quo ſupra, vt inter ſemina, hoc loco vt inter aromata numeratur.

TRia piperum genera circumferuntur, longum, album, nigrum. Album antedictis duobus ignauius. Calefacit piper omne, vrinam ciet, aluum etiam (vt lib. de aluo mollienda ſatis abunde docuimus) lenit. Tuſſientibus, cunctisque alijs pectoris vitijs (vt Dioſ. inquit) linctu, potuque ſuccurrit, commanducatū, per os pituitam purgat, ſomnum, & appetentiam cibi conciliat, concoctionem adiuuat: humentem ſtomachum emendat: pinguibus, & ſedentarijs omnibus confert: copioſus, & frequens E

eius

A eius vſus corpus extenuat,ſemen abſumit, renibus officit. Eligendum eſt,quod recens,& ponderoſum, & plenum, & nigrum, neque admodum rugoſum. Sanè nigrum, quàm album maiore acrimonia eſt, & gratius in cibis, & odoratius: condiendisque obſonijs vtilius.

De zingibere.

B Zingiber (hoc enim nomine zingiberis radicem intelligimus) quia facile putreſcit,eligendum eſt, quod teredinem non ſenſerit. Dioſcoridi,concoctionem adiuuat,aluum leniter mollit, ſtomacho accommodatur: facit ad ea, quæ claritati oculorum officiunt. Paulo minus,quàm piper, poteſt. Et (vt Arabes aliqui perhibent)ſenibus,atque pituitoſis opitulatur. Conditum ſtomacho pituitoſo, & frigido ſimpliciter non conferre; credendum eſt: ſedvbi per alia negotia prandere non licet, tum, ne conſuetudo mutetur,prandij loco vnum, aut alterum eius fruſtu-
C lum deuorare conducit.Id enim quum difficile coctu ſit, toto die ad cænam vſque inediam facile ferri ſinit.

Qui homines hic habitent. Cap. XXIIII.

Abſoluto ſermone de Romæ ſitu, de aere, de ventis, de anni conſtitutionibus,de aquis, de poculentis & eſculentis, proximum eſt,qui homines hic habitent,quibus & qualibus alimentis vtantur,quouſque viuant,explicare.

D Sunt igitur hic variæ quidem, & multæ nationes, ſed potiſſimum Itali,Hiſpani,Galli,Germani, ſimul etiam aliqui accedẽtes, & recedentes,aliqui permanentes. Illi ſanè breui temporis ſpatio; ij,aut diu,aut ſemper.Ex iſtis pauci præpingues,multi ferè mediocris habitus,complures graciles, nõ tamen extenuati. Ex iſtis item plurimi ſedentes,vt ſutores, & ſarcinatores: multi ſe loco mouentes exercentur: aliqui, ſed pauci admodum, deſidiæ, gulæque incumbunt: plurimi,animi curis non leuiter afficiuntur: atque ij
E aut propter lites,aut quia ſtudioſi literarum,aut honorum,lucrìue cupidi ſunt;aut quia dediti Deo,mentem omnem in illum perpetuò dirigunt. Præterea mulieres, innuptæ quidem paucæ, nuptæ vero plurimæ,atque frequenter grauidæ. Puellę,& pueri perquàm multi. Horum nutrices raro matres, ſæpius alienæ. Senes, mares quidem pauci, fæminæ vero plures. Atque id, quoniam illi & in iuuentute,& in reliqua vita intemperantes plurimum ſunt; hæ ve-

rò per omnem ætatem in victu omni plerumque continentes. A
Hactenus de his, qui in Vrbe verſantur.

De victu autem, quoad nutricatum, ſcite licet, pleroſque omnes non facilè ieiunare, ſed ad minimum bis die nutrimentum capere, ſæpiuſque plurimum; & vbi religiò permittit, multo plus carnis, quàm in alijs locis aſſumere. Quia enim alimenta (vt ante monuimus) in magna mole hic parum nutriunt, coguntur & ſæpius, quàm raro, & plus quàm aut modicum, aut paulum, comedere. Ac verno tempore propter Quadrageſimam, plurimas herbas, B plurimaque legumina, & pauperes perquam multa ſalſamenta, diuites verò complures piſces, & id genus alia. Deinde poſt Paſcha, caſeum, & præcipue vocatam prouatutam, butyrum, lac, & lactea, ſimulque diebus quinquaginta carnes agninas, poſtea bubulas, & deinceps reliquo tempore vbertim eſſe. Neque non æſtate caules vulgo capucios, lacuturres, ſiue tritianos appellant, fructus omnis generis, ſed pepones potiſſimum. Solent interim & ad vineas cum tota familia non rarò accedere. Ibi interdiu ſolem pati; veſpere ſub dio plerumque cænare: vbi quum ſæpenumero C ſudent, vina potentia, & aut niue, aut in cauernis præfrigidis conglaciata, ſiti propter calorem exaucta, & crebrò, & multum, & auidè potare. Autumno, & hyeme caſtaneas, & vuas, donec appellatæ pergoleſiæ durant, & caules & porcinas carnes deuorare, vinumque Romanicum recens bibere. Speciatim, religioſi aliqui, caſeo, ouis, & id genus alijs citra carnes: aliqui his perpetuo abſtinent, reliquis veſcuntur. Vtrique ſæpius ieiunant, & ſæpius quam D multa ieiunia, inſtar Quadrageſimæ, intra annum obſeruent, ab illis eiſdem ſe ſe omnino cohibent, contenti dumtaxat herbis, leguminibus, ſalſamentis: aliquando, ſed ratò, piſcibus, & id genus alijs. Prætermitto quoſdam, qui lautè, ampleque viuunt, ſeque paſſim explent, atque omnibus, quæ illorum appetitus requirit, ſeipſos infarcire quotidie ſtudent: quoniam hi pauci admodum hac noſtra ætate in Vrbe ſunt. Hæc de victu, quatenus nutricationem reſpicit. E

Vitam vero ducunt plurimi ad annum ſexageſimum, non multi ad ſeptuagenum, rari ad octogeſimum, rariores ad nonageſimum, rariſſimi ad centeſimum. Cauſa eſt, quoniam alimentis veſcuntur, quæ vt valde fluida, & parum firma ſunt, (id ſupra ſatis diffuſe declarauimus) ita illorum corpora his nutrita, citò delabuntur, atque deficiunt. Contra verò vbi nutrimenta ſolida, ſtabilia-

A biliaque ſunt, vt in Hiſpanijs, ibi & multo diutius viuunt, & longe ſeniores, compluresque reperiuntur. Huc accedit Romanus aer (hunc enim quo minus perpetim attrahamus, vitare omnino nequimus) quippe qui quum Auſtrum (vt in principio monebamus) imitetur, corpora flaccida, laxa, facileque reſolubilia reddit. Nec ignoro quòd errores commiſſi, quòd variæ temporum mutationes, quæ hic ſæpe contingunt, morbos pariant, mortem maturent, vitamque citius finiant. Verum hæc, idipſum neque na
B turaliter, neque neceſſariò, ſicut vbi alimentum capere, & aerem attrahere cogimur, ſed ex accidenti, quia caueri poteſt, efficiunt.

Diximus, qui homines Vrbem incolant, quod victus genus vſurpent, quouſque vitam degere naturaliter ſoleant. Reliquum eſt ad peculiares huiuſce Vrbis morbos accedere, & cætera, quæ intra initia polliciti ſumus, abſoluere.

C

LIBER QVARTVS.

De morbis Romæ vernaculis. Cap. I.

NE vero legẽtium animos inutiliter detineat id, quod pleriſq. medicis vſu venire ſolet, qui, dũ affectio, quæ proponitur, morbus, an ſymptoma
D ſit, curioſe contendunt, multa, quæ neceſſaria ſunt, vel obſcurãt, vel prætermittunt: morbum modo dicemus, ſecundum Hipp. in lib. de flatibus, ſentẽtiam, quicquid hominem infeſtat. Huius cauſam qui verè nouerit, ſiue morbus, ſiue ſymptoma ab alijs dicatur, hic & recte prædicere, & recte curare (id quod maxime omnium, tum à medicis, tum ab ægrotis expetitur) nouerit.

Itaq. inter peculiares vrbis Romæ morbos, primus eſſe videtur,
E multa ſuccorum in capite exuberantia; quam deſtillationes pluri mæ in ſubiectas partes ſequuntur.

Profecto hæc (ſi nomina fingere liceret) iuxta id, quod caput plenum in hoc affectu ſentitur, capiplenium, barbare quidem, ſed vere forſan, appellaremus.

Alter in ventre, ex alimenti copia cruditas, expletio non inepte vocatur.

Tertius

Tertius languor leui negotio contingens, à Græcis forſan ἀλόγη ϰάριτις, à nobis celer virium, & corporis, præter occaſionem, & rationem, defectio dici poſſet. A

Has affectiones pauci, qui Romam incolunt, effugiunt. Plerique enim niſi admodum continentes ſint, de capite pleno; de vētre referto conqueruntur; neque non, ſi nimium laborent, aut morbis aliquibus afficiantur, cito ſe languere, & intempeſtiue, præter communem aliorum locorum rationem, deficere ſentiũt.

Semitertianæ Galeni tempore, quales ille deſcribit, Romæ incolis familiariſſimę quidem erant; ſed hac noſtra ætate, ſiue ob victus genus mutatũ, ſiue ob aliam cauſam, perrarò videntur. Quotidianæ vero in acceſſionum vigore cum corporis, atque mentis oppreſſione, in lethargiæ ſimilitudinem vt (Cælio Aureliano, 2. acut. lib. referente) Aſclepiades multo ante nos, animaduertit, noſtra quoque ætate propter dictum capiplenium, frequenter apparent. Nō tamē ita crebræ ſunt, vt vel quotidianā febrē, vel lethargiam inter domeſticos huius Vrbis morbos recēſere debeamus. B C

Aliud eſt enim aſſerere, quotidianas febres in ſuarum acceſſionum vehementijs, ſibi quandam lethargi ſpeciem aſciſcere: aliud, ſeparatim dicere, frequentes in hac Vrbe, vel quotidianas febres, vel lethargias eſſe. Tertianæ item cum ſimplices, tum duplices, tũ duæ, non magis Romæ, quàm in alijs locis propriæ ſunt: quemadmodum & calculorum, & arenularum affectiones, quas nonnulli medici Romæ germanas eſſe obnixe contendunt, quum tamen multo plures ab his liberi, quàm affecti reperiantur. Quid dixi, multo plures? immo ne milleſima quidem hominum pars obnoxia his malis in Vrbe eſt. Id patet inſpicientibus familias tum incolarum, tum Romanorum ipſorum. In his vix vnum, aut alterum inter multos, ex tot, tantisq. familijs, calculoſum inuenies. Verum hi decipiuntur ob aquę Tyberinę communem vſum, cui, arenulas gignendi facultatem, ex arbitratu, non autē verè, tribuũt. Quippe hæc (vt ſupra declarauimus) arenulas per ſe non cieat. Anticipant igitur ratione ita eſſe dicere, ante quàm ita fieri vnquam viderint. Cæterum & calculi, & arenulæ hic non aliter, quàm in alijs locis naſcuntur. Omitto id, quod dicunt, à pituita craſſa, accedente renum calore. Maxime enim gignuntur ab immodico potentium vinorum vſu. Hæc namq. vt lapidoſas cruſtas (tartarum vocant) in dolijs vndiquaque relinquunt, ita intra corpus aſſumpta, per venas in renes delata, quum eadem vi præ- D E

dita

A dita ſint,dum per renes colantur,ſimili cruſtarum ſpecie renes afficiunt,& calculos, aut arenulas inducunt. Ideo ebrij ferè nulli, qui vinis non aquoſis, ſed vinoſis delectantur, niſi forte vaſa nimis ampla ſortiantur,calculis non laborant. Vtrique Veneri dediti,qui,vt eidem ſufficiant,talia vina immoderate potant,perpauci calculoſi non ſunt. Neque aliquis decipiatur,aſſerens (vt quidam ſine vlla experientia exiſtimant)quoniam hæc vina limpidiſſima, tenuiſſimaq. ſæpe videntur,arenulas,calculosve creare non poſſe.

B Nam & aquæ multæ medicatæ,eæque tales eſſe cernũtur, quæ tamen(vt ante diximus) Hipp.quin etiam auctore, vrinæ pariunt difficultatem. Sed de his iſta plus ſatis;ad propoſitũ reuertamur.

Dictorum itaque trium morborum tres quoque cauſæ ſunt, quæ ſingulæ ab Vrbe ipſa occaſionem habent: nempe aer in ea craſſus,denſus, tepidus: flatus frequentes,& vehementes: victus plenior,quo propter debilem alimentorum vim, homines (vt ante docuimus)vti coguntur. Quippe aer ille venas,arterias pulmo-

C nes,thoracem,caput,carnem,denique vniuerſum corpus replet. Flatus,violentia quadam in loca prædicta irruunt,atque magis opplent. Victus vberior, quod id quoque præſtet, probatione non eget.

Caput igitur ab attracto aere impletur, quoniam (vt auctor de morbo ſacro inquit)quum homo ſpiritum in ſe ipſum attraxerit, primum quidem ad cerebrum peruenir, & ſic ad reliquum corpus aer diſpergitur, relinquens in cerebro ſui ipſius vigorem: ſed

D tanto magis à ventis occupatur,quanto hi vehementius penetrãt, ſi attrahantur.

Impletur & ab alimento, vbi multum ingeritur: quia vapores ab infernis partibus in caput ſponte repunt. atque hæc de tribus cauſis,quæ ab Vrbe naſcuntur.

Speciatim vero caput impletur,quia cauum eſt,& veluti cucurbita medica(vt & 4.de morbis,& in epiſtola ad Democritũ Hipp. inquit)corpori incumbit,ita,vt omnium eorum,quę ingeruntur,

E tum ſuperfluitates,tum tenues humores facile attrahat.

Impletur ſimiliter,quoniam natura inſtitutum in homine eſt, vt ſæpius plenum, quàm vacuum exiſtat. Alioqui exercitationibus,& laboribus,cum vigilamus, minime ſufficeremus. Quo factum eſt,vt cubantibus nobis,quia per plana in illud ſanguis magis prompte defertur,magnopere impleatur: id quod faciei color rubicundior,in quouis homine,vel pallido, vbi cubat, oſtendit.

Subinde

Subinde vt propter gyros,atque Mæandros ferè inextricabiles, tũ A
venarum,tum arteriarum,delatum in illud,humorem diutius retineat. Non enim quemadmodum manu deorſum inclinata, venæ,quæ in ea,tumeſcunt: deinde ſurſum extenta,ſtatim detumeſcunt,ac exinaniuntur: ita capiti, ſi ab humore, vel ſanguine impleatur,contingit. Quamquam enim illum fortaſſis facile recipit, non tamen æque facile propter vaſorum quaſi tricas, eundem remittit.

Tertia cauſa adijci poteſt, Solis calor, qui Romæ, præſortim B
æſtate,validus;meridie vero ferè toto anni tempore,nunquam debilis eſt:& vinum, quod in hac Vrbe plerumque immodice potatur.Vinum enim quod caput impleat, notiſſimum eſt: Sol quod id etiam valeat, oſtendit vaporum è terra ſurſum eleuatio, dum ille radijs ſuis eandem ferit. Oſtendit etiam calor, quem capiti inducit. Calor enim(vt omnes opinantur)attrahit: ſuadent Aphricanæ gentes,quæ vino(vt arbitror)abſtinent. Omitto legem,quæ forte hinc nata fuit,quoniam illorum capita à Sole nimium excalfacta, C
vino poto, ſupra modum læduntur.

Neque id alicui mirum eſſe debet, hoc eſt, Romæ caput adeo pati,ſiquidem & Galeni tempore, in hac Vrbe fluxiones à capite (vt 2. de temperamentis & 5. methodi idem innuit) paſſim naſcebantur. Quid,quod Hipp.in epiſtola ad Democritum, radicem humanorum morborum eſſe caput, & maximos morbos ex hoc accedere tradit? Et 4. de morbis, caput, & ſplenem, maxime eſſe morbis obnoxia. Si ergo tum ex membri natura,vt Hipp.tum ex D
loci,vbi verſamur,conditione, vt Galenus: tum ex alijs, quæ nos proxime narrauimus, caput magnopere læditur, quis illud in vrbe Roma,non grauiter affici dubitauerit?

Hinc in hac vrbe ſpontaneæ aliquibus lachrymæ, aliquibus, oculorum, palpebrarumque rubores, in auribus ſibili, pulſationes,grauedines,coryzæ, raucedines, tuſſes: non paucis, pulmone læſo,phthiſes,podagræ,articulorum labores, vertigines, comitiales,apoplexiæ. Hinc in febribus frequentes capitis dolores, dely- E
ria,lethargi,phrenitides.

Ex quibus latè patet,caput in vrbe Roma nõ leuiter affici,morbumque eius potiſſimum eſſe, quem ficto nomine capiplenium appellauimus.Atq. hinc (vt diximus)complures alias,præter naturam,affectiones oriri.

Sunt nonnulli,qui potius iecur,quàm caput, in hac Vrbe lædi conten-

A contendunt;argumento,quod propter ingluuiem crebram, & magnam ſuccorum, qui hinc naſcuntur, copiam, obſtructione, quam oppilationem vocant,afficiatur. Sed ij ſine vlla experientia, ſine aliqua coniectura,quę à vero ſumpta ſit,ita cenſent. Quocirca permittendi ſunt, vt volunt, opinari. Non enim poſſumus, quominus ita putent,impedire. Quomodo namque hepar, propter magnam ſuccorum abundantiam,obſtruetur?ſi ſecius quàm caput,ſingulis noctibus cogatur,ſuccos, quos continet, extra ſe
B in venas expungere,vbi videlicet,ſuper latus dextrum(id quod ſępius euenit)cubamus? Hoc enim pacto illud non parum comprimi neceſſe eſt, & compreſſum in ſe ipſo non retinere ſuccorum copiam; ſed alio reijcere: ſi eius quoque fabricá intuiti,contemplemur venas,quę in illo ſunt, eo anguſtiores eſſe,quo magis in illius profundum ſubeunt,ſed prope ipſum,& circa ipſum, amplio res apparere:adeo id viſcus ad ſuccum & excernendum, & deſęcandū,potius quàm retinendū à natura inſtitutum fuiſſe, aliquis
C dixerit.alioqui contra fieri oportere, nempe anguſtiora foris, & circum circa;intus vero ampliora, prædicta vaſa eſſe. Siquidem etiam pulmo magnam ſanguinis portionem per dextrum cordis ventriculum,ex trunco venæ cauæ,quam ex hepate naſci volunt, & nocte,& interdiu continuè hauriat, & aliò ſimiliter mittat. Caput autem contra, (vt ante diximus) repleatur? Et quia oſſibus eſt obductum, à nobis comprimi, vt iecur, non poſſit.

D

De expletione. Cap. II.

SEd ad alterum huius Vrbis peculiarem morbum accedamus. Hic nimirū eſt, magna, ex alimenti copia,in ventre cruditas. Nunc cruditatem non ſolum eam, quæ nutrimenta paulum concocta,ſed etiam quæ corrupta,& putrefacta ſequitur, appellamus. Huius quoque cauſæ tres illæ ſunt; quas antea retulimus. Quum enim & aer, & venti, corpus vniuerſum & præcipue venas, ſæpius impleant, interdumq. maxime vbi exercitium præter-
E mittitur,non ſinant illas, vtpote iuſto pleniores effectas, à ſtomacho,pro ut ſolent,attrahere:ſimulque alimenta,quę in magna mole parum nutriunt,multa ſumere non deſiſtamus: fieri non poteſt, quin multa quum in ventriculo,tum in inteſtinis, niſi valde fluida ſint,redundent. Alia quoque,præter has, cauſa eſt. Nam inter homines,qui hic verſantur,plerique aut diuites ſunt:aut qui tales nō ſunt,ij ex ſuis artibus ample lucrantur; reliqui aut his eiſdē

Y inſeruiunt,

inſeruiunt, aut hos gulæ vitio, in quod prompte labimur, capti, perdite imitantur. Quum igitur diuites ſimul, ac artifices, & vina, & cætera nutrimenta ſibi abundanter compatent: & vndequaque huiuſmodi omnia in hanc Vrbem ab alijs affetantur, innatúque ſit viuentibus omnibus præcipue animalibus, quibus non præſens, vt plantis, ſed abſens eſt alimentum; vbi paratú illud eſt, quoniam deficere poteſt, eodem non parum, ſed valde impleri, neceſſe eſt, quum hos, tum illos, tum eorundem ſeruos, ac imitatores prædictos, quia ſimili plerumque victus genere vtuntur, expletione non raro, ſed ſæpius laborare. A B

Adde quòd natura, nutrimenti defectionem verita, quoniam abeſſe ſolet, ventriculum, & inteſtina magis ad retinendum (vt patet ex eorundem gyris, & circuitibus) quàm ad expellendú propenſa creauit; alioqui ſi æqualiter tam expulſioni, quàm attractioni paterent; omnes cogeremur continue vel comedere, & bibere, vel breui de vita diſcedere. Si ergo expulſionis inſtrumenta, magis retinent, quàm expellant, homines autem in hac Vrbe propter dictam alimoniæ commoditatem, ſe quotidie replent; qui fieri poteſt (niſi aluus valde mollis ſit) quin multa cruditate ſæpius laborent? C

De languore. Cap. III.

HÆc ſatis de cruditate. Tertij morbi, qui languor appellatur, eædem quoque cauſæ ſunt, quas ante numerauimus; hoc eſt, aer craſſus, denſus, tepidus. Hic enim vt cito replet, ita repente abſumitur. Talis namque eſt aeris vel craſſi natura, vt celeriter diſcutiatur. Quiuis enim aer, qualis qualis fuerit, diſſipabilis eſt. Flatus quinetiam inſignes, arterias, venas, & vniuerſum corpus velociter inflant, implent, tumefaciút: ſed quia tenui ſubſtantia conſtant, id quod ex his conflatur, prompte diſſipatur, & ſuis viribus deficit. Alimenta quoque huius Vrbis, quoniam (vt ante declarauimus) debilia ſunt, & in magna mole, parum nutriunt, corpora quidem & carnes in tumorem attollút, ſed vbi vel propter negocia, vel propter aliquod malum, intermittuntur; homines, quibus id accidit, & corpore, & viribus non tarde concidere videntur. D E

Inter cauſas etiam illud forſan referri poſſet, quod multos ambitio, non ea inquam, quæ ad virtutem, ſed quæ ad diuitias, ſuperbiamve, hic paſſim excruciat: multos litis improbæ ſollicitudo

grauiter

A grauiter vexat. Hęc, vel illa vbi ſemel in animo vehementer impreſſa eſt, non dormire, non quieſcere, non nutriri hominem ſinit; ſed breui corpus ſimul, ac vires ad defectionem trahit.

Expoſitis morbis, qui Vrbis Romæ peculiares eſſe videntur, atque horundem cauſis; ſatis quidem eſſet illorum ſigna & quomodo ab his ſe quiſque tueatur, ſubſcribere. Sed quoniam hæ medicinæ partes, tum ea, quæ dictos morbos curat, tum quæ ab his nos defendit, ita innexę ſunt, vt ex toto ſeparari nõ poſſint; ſed B ab eo nomen trahant, à quo plurimum petunt; nonnihil quidem de curatione quoque, ſed per quàm paucis, ne propoſiti operis terminos excedamus, loquemur.

De ſignis languoris. Cap. IIII.

ITaque futuri languoris ſigna ſunt, ſi is, qui ſolitus eſt aſtricta aluo eſſe, alui fluore corripiatur: ſi quum ſedet, crure altero ſuper alterum poſito, ſæpe maneat; ſi conſueta tegumenta grauia C ſint; ſi pigrior mens: ſi tardior ſenſus: ſi, vtrum ex animo laboret, ſuſpicio ſit; vbi de eo, quod ſuſpectum eſt, mentio aliqua ex improuiſo fit, tũ facies mutatur, quaſi perterreri videtur, pulſusq. humilis, crebet, inæqualis, & inordinatus efficitur: poſtea conuerſo in rem aliam ſermone, ad propriam naturam reuertitur.

¶ Iam vero præſentis; carnes concidere, vocẽ fieri remiſſam, non facile loqui, ſupinũ cruribus vel tetractis, vel extenſis cubare, in eodem loco non admodũ quieſcere, ſed huc illuc ſæpe quidẽ, at D ægre moueri, non appetere, triſtẽ, iracundumve ſine cauſa eſſe. Ad vltima verò deuentum eſſe teſtatur, ſi homo pectus nudet, neque huic inſignis calor ſubſit: ſimulque cubiculum apertum, lucidũ, & refrigerantem aerem exoptet; à clauſo autem, & obſcuro, & tepido ſe ſuffocari dicat: denique ſi inſtar eius perſiſtat, qui ſemper aliquid, quod vires reficiat, intra ſe trahere auide deſiderat, ſed non poteſt.

E *De Cruditatis indicijs.* Cap. V.

IMminentis expletionis, ſiue cruditatis indicia ſunt, frequentes ructus, præſertim ante, aut multo poſt cibũ; ſatietas, grauitas in ventre, grauitas in lũbis, in genibus, in tibijs; victus qui præceſſit, ſolito vberior, crebra pandiculatio, freques oſcitatio, valde à cibo ſitire, denſũ ſpirare, aluus antea moderate mollis, nũc aut aſtricta, aut liquida, vel aquoſa: cõſuetos cibos faſtidire: hos eoſdẽ ma-

le olentes imaginari: vinum idem antea gratum, ſi potetur, aut nõ placere, aut multo leuius factum videri. A

Confirmatam vero expletionem, tum prædicta, ſi pluribus diebus appareanr, nunciant: tum ſi lingua primum ſorditie alba, deinde pallida inficiatur: ſi punctura aliquæ ventriculum infeſtent: ſi multa ſaliua cum nauſea, aut ſatietate in os emergat: ſi ructus vel acidi, vel acres, vel nidoroſi, ouorum putreſcentium inſtar: ſi peditus quoque crebri, valdeque fœtidi ſint, ſimulque caput doleat: ſi quinta, ſexta, ſeptimave põſt cibum copioſum hora, ſputa, ſpiritũ impedientia, repente, ac feſtinanter compareanr. Quæ ſi ſaliuoſa ſint, nauſeam, vomitumve; ſin craſſa, & viſcida, infenſam quaſi ſtrangulationem portendunt. B

De Capitis pleni ſignis. Cap. VI.

AT inſtantis in capite morbi, quod capiplenium vocabamus, notæ ſunt, frontis, & oculorum grauitas; in occipitẽ dolor, aut põdus: circulus, inſtar coronæ, primo fronrẽ, & ſupercilia, mox tempora, ſubinde occiput, poſtremo hæc ſimul omnia, dolore quodam exercens; ſomnus nimius; ſi oculi aut humidi, aut graues ſunt; ſi quum homo exercetur, mucus in naribus, ſaliua in ore ſubinde naſcitur: quippe quieſcente corpore, multa ſucei redundantia caput afficiente, ſpiritus quidem plurimi gignũtur, ſed propter copiam denſantur, & capitis vias obturant. Vbi vero præ labore calefactum eſt, primum attenuantur, mox propter anguſtum locum in aquam vertuntur, deinde ſaliua per os, mucus per nares excernitur. Sed illud non vulgare indicium eſt, ſi nares ſiccæ ſunt, ſimulque homo ſiccum os, atque palatum, & fauces habet, neque ſitit, neque calorem in thorace, aut in dextro hypochõdrio, cui hepar ſubeſt, ſentit. Id enim caput non modo plenum, ſed obſtructum eſſe portendit. Id quoniam à nullo antehac animaduerſum fuit, facile quidẽ, quia nouum eſt, improbari ab alijs poſſet: ſed qui diligentius perſcrutabitur, is ſtatim cognoſcet, eos morbos, qui cum hoc ſigno maligni ab illis eſſe cenſentur, & quibuſdam (vt dicunt) bezoarticis nulla capitis habita ratione, ab eiſdem curari tentantur, non magis malignos, quàm lethargum, aut phrenitim eſſe; atque homines plerumque non horum morborum vi; ſed curantium culpa perire. C D E

Perfecti vero morbi, quod capiplenium nominauimus, ſigna ſunt, tum proxime dicta, ſi diutius perſeuerent, tum validi aurium

ſonitus,

A ſonitus,temporum pulſus,lacrymæ ſpontaneæ,facies tumidior.

De communi prædictorum morborum cautione, & curatione. Cap. VII.

HÆc de languoris, de cruditatis,& vocati capiplenij ſignis. Reliquum eſt, ad curationes, & adcautiones, ſcilicet, vocatas præſeruationes, tranſire. Ex his quædam com-
B munes ſunt, quædam propriæ. Communes, quæ tribus prædictis ſimiliter opitulantur. Propriæ,quæ ſingulis. Ex quibus tamen quędam non ægros ſolum,ſed ſanos quoque ſuſtinent:quædam in aduerſa tantum valetudine adhibentur.Ante de communibus dicam.

Eum igitur,qui exoptauerit prædictas affectiones, & nondum exiſtentes euitare,& dudum incipientes, ne vlterius progrediantur,prohibere, oportet in primis domum eminentiore Vrbis lo-
C co,quoad fieri poteſt,ſitam colere; quæ & lucida ſit, & perflatum æſtiuum,& hibernum Solem habeat;feneſtris, aut portis, ab vna, ad alteram cæli plagam,quæcunque ſit, ſibi inuicem reſpondentibus,quo nullus aer diu intus retineatur: alioqui corrumpitur & putreſcit.Nec imas eius partes,ſed ſupremas frequentare.Sic enim aerem puriorem, & minus craſſum,minuſque denſum attrahet.

Vbi flatus vehementes fuerint, ſe domi continere; ſi exeundum eſt, qua non ſpirauerint, egredi; ſin his occurrere neceſſe
D eſt,non celeriter,ſed tarde, quo minus aeris inſpiretur, incedere. Alioqui natura noſtra,propter feſtinationem,ad ſe magis attrahẽte,vento autem contra in eam velocius irruente, caput, pectus, & corpus vniuersũ immodice impleri, nõ ſine graui noxa cõtingit.

Oportet etiam aluum ita mollem habere,vt quotidianæ nutritioni,quę Romæ(vt ante diximus)ampla eſt,appoſitè reſpondeat. Reſpondebit, ſi bis,terue, aut etiam quater, intra diem,ac noctẽ aluus deijciat.Quomodo id aſſequi poſſimus,in opere noſtro,cui;
E De aluo mollienda;titulus eſt, diffuſe tractauimus. Sed ne lectoris animum,ſi de hac re illuc eum relegemus, inepte ſuſpẽdamus, id paulo poſt,quo breuius poterit,repetemus.

Generatim igitur ad prædictos morbos, & nondum genitos, euitandos, & iam comparentes,coercendos, ſic admonuiſſe ſatis ſit.

De pro-

De propria Capiplenij tum cautionė tum curatione. Cap. VIII. A

SPeciatim verò inſtante, vel præſente vocato capiplenio, ea fu-
gere oportet, quæ firmo, & inſigni odore conſtant, vt nuncu-
patum moſcum, ambracanum, zibettum, belzuinũ, allia, cę-
pæ, porra, ſcalonia, & reliqua valde odorata: omnia enim caput re-
plent. Modice item ſumere, quæ in ventriculo nimis diu hærent,
& omnino quæ tum coctu difficilia, tum vaporoſa ſunt, vt nuces, B
auellanas, iuglandes, amygdalas, pineos nucleos, piſtachia, pal-
marum, & rubi, & arbuti fructus, melangiana, oliuas, perſica
ſiccata, cydonia, aut vino, aut muſto cocta: tubera, aromata, legu-
mina, oryzam, radices, ſemina pleraque, vt aniſum, fęniculum, co-
riandrum, caules, lactucas, erucas, carnes bubulas, & hepata bubu-
la, lac, vocatam recoctam, caſeum, vina valde potentia, crapulam;
ebrietatem, potiones varias, cibos varios. Quo enim hæc (dico di-
uerſos cibos, ac potiones) quia iucundiora ſunt, facilius ſumun- C
tur, eo plus ingeruntur, atque ob id multo difficilius concoqui cō
ſueuerunt. Præterea vomitum, ſomnum meridianum, ſomnũ mul
tum, adſtrictam aluum, proxime à cibo tum inſolationes, tũ exer-
citia. Expedit à ſudore neque nimis frigidum potare, neque aeri
frigido ſe committere, neque nubilo cælo Soli aperienti ſeſe expo
nere, ne modo frigus, modo calorem moueat: quæ res maxime
grauedines, deſtillationeſque concitat. Cauere meridianum So-
lem; matutinum, veſpertinumve frigus, atque auras magni Tybe- D
ris: vitare Lunam, ſolis ardorem: maximeque poſt cibum, (vt dixi-
mus) & vinum. Caput in Sole, ſi is vitari nequit, protegere, ne incē
datur, neue ſubitum ex repentino nubilo frigus quādoq. moueat.

Neque caput (vt plerique ſolent) mane, poſtquam ſurrexerint,
crebro, & multum pectere: caleſcit enim cutis, qua calefacta, plus
attrahitur excremēti, quàm diſcutiatur. Satis erit igitur moderate,
& leniter & parũpor adacto pectine caput perfricare; quo cutis ali
quantum rarefacta, his, quæ in ea redundant, promptiorem exitū E
faciat. Quumque omnibus inutilis ſit poſt cibum aut contentio,
aut animi cogitatio, tum his præcipue, qui capiplenio ſubijciun-
tur. Et licet aer craſſus, denſus, tepidus, flatuſque vehementes, atq.
caua, planave loca, ex quibus vapor ſpiſſus emergit, prędictis mor
bis (vt ante diximus) valde officiant; caput tamen, vt quum maxi-
me, lædunt.

Sane

A Sane prodeſſet quidem nihil comedere, nihilque bibere, quo ſuperfluitas omnis, inedia imperata, abſumeretur. Sed quoniam mutata conſuetudo magnopere officere ſolet, adeo qui bis die cibũ aſſumũt, ij niſi pranſi fuerint, imbecilli, ignaui, timidiq. reddũtur, dolore præcordia, tamquam ſuſpenſis, contractiſque viſceribus torquentur: vrina calida, ruffaque redditur, alui ſedimina aduruntur, os amarore afficitur, oculi cauantur, tempora præter naturam quatiuntur, extremæ partes frigeſcunt: interdum etiam B cænare non poſſunt, quod ſi tum cænauerint, veteris grauitate infeſtantur, & per noctem maiori cum moleſtia, quàm ſi pranſi fuiſſent, cubant. Melius eſt aliquid in hoc caſu, ſed id perquam modicum, offerre: ſi ſitis abſit, quod ſolidum ſit: ſin minus, quod liquidum, & bis die, ſi bis ſolitus ſit homo refici: ſemel autem, ſi ſemel: atque ter, ſi ter. vt nutriendi conſuetudine, quoad temporis numerum, quoniam hic neque auctus, neque diminutus eſt, ſeruata, mox alimẽto perquàm modice porrecto, natura, propter ali C menti ſubtractionem, quia nihil mutatur, niſi quod illi oneri eſt, facta robuſtior, id quod redundat, aut vtile reddat, aut conſumat, aut pellat.

Non parum conducet, aluus vel molliter, vel modice ducta: id quomodo fiat, infrà dicetur.

Frequentius vigilare, quàm dormire: ita tamen ne concoctio, prohibito ſomno, impediatur; caput erectum ſæpius, quàm procliue tenere, humor namque ſurſum non æque facile, atque deor D ſum, aut per planum, fertur. Ideoque rarius cubare, quàm ſtare aut ſedere.

Aquam, ſi ventriculus patitur, bibere: ſin lædit, vinum, quod valde dilutum ſit, & omnino pauciferum, potare.

Si os ſiccum, & fauces, nareſque ſiccæ ſunt, aut oxymelite, ante cibum, palatum inungere; aut trochiſcos aliquos ante nutriendi horam, ore verſare: quo ſaliua in capite ſuppreſſa, in os ipſum deſcendat. Nares vero aut oleo amygdalino dulci, aut butyro, E vtrumque tamen & recens, & aqua ter, quaterve lotum ſit, lenire: ſubinde errhinis aliquibus aperire.

Atque hæc quidem vbi vocati capiplenij leuia ſunt indicia: vbi vero vehementiora fuerint, maiorem animaduerſionem deſiderat: quippe quòd vbi grauius vrget, aut medicamẽto, quod nõ ſegniter purget, aut venæ ſectione neceſſarium eſt vti. Nõ tamen his neglectis, quæ ante ſcripta ſunt, ſed medicamento nimirum, ſi os

ſi os cum faucibus humidum, naresve humidę ſint; alioqui ſi tum A
os, & fauces, tum nares areſcant, quia nihil eius, quod infeſtat, educit, ſæpe irritum, nõ raro pernicioſum exiſtit. Quia enim meatus, per quos humor ducendus eſt, conſtricti ſunt, vt narium, & oris ſiccitas oſtendit; vt alia quoque ſigna repleti capitis, quæ nulla ſuccedente euacuatione, non modo perſeuerant, ſed intenduntur; nihil prorſus de capite medicamentum vel attrahet, vel tollet. Neq. in ea pertinacia manendum eſt, in qua multi ſolent; quod & ſi foris os, fauces, & nares clauſæ ſunt, non tamẽ intus alias vias, vt puta venas, & arterias, per quas forte magis euacuatur humor, obſtructas eſſe. Probabile namq. eſt, capite exiſtente pleno, naturam ſe ſemper exonerare tentare. Proinde ſi viæ aliquæ patent, per has maxime ſuccum redundantem excernere. Itaque ſi venæ, & arteriæ hæ ſunt, neceſſe eſt, aut per veſicam, aut per aluum aliquid, aliter, quàm ante conſueuerit, exire; aut ſudorem copioſum (Sudoris enim ſpecies (vt inquit Hipp.) morbis omnibus communis eſt) apparere; atque hæc ſingula cum capitis alleuatione contingere. C
Alioqui ſi nihil leuari cerneretur, hanc, vel illam euacuationem à capite vtiliter naſci, non niſi ex arbitratu diceremus. Ergo ſi nullũ horum adſit, qua ratione quis aſſeret, vias intus capiti vacuando patefactas eſſe? Quis igitur vbi os, fauces, & nares peraridæ ſunt, nulla inſuper apparente vacuatione, quæ vtilis ſit, plenum caput purgante medicamento inanire aggredietur?

Statim aliquis obijciet, in hoc caſu purgationẽ plerumq. profeciſſe: in teſtimonium, experientiam afferet. Addet, finita purgatione ſiccitatem & oris, & narium ſummotam fuiſſe: tantum abeſt vt purgationi faciẽdæ impedimento ſit: id quod & nos aliàs (quemadmodum in noſtris dialogis de re medica aph. 4. ſectionis 19. interpretantes, exponebamus) non raro experti ſumus. Sed ille ſciat, os, fauces, & nares aliquando cum ſiti, aliquando ſine ſiti (vt ſupra monuimus) ſiccari; atque nunc capite per ſe, nunc per conſenſum, videlicet, ab alijs partibus affecto. Si abſque ſiti ſiccentur, caputque per ſe læſum, atque plenum ſit, medicamentum pericu- E
loſum eſſe: ſin cum ſiti, & hæc ab alijs partibus, aut à ventriculo potiſſimum creetur, huiuſmodi purgationem aliquando prodeſſe. Vt ergo quandoque, non autem ſemper, iuuat, ita plurimi decipiuntur, dum ſe primo die, aut altero, capitis pleni malum medicamento inſigniter purgante, protinus ſublaturos ſperant. Non quo non interdum id incidat, aut non decipiat, ſed quo ſæpius fallat:

A fallat,& tum maxime vbi os,fauces,& nares perſiccę, abſque vlla ſiti ſunt,nullaqué noua cernitur euacuatio,quæ caput exoneret.

Cæterum vbi dicta purgatio conueniat,aut non conueniat,val de dubium eſt. Expedit,antequam decernatur,tribus,quatuorvę diebus aut catapotijs,modo,quo ſcripſimus,adhibitis,aut clyſteribus aluum ducere. Si caput ſubinde aliquantum leuetur, ſed hac tamen via malum ex toto,remitti poſſe non videatur; ad medicamẽtum,quod valide purgét,deuenire, alioqui pernicioſum.

B Hactenus quomodo, & quando,medicamentum, quod abunde purget;capite pleno præbendum ſit.

De Venæ ſectione.

VErum vbi faucium,oris,& narium ſiccitas prædictis auxilijs non remouetur, ſed contumax eſt,& malum quotidie magis increſcit, ad venæ ſectionem, niſi aliud impediet, accedere oportet.

C Itaque ſi ſanguis narium,aut hæmorroidum,aut vteri ſuppreſſus,huius mali cauſa eſt,non cunctanter vel ex naribus, vel ex hæmorrhoidibus, vel ex vtero; & omnino ex ea parte, vbi ſanguis coercitus eſſe perſpicitur, quoad fieri poteſt, ſanguis mittendus eſt.Sin minus, & nulla pars alia interna ſanguinem ſuggerere videatur,ex humeraria,quia hæc affectum locum(vt omnes arbitrãtur)maxime reſpicit;trahi debet.

Neque hi audiendi ſunt, qui ſanguine narium, verbi gratia,re-

D tento,capiplenium ortum,ſecta primum hepatis vena,deinde humeraria, poſtremo ex naribus ſanguine vacuato, curandum eſſe præcipiunt. Ii enim interrogandi ſunt,ſi natura primum ex naribus ſanguinem moueret, vtrum læderet, an iuuaret? ſi reſpondeant,læderet:rogãdi ſunt,qui fieri poſſit, dum morbi cauſa ſummouetur,quod ægrotum offendat?ſin dicãt,iuuaret:quo iure medicum reprehendent, qui naturam recte agentem imitatus, id in principio fecerit? Neque item etſi pituita per os aut per nares

E emanans, morbum hunc plerumque tollit, dubitandum tamen eſt, ſanguinem ducere. Quia enim in capiplenio (vt ex ante dictis cauſis intelligere licet) numquam venæ capitis (vt anatome declarare poteſt)refertæ non ſunt: ſanguis miſſus primum venas quidem inanit,ſubinde vero cerebrum, quod antea nimis plenũ ſe eleuate vix poterat, vt ſe prompte contrahat, atque diſtendat; denique vt facile ſpiret,efficit: ſimulque communes viæ, tamquã

Z in har-

in harpagio, vbi ſuperius foramen reſeratur, patefiunt: & reli- A
quum, quod ſuperfluit, per illas, aut ſponte, aut leui artis negocio vacuatur.

Quomodo igitur quiſpiam ſe tum ab inſtante capiplenio defendat, tum à præſente vindicet, hæc dicta ſint.

De ventris expletione. Cap. IX.

Ventris expletio ſequitur. In hanc igitur ille non incidet qui ſicut (ante diximus) propter alimentorum imbecilli- B
tatem, quotidie impleri cogitur, ita quotidie vētrem abunde exoneret.

Sed hic tamen ita impleatur, vt cibus in ventre neq. natet, neque grauet. Id maxime cognoſcetur, ſi poſt eſum neq. grauior, neque decolor, neque triſtior euadat; neque hypocondria doleāt, neque tenſa ſint, neque nauſea ſubſit, neque quicquam ſurſum in guttur ex cibis, aut potibus aſcendat. Sed contra, coloratior, agilior, atque robuſtior reddatur: ſubinde per noctem bene dormiat: C
mane, quando ſurrexerit, hylari animo ſit, neque multa ſaliua per os, neque plurimus mucus per nares prodeat. Singulatim vero nimiū potaſſe ſignificabitur, ſi male ſpiret: multū vero comedíſſe, ſi valde ſitiat. Hic etiam vbi ſolidis cibis infarcitur, tum potu multo, non vini quidem, ſed aquæ, qui cum liquentur, vtatur. Vinum enim quia panem, carnes, piſces, & alia huiuſmodi (vt experientia nouimus) indurat, ſuſpectum eſt. Quum vero cuique nec ex multa fame, nimia ſatietas; nec ex nimia ſatietate, ſumma abſtinentia D
idonea ſit, vbi magna expletione afficitur, nec penitus abſtinere, ne cōſuetudo pręuertatur (ſubito namque mutata nocet) nec eſcā, quia difficilis coctu nunc eſt, ſumere, ſed iuſculum, aut liquidum quid aliud, quod cito coquatur, accipere debet.

Quando autem non potu, ſed eſca præſertim, expletus eſt: huic vomitus non modo inutilis, ſed noxius eſt. Quanto enim res grauior, ac denſior (vt eſca, ſi affatim ſumatur eſſe ſolet) ventriculum implet, tanto magis expulſioni per vomitum illa reluctatur, vtpo- E
te quæ pondere ſuo non ſurſum, ſed deorſum obnixe feratur; vt mirum non ſit, ſi frequenter citatus in hoc caſu vomitus, propter immenſum conatum, aut venam aliquam frangat, aut ventriculū nimis extendens, & extenuet, & debilitet. Melius enim eſt interim iuſculum aliquod, aut quid aliud huiuſmodi, quo deinde id, quod ſolidum eſt, liquetur, coquaturque, ſorbere; quàm his periculis

A culis, niſi forte vehemens ſit ad vomendũ propenſio, ſe exponere. Nam quod Polybus, ſiue Hipp. lib. de victu priuat. vomere bis in menſe conſulit; id in his præcipue intelligendum eſſe videtur, qui omni fere eſca excluſa, potioni dumtaxat ad luxum vſque indulgent: quales Græci, ad quos ille forte ſcribebat, erant. Id quod ſi neceſſitas vrget, neq. nos in magnis potoribus damnamus: modo ſciant, eum, qui ſæpe, aut quotidie vomit, neque bene valere, neque naturaliter ſeneſcere, niſi ei id natura inſitum ſit, poſſe.

B Deniq. vbi leuiora expletionis fuerint indicia: huic ſatis eſt, quũ bibax fuerit, à vino tantum abſtinere: quod ſubtractũ, plus quàm ſi cibo aliquid dematur, adiuuat. Quum vero edax, vinum quidẽ non prætermittere, ſed cibum ſolito minus capere. Si paulo grauiora, non aquam tantum bibere, ſed etiam diminuto cibo, carnẽ ſubtrahere oportet. Interdum panis quoque minus, quàm pro cõſuetudine, aſſumere, humidoque cibo eſſe contentum, & olere potiſſimum: ſecunda menſa, nihil eſſe: poma, fugaceſque fructus

C fugere: abſtinere tum cibis, qui nihil appetentes ad comedendum inuitant: tum potibus, qui minime ſitientes, ad bibendum alliciunt. Verum vbi confirmata ſunt omnia, tum ex toto, à cibo, à vino, ſe continere: conſuetudinis retinendæ cauſa liquidum aliquid, modice tamen nutriens haurire. Deiectio quoque medicamento petenda eſt: præſertim vbi venter ſuppreſſus, parum reddit: ex eoque inflationes, caligines, capitis dolores, aliæque ſuperioris partis mala increſcunt: maximeque cauere, ne nuper aſſumpto ci

D bo, vel clyſter, vel medicamentum purgans, admittatur. Quod namque crudum in ventriculo eſt, non cedit. Quoad enim neque permutatum, neque liquatum eſt, in eodem obnixe perſiſtit. Id quod ſi exhibito pharmaco, ducere quis tentet, aut per ianitorem in inteſtina, magno cũ labore, aut ſummo cum detrimento deferri coget; aut nihil omnino mouebit; ſed in eius vicem id, quod vtile eſt, & cum quo facile coqueretur, educet: illudq. ſucci iam indigum, difficilius concoctu reddit: quemadmodum hac noſtra

E ętate cuidam, qui armoracijs pridie ſe impleuerat, poſtero die quũ flatibus immenſis ventriculus totus diſtenderetur, grauiſſimeque doleret, diacatholico ad drach. 10. cũ hieræ drach. 2. exhibito, quãplurima quidem aqua euacuata eſt, ſed ventriculus vehemẽtioribus doloribus diſtrahebatur. Non clyſteres, non fomenta, nõ epithemata, non theriacæ auxiliabantur. Ferè ad vltima deuentum erat, vbi nos accerſiti cæteris amotis, ſolis dumtaxat iuſculis, à qui-

bus armoracię adhuc & crudæ,& graues in ventriculo, tamquam A
in olla,ſurſum eleuarentur,coquerentur,ac liquarentur, hominē
à doloribus,& reliquis malis vindicauimus. Sic materiam, quæ
ſuapte natura coqui ſolet, quando cruda eſt, aut medicamento,
aut venæ ſectione vacuare,magnopere lædit. Quod namque per
ſe coquitur,à coctione prohibetur: quod ſponte quieſcit, atque
firmatur(tale enim vt Hipp.epid. ſexto monet, id quod coquitur
eſſe debet)irritatur: quod ex ſe ipſo ſecurū eſt, periculoſum effici-
tur:quod futurę elixationi ſua mixtura conducebat,ſurripitur.De- B
mum prædicta materia,ſucci,cum quo ante permixta, coqui con
ſueuit, expers, aut contumacius, atque diuturnius affligit, aut in
ſummum vitæ diſcrimen hominem trahit. Sed hæc aliàs. Priua-
tim vero ſi nidoroſi ructus, ſi fœtidi peditus,ſi capitis dolores ad-
ſunt,nec vino,nec cibo vtendum, nec inediæ inhærendum eſt.
Vinum enim putria in ventriculo figit, indurat, eorum calorem
auget,offenſum caput lædit. Cibus,quia ſolida ſubſtantia eſt,vt in
hoc caſu,non facile liquatur,ſed à putri calido areſit, ita ventricu- C
lum grauat,lancinat, euertit. Inedia, quoniam ea,quæ putrefacta
ſunt,alere non poſſunt,virium defectionem inducit. Quamobrē
Hipp.acut. 4. Vix citra noxam (inquit)ieiunium is tolerat, quem
capitis dolor,& crapula infeſtat. Sed,vt idem ſuadet,iuſculum ali-
quod calidum,quod quàmiucundiſſimum videatur, ſorbendum
eſt:iuxta illud Heraclidis Tarentini,vbi cruditas ægrum, aut bilis,
male habet,expedit per modicas potiones miſcere nouam mate-
riam corruptæ. Hac enim mixtura putredo, fœtorque,ſicut aqua D
rei male olidæ ſuperaffuſa, contemperatur. Deinde à natura tam-
quam roborata, non violenter, ſed ſuauiter per aluum expellitur;
aliud curationis genus vix vmquam ſine graui moleſtia iuuiſſe
conſueuit.

Patet quando nimis plenus eſt aliquis,quid agendum ſit: quo-
modo autem aluum mollire,& quibus medicamentis ducere con
ueniat,poſtea ſcribetur. E

De languoris medela & cautione. Cap. X.

MAxime omnium cōſiderare oportet vtrum animi aliqua
perturbatio languorem inducat. Id ex ægri tum verbis, &
nouis,ac inſolitis geſtibus,tum pulſibus, ſi manum admo
ueas,& attente contempleris,facile deprehendes. Videtur enim
ille plerumque triſtari, pallere,ſuſpitare, fere nihil dormire,nihil
appetere,

A appetere, nihil curare, incompoſite agitari, & veluti cum ratione quadam inſanire:pulſusque primum naturaliter ordinati,pro ætate,pro ſexu,pro corporis natura,pro morbi ſpecie, ſi quo euidenti malo interim afficitur. Verum vbi de re, quæ animũ excruciat, ſermo fit(fieri autem debet non aperte,ſed ſimulate,ne id ęger aut cognitum aut reſcitum fuiſſe ſuſpicetur, id quod etiam pulſus variat,& rei dubiæ iudicium interturbat)temere ſubeunt,quieſcũtque;ſine ordine, ſine æqualitate, ſine rithmo aliquo mouentur:
B vbi vero ceſſat,aut ſtatim,aut paulatim in id, quod antea erat,reſtituuntur. Huius non ſemel, ſed ſæpe,ac ſæpius periculum facere expedit. Alioqui bis, aut ter dumtaxat, tentaſſe, quoniam mille res arterias turbāt,vt plurimum fallit. Poſtquam igitur iuſta quæpiam huius rei ſuſpicio incidit,diligens medicus ante omnia experiri debet,quantum illa ſe ſe in animum impreſſerit. Maxime enim intereſt, parum, an multum contigerit. Id vero etſi adeo difficile eſt,vt nulla prorſus arte hactenus percipi potuerit,conie-
C ctura tamen quadam augurari aggrediendum eſt. Tum igitur alijs accurate perſpectis & manu pulſibus interim admota, & omni dubitantis ægri ſollicitudine ſublata, rem illi non amplius celare,ſed patefacere,vt quo modo affligatur,intelligat,opportunum eſt. Dum hæc fiunt, facies,oculi, ſed pulſus potiſſimum,animaduertendi ſunt. Hi enim modo,quo diximus,ſtatim agitabuntur.

Si ergo parum impreſſerit: dum ægro res ipſa exponitur, facies quidem illico terrebitur,oculi mutabuntur, pulſus peruertentur:
D ſed ferè ſubito repertum eſſe principium,à quo læſus eſt, ille fatebitur,ſubinde exhilarabitur,medico confidet,ſe ſanatum iri ſperabit,ſenſim quieſcet,bene dormiet,arteriæ,& oculi non cunctāter in priſtinum reuertentur, deniq. omnia in melius proficient, malumque, vt repente remittetur, ita breui penitus ſubmouebitur.Neque huic alio opus eſt auxilio,quàm cauſę latentis, quę clā vexabat,inuentione. Id quod nos non ſemel,ſed ſæpe, ac ſæpius experti ſumus. Neque de hoc plura dixerim, non quo hæc ie ve
E ra non fecerim,ſed quo fidem ex horum narratione,quum illa nō ſint, ſed iam præterierint, forte non conſequerer. Teſtes ſint qui viderunt, ſiqui adhuc ſuperſunt. Sed ſi malum vehementer affecerit,re explicata mutationes quidē prædictæ contingent: ſed non ſimiliter cedunt;quinimmo diutius durant,æger in deterius labitur.Ita eſſe, vt narratur, ſæpe aut negat,aut tergiuerſatur, aut aliud quærendum iubet. Quod ſi forte ſe alacrem reddat,originemque

noxæ

noxæ inuentã eſſe concedat,illa tamẽ longiori tẽpore perſeuerãt: A
tantumq. abeſt, vt malum minuatur,vt quotidie magis increſcat.

In hoc igitur ſtatu,primum eſt,mali cauſam idoneis contrarijs, quoad fieri poteſt, ſubmouere. Alterum quia vigilijs magna ex parte conſumuntur,omni ſtudio ſomnum conciliare. Tertium ſi horum neutrum ſuccedit,alio ægri mentem, vt pernicioſæ imagi nationis obliuiſcatur,auertere.

Contraria itaque malo ſunt, quæcunque illi ſi ſe ſe opponunt: ſi namq. dignitatis alicuius priuatio, malum genuerit, eius redin- B tegratio,medela eſt.Si vxoris ducendæ,aut cuiuſuis alterius deſyderium,eiuſdem rei fruitio:atque ita de ſingulis.Si nullum horum fieri poteſt, ſpeciem horundem aliquam inuenire ſtudendum, ad eoq. diligenter effingere, vt æger id eſſe credat, quod exoptat.

Denique illud omne,in eius,quoad licet,redigere poteſtatem, quod quum abfuerit,languorem aut creauit,aut creaſſe putatur.

Somnus,ſi mẽs per iſta quieuit,ſponte ſua ſubſequitur, verum ſi minus ſuccedit, quædam adhibenda ſunt, quę naturam diu vi- C gilem ad illum inuitent. Quippe cui perinde interdum accidit, atque quum edendi tempus adeſt, fameſque vrget, & homo non comedit:ſubinde namque appetere deſinit,& niſi quibuſdam irri tamentis excitetur, fames neutiquam recuperatur. Ita ergo vbi quis conſuetum ſomni tempus prætcrijt,ſæpenumero poſt vel in ſomnis fit, vel tumultuoſe dormit. Sed ſi quemadmodum poſt diuturnam famem ſubita ſatietas magnopere lædit,ita poſt longã vigiliam ſomnus multus: conciliare ſomnum expedit, non his, D quę valenter(hęc enim naturam ſtupefaciunt, attonitum hominẽ reddunt,inſitum calidum extinguunt.)Sed his quæ moderate vigiliã excutiunt,ſubinde ſomnũ inducũt:Id genus eſt,à cibo,maxi me vero à cæna, clauſis oculis in obſcuro loco manere, Silarus quibus placet iuxta cadẽs;ſyrupum aut violaceum, aut nymphææ ad vnciã 1.$\frac{1}{2}$. aut de papauere,vſq. ad vnciã 1.aut diacodion(vt dicunt) ſine ſpeciebus, aut lac ſeminis pauaueris albi,aut id ipſum quidem ſed in ſpeciem vocatę recoctæ confectum, & ſaccharo ſu E peraſperſũ, ad vnciã $\frac{1}{2}$. plus minuſve,aſſumere:fit id papaueris ſe minibus in mortario contuſis,ſimul ac aqua ſimplici commixtis, ſubinde per lineum panniculum colatis, poſt eo,quod expreſſum exiuit,in olla apud ignem poſito.ſurſum enim quiddam,ceu nun cupata recocta,emergit:ſi ſitiat,lactucæ decoctum, vel florũ violarum,vel vtrumque ad vncias 2. cum ſyrupis miſcere,quinetiam

amyg-

A amygdalas aliquot, aniſum, anethum, lactucas, piper, cepe item, ac porruni, quibus vſui eſt, comedere; vinum nouum bibere.

De his, quæ male occupatum hominis animum aliò diuertunt. Cap. XI.

VErum vbi his peractis, nihil æger profecerit, tũ ad ea, quæ aliò ægrotantis animum diuertunt, accedendum eſt. Ho-B rum tria genera ſunt. Hæc enim ſpiritus ipſos confundũt, hebetant, turbant, atque ita mentem immutant, vt omnem noxię imaginationis memoriam interdum eximant. Illa vel quia delectant, vel quia ſalutis ſpem magnam pollicentur, idem faciunt: alia quoniam infenſam quidem corpori vim, animę vero metum inſignem afferunt, fixam in ea cogitationem, ſumma præſentis mali formidine ſummouent: atque dum aliud in mentem, quàm id, quod obnixè inhærebat, imprimunt, prioris affectionis obli-C uionem inducunt.

Primi generis, vinum meracum eſt, mithridatium, theriaca, tripheræ magnæ, pillulæ de cynogloſſa, & quæcunque cum opio mixturæ: quippe hæc omnia tametſi ſomnum quoque accerſere ſolent, nunc tamen alia ratione (vt proxime diximus) quàm ſomni gratia expetuntur. ¶Secundi generis, grati amici, blandi ſermones: pernices, argutique canes, generoſiſſimi equi, muſica, nauigatio, expiſcatio, & omnino quæcunque dum integra mens erat, ho-D mini potiſſimum arridebant: deinde non pauca quæ ſalutem mirabiliter & quaſi diuinitus afferre creduntur. Huius claſſis incantamenta ſunt, apud eos, qui ſummam his fidem habent: alioquin vt per ſe vana ſunt, ita nihil omnino iuuant. Sunt & ea, quę magnę ſunt æſtimationis, ac ferè non niſi in principum theſauris inueniuntur; vt vocata confectio alchermes, de hiacyntho, diamoſcũ dulce, diambra, terra lemnia, terra armenia, lapis bezoar, vocatum vnicornu, coccus Inda nuper reperta, & huiuſmodi.

E Tertij generis, helleborus albus, antimonium præparatum, catapotia ex præcipitato & ſimilia.

De vino meraco, de mithridatio, & theriaca aduerſus triſtitiam. Cap. XII.

AD primum genus reuertar, quippe meracum vinum quia liberalius epotum, ſæpe vel ſomnum, vel hylaritatem, vel capitis

capitis dolorem mouet. Si ſomnum pariat, quia ſubinde ſpiritus A
quieſcunt, augentur, ac roborantur, ſollicitudo mentis, quæ præ-
erat, aut frangitur, aut deſtruitur: ſi hylaritatem, eadem ratio eſt: ſi
capitis dolorem, dum ab hoc anima occupatur, alterius obliuiſci-
tur. Mithydatium vero, Theriaca, & alia huiuſmodi, quæ vapo
re graui, & plerumque ingrato conſtant, quia caput replent, quia
ſenſus obtundunt, quia perinde ac præpotentia vina (vt non raro
animaduertimus) hominem inebriant, primo grauiſſimam curã
ſuſpendunt, deinde crebro repetita, deſidiam ingenerantia, in a- B
liud commutant. Ex his vero, quæ opio conſtant, ſingula ab vno
ad duos ſcriptulos præberi debent, potiſſimum autem paulo an-
te, aut paulo poſt cænam, quia nox ſequens eorum facultates fo-
uet, ac auget. Neque ijs credendum, qui id tempus importunum
eſſe volunt. Nam Andromachus & ante, & poſt cænam theriacã
dabat, vt his verſibus aperte ſignificauit, Galeno primo de anti-
dotis referente:

Πίνοις δ' ὅτε κοῖτον ἄγῃ κνέφας ἄλλ' ὅτε δ' ἠοῦς C
Ἄλλ' ὅτε καὶ διπλὴν ἐς ποτὸν ὀρνυμένοις.

Quidam hunc in modum interpretati ſunt,

Sumito quando capis ſomnum, vel luce reuerſa,
Vno vel pariter pocula bina die. Hæc de primo genere

Quod ad ſecundum pertinet, ſcire licet iucunda omnia ægrũ
ab anxia cogitatione in alacritatem retrahere: reliqua vero non
aliter iuuare, quàm quòd fide ſumma in illis poſita; quoniam hæc
magnæ auctoritatis, illa magni pretij, & non paruo acquiſita la- D
bore ſunt, æger vt ab his ſeruetur, facile ſperat: cui rei quum ani-
mum intendit, præexiſtens mentis affectio, è memoria labitur, &
futuræ ſalutis ſimulachrum in illius vicem ſuccedit. Quod nam-
que, exempli cauſa, confectio alchermes à proprietate (vt multi
opinantur) occulta id præſtet, mirum eſt: quandoquidem ambra,
noſchum, cinnamomum, xyloaloe, quia calefaciunt ſimul & ſic-
cant, vigiliã à qua in animi perturbationibus maxime timemus, E
excitant: aurum ab innato hominis calore, quoniam vt ſyncerum
ſumitur, ita ſimul integrũ deijcitur, coqui, aut ſuperari nullo mo-
do poteſt. Sericum ex cocco baphica, ſi cor exhylaret, neceſſe eſt
vt hominem ad propriam naturam deducat. Sed quomodo id ef-
ficiet? Idem de margarita non perforata dicendum eſt. Lapis vero
cyaneus, ſi exiguus (vt plerique volunt) imponatur, quid prodeſt?
ſi multus (vt alij cenſent) non aliter, quàm vacuationis opera con-

feret.

A ferret. Id quod in hoc ſtatu quia ſoli animo incumbitur, non modo vanum, ſed etiam valde noxium eſt. Quocirca ſi prodeſt, non alia ratione prodeſt, quàm quia magni pretij eſſe, & ex nobilibus rebus conſtare putatur. Quæ omnia vbi animus ægrotat, plurimū valent, vbi corpus ſolum, fruſtra præbentur. Quippe ægri, quoniã læſa mente ſunt, aurum, ambram, moſchum, & alia mirabilia in hanc mixturam ingredi, neque tantum à medicis, ſed à ſeplaſiarijs, & ab idiotis omnibus mirifice laudari audientes, vt magis fi-
B dunt, ita ſententiam deinde mutant, atque ſanantur. Hactenus ea, quæ ſecundi generis ſunt, expoſuimus, ad tertium, & poſtremum accedamus.

De Helleboro albo. Cap. XIII.

HElleborus albus, vbi præſidia quæ recenſuimus non contulerunt, quamquam ſine metu præberi nequit, præparato tamen ægrotantis (vt proxime dicemus) corpore, viri-
C buſque eius nondum admodum lapſis, ad languorem hunc, qui ab imaginatione totus pendet, & prohibēdum, & ſubmouendū, non inutiliter datur. Hic enim paſſim ab his creditur, qui atrã bilē ab humore melancholico diſtinguunt, vtrumq. purgare: & melancholicos ac inſanos, tū eos, qui ab his humoribus, tū illos, qui nō à ſucco aliquo, ſed ab animi dumtaxat affectione gignuntur, nūc prædictos humores, nunc pituitam ſolam, quod magis mirū eſt, (vt ſæpius obſeruauimus) ducendo curare.

D Sed ſtatim ambiget aliquis, quomodo melancholia, quæ à mente tantum læſa naſcitur, auferetur?

Quia enim neque melancholicus humor, neque bilis atra huius mali cauſa eſt, neutrum in hoc caſu vacuare conducet. Si namque à ſola imaginatione proficiſcitur, quid humor euacuatus proderit? Reſpondebit alter, ne ab illo foueatur, vel augeatur, prohibere. At ita ſit, quia tamen effectricem cauſam, quæ nuda fermè cogitatio eſt, non tollit: perſpicuum eſt hanc melancholiæ ſpeciē
E dictorum humorum euacuatione minime curari. Sed contra, quū antiquiſſimorum teſtimonio ſatis conſtet, id ipſum vſu venire, quum etiam noſtra ætate ex ſola mentis noxa creatam epoto helleboro albo ceſſare paſſim experiamur: medicum qui ſenſui inniti debet, non decet, pluris rationem, quàm experientiam, vbi ſibi inuicem contrariantur, facere. Perinde namque huic accideret, ac ſi pro incertis, certa relinqueret: pro certis autem incerta ſequere-

tur. Ergo fatendum eſt,ſimplicem melancholiam,(ſimplicem voco quam nullus humor efficit) quæ nuda prorſus imaginatio eſt, & ſola(vt aliqui dicunt)abſque materia,intemperies:ab helleboro quidem albo deleri.ſed non (vt quidam arbitrantur) quia bilem atrã, aut melancholicum humorem, aut plurimam pituitam eua cuet; quamquam hos quoque ſuccos ducit; ſed quia (vt 6. lib.de morbo gallico cap. 23. præcipitati vim examinãtes declarauimus) vbi ore acceptus eſt,his,qui vel ex metu, vel ex aliquo, quod ſibi in animo finxerint, in languorem inciderunt, maximos affert labores. Coguntur enim ſumma cum anxietate tum vomere,tum egerere.Propter eius violentiam ſentiunt ſe ipſos ſtrangulari,oculos è ſua ſede prorumpere,ventriculum atque inteſtina inflari, diſcindi,lacerari;denique mortem ipſam in propinquo eſſe. Tanto demum orto vitæ diſcrimine, aliud cogitare incipiunt, veterem opinionem,vnde languoris principium fuit,mutant:ſubinde nouo metu priorem excutiunt,& vt ab hoc priore ſe liberos reddũt, ita quoque à languore qui ab eodem pendebat,vindicantur.Non igitur helleborus quod hunc vel illum humorem purget, ſimplici (vt interpretati ſumus) melancholiæ medetur, ſed quod intolerabili, quam ægris infert,moleſtia, eos cauſarum,quæ melancholiam efficiunt,cogit obliuiſci,& aliud quàm antea erat,imaginari. A B C

Præparatur ad helleborum languentis ægroti corpus:ſiquidem facile vomat;vbi aliquanto antequam helleborum ſumat,alimento aliquo humido ſe reficiat. Sic enim imbecillitati conſulitur, & ſtrangulatio,quæ contingere ſolet,nouo præexiſtente nutrimẽto, & ſe ſe illi miſcente, mox idipſum contemperante,vitatur. D

Ideo Dioſc.lib.4.Dant aliqui veratrum album(inquit) in ſorbitione pultis,aut alicę:quidam quum modicum antea dederunt alimentum,veratrum album ſtatim ſuperinferunt:præſertimque his, in quibus ſuſpecta,timenda ve erit ſtrangulatio,aut corporis imbecillitas impediet. Tuto enim ſic ea purgatio peragitur, propterea quod importuna corpori non aduenit. Hæc Dioſc. Cæterum ſi æger difficulter vomet,non modico quidẽ alimento,& hoc eodẽ humido,ſed pluri,quam cõſueuerit ſe implere debet, vt quod ante ingeſtum eſt,natura expellere,quoniã grauat,tentante, & quoniam humidum,magis prompte tum exagitante,tum eijciente,ſu peraſſumpti hellebori labores minus moleſte ferat. Sic Hipp. in epiſtola de helleboro ad Democritum, & aphoriſ. 4. Ad helleboros (inquit) qui non facile vomunt, eorum corpora ante potionem E

A tionem pluri alimento,atque quiete humectanda ſunt.

Mox aliquis objiciet,ſi timore ſtrangulationis,& aliorum laborum intolerabilium,helloborus albus animi affectionem,languoris effectricem ſummouet;qua de cauſa corpus pręparare(id enim omnia mitiora reddit) oportet? Huic reſpondendum,à nobis ita præcipi,non quo prędicta mala ſequi non debeant, ſed quo non adeo augeantur,præſertim in homine debili,ne immitem,inopinatamque mortem inferant.

B

De Antimonio & præcipitato. Cap. XIII.

ANtimonij,quod ſtimmi vocant, & præcipitati, tũ in auxilij genere aduerſus propoſitam languoris cauſam, tum in corporis ęgri præparandi modo, eadem fermè ratio eſt. Sed antimonium humano corpori extrinſecus adhiberi,vetus eſt; intrinſecus aſſumi,atque ore accipi,nouum eſt. Præcipitatum verò,vt viri quidam rei chymicæ ſtudioſi hac noſtra ætate primùm C inuenerunt,ità tum noſtro corpori foris adigi, tum intro aſſumi, nuper cœptum eſt. Vtrumque deiectionem ſimul ac vomitũ copioſiſſime,laborioſiſſimeque, ſi in ventriculum ingeratur, mouet, ac ſępe cum tanto vitæ diſcrimine, vt cominus imminentis mortis ſpeciem repræſentet, hominem interdum curat,interdum necat. Si necat, excuſant, quòd perperam concinnatum ſit; perinde ac ſi recte præparatum eſſet,nullum ægrum non ſanaret, quum tamen pleroſque homines hoc,vel illo accepto,& ſanari,& mori, D paſſim videamus.Hactenus quomodo conſulendũm ſit languori, qui ab animi affectione dependet.

De altero languoris genere. Cap. XIV.

IN altero languoris genere,non modo aluum ita ducere, vomitumve ciere non conuenit; ſed ne vigilia quidem, fameve, aut nimia ſiti ægrotum cruciare.

Quod ad cauſas attinet,nempe ad aerem,ad ventos,ad alimen-E torum infirmitatem,non ſolum ea obſeruare oportet, quæ generatim de tribus his affectionibus tum euitandis,tum curandis ante monuimus:ſed etiam priuatim,ſæpius quieſcere, quàm moueri;magis tacere, quàm loqui: quo minus & aeris, & flatus attrahatur, minorque diſſolutio ſubſequatur, odoramentis vti nec grauibus,nec acutis,(illa caput replent,confundunt,onerant:hæc vires ſimul atque ſpiritus diſſipant)ſed medіocribus,& iucundis, &

imbecillis:quippe debilibus debilia congruunt, qualia ex ſaccha- A ro citri fruſtulis, cariophyllis tribus aut quinque cum aqua roſacea conficiuntur.

A negocijs,atque rebus omnibus,quæ ſollicitare animum poſſunt,abſtinere:moderato ſomno indulgere;cruditatem vitare; calorem,& frigus auertere;ne,ſi quid cura leuarit, exaſperent:Solem orientem tranquillo cælo in cubiculum admittere. Quemadmodum enim ſol ipſo vere quoad Cancrum aſcendit, plantas, atque arbores reficit; ita interdiu, dum oritur, vires inſtaurat, animam B exhilarat, ſpiritus auget. Cæterum ſi æger vires habet, loco lucido:ſi non habet,obſcuro plerumque continendus eſt.

Moderatio quoque in cibo adhibenda eſt:nam neque implendus eſt, ne cruditate opprimatur:neque ieiunio vtique vexandus, ne imbecillitatem fami tradat. Et ſi cibi minus,quàm debet, aſſumit,adijcere quidem expedit,ſed paulatim,ne ſi corpus inſuetum ſubita multitudine onerauerit,concoctionem impediat.

C

Propter virium debilitatem quoties nutrire conueniat. Cap. XV.

SEd vbi propter imbecillitatem, frequenter nutrire cogimur; quoties id faciendum ſit in ancipiti eſt. Aliqui enim non niſi bis,terue ad ſummũ,intra vigintiquatuor horas, ægrum alere volũt: quod Hipp dixerit aphor.1.Quibus ſemel,aut bis,plura vel pauciora,& particulatim.Atq. acut.2.Sunt nonnulli, quibus nihil D moleſtiæ affert,ter in die cibo repleri, præſertim ſi ita educari conſueuerunt. Et lib. de internis affectionibus: De cætero bis,aut ter in die cibi dentur.

Sed ij non vident quòd antiquitus (vt multi nunc quoque ſolent)etiam quater cibum accipiebant, quemadmodũ Athenæus 1.lib.docet, vt etiam Auic.13. 3.cap.35. & Celſus lib.3.cap.18. innuit: & in Gallijs quotidie fieri audimus.Nec inſpiciunt pueros,qui nõ modo quater, ſed etiam quinquies, ſexieſve abſque vlla noxa E comedunt.

Itaque quum ſæpius porrigere conducit, non particulatim ex aliquorum conſuetudine præſcriptum ab antiquis edendi numerum mordicus obſeruare oportet:ſed vires imbecillas, crebræ adiectionis neceſſitatem,ad recipiendum in ægrotante promptitudinem, & ab eo, quod deinde recipitur, profectum. Quamdiu

A enim hæc aderunt, non modo ter, aut quater, ſed quinquies, ſeprieſve intra 24 horas nutrire licebit. Quis enim ſi æger ob alimẽti defectum infirmatur, ſi ad illud excipiẽdum paratus eſt, ſi ab eo, quod aſſumit, perpetuo iuuatur, nõ toties dabit, quoties hæc ipſa ſimul concurrant? Ergo ſi vires ferunt, conſuetum in cibando numerum ſequi conuenit; ſin minus tantum expedit, à conſuetudine recedere, quantũ ipſa neceſſitas vrget. Proinde debilibus ægris quamdiu procliues in alimoniam ſunt, atque illam capientes in
B melius proficiunt, tamdiu non ſolum ter, aut quater, ſed crebrius, vel ſepties intra diem, ac noctem, offerre. Hactenus quoties nutrire ob alimenti defectum imbecillos liceat.

Cibi vero eſſe debent, qui facile concoquuntur, qui celeriter alunt, inter quos oua recentia, tremula, ſorbiliave, & gallinaceorũ teſticulos aliqui numerant. Nam hæc etſi craſſi ſucci, boni tamen & multi eſſe, Galenus innuit; vinum vero, quod leue, quod iucundum, ſed præcipue auſterum.

C
Sorbitiones ex conſuetis eſſe conficiendas. Cap. XVI.

SI cibos conficere nequeunt, ſorbitiones, ac potiones ex conſuetis cibis cum liquore aliquo paratæ idoneæ ſunt.

Illæ quidem eorum robore (vt lib. de veter. medicina monet Hippoc.) imminuto; hæ vero ex eorundem ſuccis aut iuſculis.

Porro quum vires inſtaurare volumus, quoniam hic ab internis partibus indicatio exhibendi alimenti potiſſimum ſumitur,
D hac autem (vt metho. 4. Gal. innuit) põſita, familiaria ipſa capienda ſunt, quippe quę ab his apprime trahuntur, quemadmodum contraria reſpuuntur, atq. reijciuntur: non inſueta, ſed quæ maxime familiaria ſunt, eligere oportet. Hæc enim natura tamquam iucundiora magis amplectitur, promptius trahit, ſibique adijcit. Si nãque inſueta porrigas, duo contingunt, alterum quidem, quod valde abſurdum eſt, quia ſi mali quippiam præter ſpem euenerit, inſuetæ rei vſus ne illi occaſionem dederit, ſuſpicionem facit, alterũ
E vero non minus abſurdum ſimul, ac noxium, quia natura quum ab inſuetis abhorreat, conſuetis delectetur, vtpote quæ his nequã quam aſſueuiſſet, niſi ſibi naturalia fuiſſent, quamdiu non conſueta offeres, tamdiu nõ modo virtutem minus reficies, ſed deceptus ad ſummam defectionem deduces. Ideo Hipp. ſiue quiuis alius antiquiſſimus auctor, libro περὶ τροφῆς quibuſcunque cibis, aut potibus homines (inquit) ſani in victu vtuntur, ex his oportet præſentibus

tibus vti ad ægrotos. paulo inferius: Neque vero de præſentibus A
deſperare oportet, tamquam nihil poſſint, & abſentes quærere, qui nullam vtilitatem ægro afferant. Comperies autem, ſi recte cõſideraueris, extra hos paucos, quibus ad ægros vtaris. deinde aliquanto poſterius: Quicunq. ſane panem comedere ſoliti fuerũt, his dandus eſt & in morbis. & rurſum: Quæcunque ſanis commoda ſunt, ea etiam ægrotis exhibita, fortiora ſunt: & oportet detracto ipſorum vigore, ea dare: alioqui non feret ipſa corpus, ſed magis lædunt, quàm proſunt. Hactenus Hipp. B

Itaque tum ſorbitiones, tum iuſcula non ex rebus, quæ inſuetę ſunt, ſed ex conſuetis potiſſimum offeremus. Non enim ſiquis neq. hordeum, neque eius ptiſanam vnquam comedere conſueuerit, huic ſorbitio ex hordeo, nutrimenti loco, mane & veſpere, aut etiam frequentius, ſi alia præſto ſint, ſtatim præberi debet. Quum enim æger morbo afflictus ſit, alimentoque egeat, ſi tum id, quod numquam antea expertus eſt, dederis; hunc qua fide ſperabis, ab illo, quod nouum & inſolitum eſt, nutritum iri? Cum C hoc tamen ſcire licet, ſi cõſueta non adſint, nihil prohibere, quominus ad inſueta tranſeamus, modo hæc, vel non admodum ingrata ſint, vel ab his æger non omnino abhorreat: alioqui ſi valde diſpliceant, aut etiam reſpuantur, medicamenti quidem vicem ſubire poſſe, bene autem nutrire non poſſe.

De ſorbitione ex carnibus, quod piſtatum vocant. Cap. XVII. D

VBi ergo neque alieni caloris, neque alicuius putredinis augmentum timuerimus, ex carnibus iuſcula, ſucci, ſorbitiones, his, qui carnibus veſci conſueuerunt, ſi mandere nequeunt, tuto dari poſſunt: hac habita diſtinctione, vt debilioribus, iuſcula; minus debilibus, ſorbitiones; inter hos medijs, ſucci porrigantur.

Sed vbi putredinem vereri quis cœperit, huiuſmodi alimenta, E præcipue ſorbitiones, quas aliqui contuſas carnes, illi piſtatas, hi colliſas vocant, ne plus obſint, quàm proſint, iure dubitauerit, vt pote quæ nec apud antiquos in vſu fuiſſe, nec putredini reſiſtere exiſtimentur. Nam licet alimenta omnia, dum concoquuntur in ventriculo corrumpantur; & (vt veteres aliqui crediderunt) fortaſſe putrefiant, horum tamen corruptio ab ea, quæ multis alijs con-

A tingit,longe differre videtur. Accipiamus primo ptiſanam hordei,panem aqua maceratum,deinde ſorbitionem ex carne,quam contuſum appellant. De hac enim omnis eſt inter medicos quæſtio.Illa ergo,quia dum corrumpuntur non in fœtidum nidorem, ſed in acidum,quod putredinem male olidam, qualem veremur, retundit, vertuntur: tantum abeſt,vt huiuſmodi putredinem excitent,aut gignant,vt acore ſuo tamquam acetum magis frangãt, atque contemperent. Contra vero contuſum,quia dum corrum-
B pitur,male olet, & amareſcit, ſi tali putredini occurret, vt eam foueat ſimul,ac augeat,probabile eſt.

Atqui veteribus inuſitatum fuiſſe contuſum, non inepte concedemus:niſi velimus Auicennã id ipſum 3.lib. non modo ſemel, ſed bis etiam ſignificaſſe:nempe tũ Fen.13. vbi in virtutis,propter vomitum,lapſu;ſorbitiones ex pullis primum elixis,deinde contritis addito pane, & quibuſdam alijs propinandas eſſe ſuadet: Tum fen.16. his verbis: Quando non digerunt carnem, fiant eis
C contritiones ex carne pullorum. & Hipp.ſiue Polybum lib. de internis affectionibus, de icteri curatione; ξύων τὴν σάρκα ἐν οἴνῳ λευκῷ διδόναι πίνειν: quod eſt;terens carnem, in vino albo bibẽdam dato. Hæc,quoad veterum auctoritatem. Quod vero ad putredinem, in quam facile tranſeunt,attinet:reſpondendum aliud eſſe, conſuetis, aliud inſuetis contuſas carnes dare: quemadmodum qui veneno veſci ſolent,hoc eodem nutriuntur,ac recreantur: qui nõ ſolent,ij ſtatim aut læduntur,aut interimuntur;vt etiam ventricu-
D lus,qui(acutorum 2. Hipp.auctore) cibos vel malos, ac potiones quoque,ſi ipſis vti conſueuerit,facile ſubſtinet;contra grauiter ferre ſolet,tum cibos tum potiones, quamvis ſuapte natura vitio careant,ſi præter conſuetudinem ingerantur.Qui enim cõſueti ſunt carnes eſſe, ſi ab illarum putredine adeo prompte offenderentur, his minime aſſueſcerent,vtpote quas natura ipſa reſpueret,neque diu ferre poſſet. Quum igitur his iamdiu aſſueuerint, indiciũ eſt, nec eſſe naturæ contrarias, nec alimentum putre, quale homini
E vitioſum eſt,ſed familiare,& amicum accerſere.

Vtcumque tamen ſit,de contuſo id breuiter ſentiendũ.Quemadmodum ptiſana,his, qui ea vti ſolent,& non abhorrent;ita con ruſum ſeu ex carnibus ſorbitio, carniuoris, propter conſuetudinem recte datur; & vt illa, vbi ſiccum eſt os, ægrotantibus interdicitur, ita id, vbi valde ſitiunt, oſque inſigniter ſiccum, aut etiam amarum ſortiuntur,inhibendum eſt.Verum ſi nihil horum

adſit,

adſit,ſicuti per ſanitatem neque carnis, neque huius ſorbitionis A
putrefactionem formidamus, quia nos conſuetudo veluti continua cum veneno familiaritas ſecuros reddit, ita in ægritudine ab eius vſu,timore, quod putredinem vel foueat, vel augeat, non abhorrere debemus. Cum hoc tamen,vt qui carne veſci frequentius conſueuit, ille frequentius vtatur: qui autem rarius, hic non crebrius:ſed contra,quo minus robuſta Romæ nutrimenta ſunt, eo magis in hac vrbe,quum ægri mandere nequeunt, reliquis ſorbitionibus anteponere.Quibus adde,quod vt animalia quorum carnibus hic veſcimur,& ex quibus contuſa potiſſimum cóficimus, B
alimentis huius loci & aquoſis nutriuntur, ita carnes fluidiores, leuiores,& forte frigidiores,quàm alia in ſiccis locis degentia,ſortiuntur:adeo ex illis contuſa non modo non valde putreſcere, ſed ne admodum quidem nos calefacere.

Si quis obijciat:Id argumentum, à ſanitate ad ægritudinem infirmum eſſe,quoniam in ægritudine putredo corpus exercet, in ſanitate non exercet. Vbi ergo non adeſt,à carnium eſu non excitari:vbi adeſt,ab earum ad putreſcendum promptitudine & foueri,& augeri. Huic dicendum, ſi in his qui conſueti ſunt carnibus C
veſci,carnes ipſę hanc ſibi ad putreſcendum facilitatem vindicaaent,verum eſſe quod obijcitur.Sed quia ſecus contingit,Ná propter conſuetudiné,quæ ferè altera natura eſt, tales non ſunt:vt in exiſtenté putrediné, comitétur huic enim quemadmodú natura, ita etiá iſta cóſuetudo reluctatur, quocirca reſpondendú.Id quod in mediú adducitur nihil concludere;non quo diſſimilis res ſit in D
hoc, vel in illo, caro, quæ in alimentum aſſumitur, ſed quod is, qui ea veſcitur. Hæc ad eos,qui ſorbitionem ex carnibus quod có tuſum appellatur,deteſtantur:ſimulque de alimentis,quæ & quoties porrigenda languentibus ſunt, & quomodo imminenti languori ſuccurrendum.

De languore præſente. Cap. XVIII.

VBi vero iam affecit,quoniam virtus,extrema prope imbecillitate laborat,nó aliud ferè agere eóducit, quàm ex his, quæ proxime narrauimus,eligere leuiora, & parcius atq. frequentius offerre. Leuiora quidem,quoniam hæc,debilis facultas facilius vincit;parcius vero, quia multum ſemel ſuperare non poteſt:frequentius autem,quia quum plurimo indigeat, id ipſum crebra nutrimenti aſſumptione compenſet. Præter illa vero,vtile E

eſt vo-

A eſt vocatum conſummatum. Id varijs modis paratur: commodũ,
& iucundum eſt,quod hunc in modum aſtruitur. Capi,aut galli-
næ carnes primum omni pinguedine exue,deinde minutatim in-
cide,mox vaſe vitreo anguſti colli excipe, nihil aliud inde. Nam
& ſine ſale,ſapidum;& ſine ſaccharo, ſuaue eſt. Huius oſculum
maſſa,aut re aliqua huiuſmodi diligenter obrege; poſtea vaſe du-
plici(vt ſolent,)coque,quoad ſiccatas carnes,& ſuccum circa illas
oberrantem conſpexeris: hic ſuccus,dictum conſummatum eſt.

B Expedit quoq. odoramenta,quæ epithemata cordialia tempe-
rata nuncupantur, non negligere: neque ſolum cordi,ſed etiam
manuum,pedumque pulſibus & teſtibus apponere,mox vngere
aliquo vel vnguento, vel oleo ſuauiter odorato, quale eſt oleum
ex floribus vel citri, vel aurancij. In quibus illud maxime obſer-
uandum eſt,vt multum non rarefaciant:quo circa neq. actu,quē-
admodum dicitur,valde calentia,neque poteſtate admodum cali-
da,ne nimium reſoluant,adhiberi debent.

C Theriaca,mithridatio,& oleis multis,quæ viribus ſummè valē-
tibus prædita, paſſim circumferuntur: quoniam ſuo graui odore
ſiue intus aſſumpta,ſiue foris adhibita,mentē præcipuè in homi-
ne imbecillo,ſæpenumero turbant,confundunt; &,vt ita dicam,
inebriant,melius eſt abſtinere,quàm vti. Qui tamen his maxime
confidit,ſi ſemel,præſertim parce,& moderate vtatur, quia com-
muni ferè omnium opinioni morem gerit, neque plane officere
creditur, iure accuſari non poteſt:ſi verò iterum,atque ſæpius id
D ipſum efficiat,niſi palam cōducere videtur,præter id, quod noxie,
& pernicioſe aget, temeritatis notam non effugiet. Cæterum vbi
corpus immodico ſudore digeritur,& exigui, imbecilliq. pulſus
ſunt:ſudor autem ſupra conſuetudinem & modo,& tempore, ex
toto thorace,& ceruicibus,& etiam capite prorumpit,pedibus tā-
tummodo, & cruribus ſiccioribus, atque frigentibus: tametſi
ad vltima deuentum eſſe teſtatur,committendum tamen non eſt,
quo minus remedijs,quæ in culpam venire non poſſunt, languē-
E ti opitulemur:ſiquidem artis humanitas numquam homini deſit.

Igitur non neglectis his, quæ tum inſtante, tum præſente lan-
guore facienda eſſe præcepimus;ea videlicet eligendo, quæ & de-
fectui ſuccurrant, & magis prompte ſuperantur: curatio prima
eſt,pedes,& crura calefacere,ceromata,& cataplaſmata ad id faciē-
tia adhibere, faſcijs inuoluere, nec vnquam committere vt reli-
quo corpore ſint frigidiores. Id quod ſi aſſequi non licet, aut ſi

forte licet, maior tamen in corpore ſudor excitatur, prognoſtico A
relinquendus æger eſt. ſin facile caleſiunt, neque inde ſudor ad-
modum creſcit, ſecunda curatio, eſt ſudorem prohibere. Id præſtat
acerbum oleum; vel roſaceum, vel melinũ, aut myrteum; quorum
aliquo corpus leuiter perungendum; ceratumque ex aliquo horũ
tum imponendum eſt: ſi ſudor vincit, Antiquiores quidem volũt
deliniẽdum hominem eſſe vel gypſo, vel argenti ſpuma, vel cimo
lia creta, vel etiã ſubinde horũ puluere reſpergendũ: puluere itẽ ex
contritis aridi myrti, vel rubi folijs, aut ex auſteri & boni vini arida B
fæce; quæ ſi deſunt, ſatis eſſe quẽlibet ex via puluerẽ iniectũ. Super
hæc vero, quominus corpus inſudet, æger leui veſte debet eſſe con
tentus, loco non calido, feneſtris patentibus, ſic vt flatus quoq. ali-
quis accedat, vento item flabellis frequentibus, ac linteis ſuper
corpus nudum pro cubili ſæpius eleuatis ſimul atque depreſſis
excitato. Tertiũ auxilium eſt, imbecillitati iacentis, alimento ſuc
currere. Id non multum quidem, ſed ſæpe tamen, nocte ac die dan
dum eſt, vt nutriat, neq. oneret: id eſſe debet ex his, quæ proxime C
recenſuimus, quod & facile coquitur, & ſtomacho aptum eſt. Si
oblatum alimentum non accipit, vltimum præſidiũ eſt, in aluum
ptiſanæ cremorem ex iure capi, aut etiam contuſum ex gallinæ
carnibus, ex inferioribus partibus inijcere. Siquidem id quoque
vires tuetur, vt Aetius lib. 3. commonefacit, & nos ſæpenumero vi-
dimus: præſertim in illuſtriſſima matrona, quæ quũ ex alui fluore
imbecilla ſeptem diebus, nihil omnino vel potus, vel cibi aſſume
ret, iniecto interim quotidie mane, & veſpere ex inferioribus par- D
tibus contuſo ex capi carnibus, ſibi ipſi maxima cũ omnium ad-
miratione penitus reſtituta eſt. Illud enim nunc tribus, nunc qua-
tuor, nunc quinque, nũc pluribus horis retinebat; deinde ex albo
in pallidum, ruffumve colorem; & ex odorato, inſtar ſtercoris oli-
di, permutatum reddebat. Id igitur ſic iniectum, vt à natura
tot modis in ventre permutatur, ita nutrire (vt euentus oſtendit) fa
cile poteſt.

De languoris cautione, & curatione ſecundum cauſas, & ſi- E
gna, quæ propoſuimus, & omnino de tribus vrbis Romæ verna-
culis morbis, qui ſint, quibus indicijs dignoſcantur, qualibus in-
genijs euitentur, atque tollantur, hæc dicta ſufficiant.

De mor-

A *De morbis, qui tum Romanis, tum etiam alijs in victus genere contingunt. Cap. XIX.*

CÆterum etſi alij quidam morbi, qui victu non recto creatur, recto autem ne fiant, prohibentur, non vrbi Romæ proprij, ſed propter hominis aut naturam, aut conſuetudinem ferè communes omnibus ſunt; ab re tamen non erit, eoſdem, quia negocium ipſum, quod de victus ratione inſtituitur,
B neceſſario reſpiciunt, quomodo ab his Romani ſeſe quoque defendere poſſint, breui perſtringere. Id genus ſunt tum ij, qui putredinem ab ortu primo in vtero matris (vt 1. lib. de morbo gallico ſatis docuimus) in nobis contractam comitantur: tum ij, qui nutricatum, vbi labori non reſpondet, ſequuntur.

Prædicta itaque putredo, nos & putridis morbis, & febribus ipſis (vt ibi quoque declarauimus) non modo parat, ſed ferè adſtringit. Hinc in pueris vocata lactumina: hinc variolæ, hinc morbilli:
C hinc in pleriſque omnibus tam facilis & ſcabiei, & morbi gallici receptio: hinc adeo prompti, frequenteſque in homine præter naturam calores. Hinc ſputa ſalſa, tum crebra, tum diuturna: quamquam vero huiuſmodi putredinem, quia homini naturaliter inſitam eſſe inibi diximus, non pauci difficilime concedunt: vtpote qui tale quippiam neque vſquã legerint, neque à quoquã vnquam audiuerint, ceu rem nouam, aut vix, aut nullo modo admittere poſſint: ſiquidem conſueta libenter amplectimur, in-
D ſueta facile refutamus. Ii tamen immemores non ſint eius, quod tum Hipp. tum Galenus de inuentis in medicina ſcriptum reliquerunt. Ille quidem, Medicina (inquit) iam ab antiquo extat & principium & via reperta, per quam inuenta & multa & probe habentia, comperta ſunt, per multum adeo tempus, & reliqua deinceps inuenientur, ſi quis ſufficiens ſit, & iam inuentorum gnarus, ex his ad perquirendum procedat. Hic vero: Qui parum ſunt prudentes (inquit) ji nihil prætereа inueniunt, etiam
E ſi tota vita infinitos artis effectus conſpexerint. Plurima namque inueniuntur hodie, quę apud maiores noſtros non fuere inuenta. Ex quibus ſatis conſtat noua quædam in medicina etiam à poſterioribus inueniri, quæ prioribus noſtris ante incognita fuerunt: quemadmodum nuper morbus gallicus, & prẹſidia contra illum, noua omnia. Quemadmodum etiam tribus aut quatuor abhinc annis occurrit nobis; qui quum librum, de homine ſcriberemus,

& ſanguinem omnem neceſſario fibras habere, atque conſtringi probauiſſemus, omnibus reclamantibus, quod Ariſt. cerui ſanguinem & fibris carere, & minime coagulari memoriæ prodiderit, atque id hucuſque apud omnes in confeſſo ſine vlla controuerſia eſſe: ceruum magnum nacti, adacto ſcalpello ad venã, quæ in eius collo, ſanguinem multis & medicis, & idiotis præſentibus, coagulari, ſicut humanum, & bubulum, & veruecinum vidimus; ſimulque in aquam tepidam effuſum, fibras quàmplurimas, perinde ac ſanguis quiuis alius ſolet, reliquiſſe. A B

Id quod nouum quidem eſt, ſed verum, & per ſe antiquum: ſanè verum, quia ſenſui patet: antiquum autem, quia tametſi annis ferè bis mille nos latuit, non tamen latuit naturam, & vt nunc eſt, ita quoque prius erat. Sic id putre quod homini ab ortu primo innatum in eo libro diximus, & prædictorum malorum, & aliorum plurium originem (quum datur occaſio) eſſe ſtatuimus: quamquã nouum ſimiliter eſt; iã tamen olim multo ante, quàm ego in hanc ſententiam veniſſem, erat. Quippe hoc (vt ibi quoq. narrauimus) C ſalſum quippiam eſt. Id ipſum præter multa, quæ ibidem in medium adducta ſunt, hinc facile ſuaderi poteſt: quia ſerum in corpore ſanguini ſemper immixtum eſt, cum eo in vniuerſum diffunditur, dum ſanguine miſſo, ab eodem ſponte ſeiungitur, ſemper ſalſum magis, minuſve guſtanti ſentitur. Neque ſolũ in homine, ſed in boue, in veruece, in pipione, in pullo gallinaceo, in hædo: vt quiſque experiri facile poteſt. Salſum vero in ſuccis, cuiuſmodi ſerum eſt vbi naturaliter corrumpitur, à putrefactione (vt com- D muniter dicimus) rei liquidæ gignitur, vt ex aqua, quum putret, ſal efficitur. Serum vtiq. propter putredinem aliquam eſſe ſalſum, iure ſequetur. Non enim aliunde veluti diuinum quippiam migrat in corpus, ſed ex alimento, verbi cauſa, quod vſque ad aliquid in animali naturaliter corrumpitur, & putrefit, exoritur. quæ ſane corruptio, ſi ad animal cõparetur, non putrefactio, ſed concoctio; ſin ad alimentum (quia id eſſe deſinit, quod prius erat) non concoctio, ſed putrefactio eſt. Verum hæc ipſa in ſalſedinem incidit, nõ E quo putrefactum omne, ſalſum ſit, ſed quo ſalſum huiuſmodi, putre quiddam eſt. Atque id, quia perpetim vna cum ſanguine per totum corpus verſatur; putre aliquid magis minuſve in corpore vniuerſo ſemper inerit: quod quum à ſanguine intra corpus naturaliter ſegregari neutiquam poſſit, inſitum homini putre non immerito nuncupatur. Ad propoſitum reuertamur. Itaque putredinem

A hanc ne immodice creſcat,prohibere,vt ab his malis potiſſimum vindicemur,oportet. Si enim qualis à principio fuit, talis ferè cõſeruetur,aut continua noui alimenti mixtura, vt ſupra quinquageſimum,ſexageſimumve annum contingit,obtundatur: & à calore qui eius impulſor eſt,minime irritetur,inſtar ſulphurati corporis, quod abſq. igne aut aliquo huius generis numquam accenditur, perſeuerans, nullos planè morbos accerſet.

Prohibetur,ſi caloris immodici generationẽ omni ſtudio euitemus: ſi coitũ immoderatum, Hic enim(vt in ſponſis primo anno videre licet)ſcabiem excitat.Si ſalem,ſalitaque. Nam & hæc(vt experientia nouimus)eandem vel gignunt, vel augent: Si crapulã frequentem,quamobrem pueri nõ modo quia ortui proximi,ſed quia huic dediti ſunt, ſępius quàm iuuenes, ac ſenes, in variolas, morbilloſque incidunt: Si deinceps fugiamus nimium laborem, importunam famem,rabidam ſitim,feruidum ſolem, vehementem vigiliam, ſuperfluũ vini potũ, aromata copioſa,omnia acria, poſt cibum balnea, intempeſtiuum purgantium medicamentorũ vſum:ſi neque febrientes,neque morbo aliquo contagioſo,vel ſcabie affectos,obnixe,crebroque tangamus.Denique ſi corpus vniuerſum naturaliter(ita dicã)tranſpiret:id quod aluo exiſtente molli,vrina facile prodeunte,naribus recluſis,auribus reſeratis,& reliquis in cute meatibus apertis,contingit.

(B at "temus", C at "post cibum")

De nutricatu quando eſt laboribus impar. Cap. XX.

D DE propoſita putredine iam ſatis; ad nutricatum,quando impar eſt labori,accedamus.

Porrò hæc affectio licet expletionis genere plerumque comprehendatur, non tamen ſemper expletio eſt, vbi videlicet nutritus longe minor,quàm labor exiſtit:ſed neque dum expletio eſt,eadem cum ea,de qua paulo ſuperius locuti ſumus,cenſeri debet: quippe illa ad nimiam alimenti molem,hæc ad laborem nũc auctum,nunc diminutum,aut prætermiſſum refertur.

E Huius plures ſunt modi. Primus, vbi quis nares à cibo abſque cauſa manifeſta impletas percipit, nec inde aliquid ferè extrahit: quum vero incipit exerceri,tum emũgit,& expuit,temporis progreſſu palpebras graues habet, pruritum, aut puluerem in fronte ſentit:non appetit, non ſitit, decolor fit,huic deſtillationes moleſtæ,aut horridæ febres inſtant. Antequam igitur hæ compareant, expedit cibum,& vinũ ſubtrahere:ſi nauſea ſubeſt, iuſculo aquoſo, aut

ſo, aut aliquo huiuſmodi quod ad vomendum incitet,vomere; ſi A
aluus aſtricta eſt,leniente aliquo medicamento,quale eſt noſtrum Alexandrinum ad vncias ½. bis, terue paulatim ducere:conſuetis exercitijs citra quidem laſſitudinem,ſed leuioribus, & paucioribus quàm prius vti, atque ita deinceps quoad mucus inter exercēdum deſinat,& color,appetituſque reſtituatur. Alter modus eſt: primum ſomni longi, & ſuaues, tum noctu tum interdiu oriuntur. Dimiſſo enim exercitio, quod humida ſuperflua in aliquibus affatim ante conſumebat, vniuerſa caro ſtatim humeſcit, ſpiritus B
conquieſcunt,& ſomnus ſuauis accedit:ſubinde vero ſolita quotidie ingeſta alimonia, caro ante referta non amplius afficitur, ſed eadem intus remanente,impletoque nimium corpore, quum labor,qui redundantiam vbertim abſumere conſueuerat, abſit; vapores hinc multi,ac alieni naſcuntur,per ſingulas corporis partes oberrant, ſpiritus ipſos confundūt,& ſomni ex iucundis,iniucundi;ex quietis turbulenti, pericula varia repræſentantes gignuntur. Id humidis ac plenis corporibus plerumque vſu venit. Huc vbi C
deuentum eſt,iam ſopor,aut lethargus, aut quis alius capitis, aut inferioris partis, (ſi forte illuc ſuperfluitas decumbat) affectus in propinquo eſt.Id non expectare,ſed ſtatim vbi ſomnus animā perturbare cœperit, auxilijs anteuertere oportet. Huic igitur quemadmodum priori,ſed inedia tenuiori & longiori (fames enim corpora ſiccat,& ſomnum intercipit)ſuccurrendum.

Sunt & alia ſimiliter expletionis indicia:homo enim ſe à negocio ad ocium transfert, interim aluus aſtringitur,mox uentriculus D
vel ſatur,vel grauis ſentitur:deinde leuis vertigo ſuperuenit; capitis item aut dolor,aut turbatio, aut pondus, aut puncturę aliquæ, vel colli aut grauitas,aut tumor, dolorue: poſtremo podagra, vel febris longa in his; qui aut huic, aut illi ſubiecti ſunt. Prius igitur quàm hæc, aut illa contingat, aluum perquam celeriter clyſtere ex oleo mollire conducit, ſubinde catapotijs ex aloe lota,ſeu vocatis de tribus, ſeu aliquo alio eiuſmodi ſcrypulum vnum ſingulis pendentibus, mane, & veſperę paulo ante cibum triduo, E
quatriduove paulatim, quemadmodum ſenſim aſtricta eſt,ducerę;ſubinde cætera,velut proxime dictum eſt, facere; donec ſatietas, & vertigo, & aliæ tum capitis,tum colli recenſitæ affectiones,vna,vel altera,vel omnes,prout opus fuerit,ceſſarint. Sed particulatim vt imminens podagra vitetur, maxime obſeruandum eſt, vbi primum aut in capite,aut in collo prædictorum aliquid

comparue

A comparuerit,aluum quidem (vt narrauimus) mollire, ſed vinum illico ſubtrahere,deinde ſi ſtatim recedat,ſtatim vinum reſumere, Verbi cauſa, ſi mane caput doleat, vinum in prandio penitus auferre, eius loco aquam tantum potare: ſin veſpere dolor deſierit, vinum in cœna bibere:& contra, ſi mane redierit, ad aquam reuerti. Ex toto enim in hoc caſu neque vinum,neque aqua ſemper vtilia ſunt. Vtrumque medicamentum eſt, quum inuicem aſſumitur. Nec vllum aliud in his,qui vina potant, præſtantius eſt auxi-
B lium,modo interim ſe à venere contineant, ciboque aliquid demant, & ſi forte conſueta quæpiam vacuatio ante ſuppreſſa fuerit,hanc ſimiliter,priuſquam podagra excitetur,prouitent. Aqua, vtrum podagrā futuram prohibeat, quia vel ſua frigida facultate delapſuri humoris motum intercipit,dū eum craſſum ac denſum reddit:vel quum hominem aut parum aut nihil alat, crudi ſucci, ſine quo podagra ferè nunquam eſt, copiam ſummouens inſtantem fluxionem coercet:præſentis negocij non eſt.Ad propoſitum
C redeamus.

Huius quoque generis eſt, quum quis aliquot diebus ſua munia prætermiſit, poſtea dolore quodam, inſtar laſſitudinis, nunc totum corpus,nunc hanc, nunc alteram corporis partem exercente afficitur;difficulter mouetur, ſæpe oſcitat, non raro pandiculatur, imbecillitatem veretur, ob id & quiete, & alimonia ſe quotidie reficere nititur; ſubinde in febrem incidit. Hic ante febris aduentum eiſdem ferme præſidijs, quæ antedicta ſunt,cura ri ſolet,
D multa poſt extenuatione,atque ambulatione indiget. Sed ſi dolor vniuerſum corpus cōtinue occuparit,quia quod per totū fertur, in hoc ſtatu totum corpus lædit, id autem in venis potiſſimū eſt, abſque venæ ſectione,niſi aliquid impediat, vix vnquam ſibi ipſi reſtituitur.

Quidam ab expletione caput dolent, graue illud quoque ſentiunt,palpebras à cibo velut vrgente ſomno cadentes habēt: inter dormiendum valde perturbantur, iuſto magis caleſcūt, aſtrictam
E aluum quandoque ſortiuntur. Vbi venere vtuntur, ſtatim leuiores facti ſibi videntur:ſubinde grauiores redduntur. His caput,redundantiam ab infernis partibus ſurſum arripiens, graueſcere, & aluum ſiſtere conſueuit. Magnum vero capitis malum imminet; prius igitur quàm id adſit,prouidendum eſt,ne caput adeo cōfertim trahat;id aſſequentur, ſi aluum & paulatim, & frequenter ſibi ducant:ſi dum nauſea ſubſit, vomant; modo promptum ſit illis,

Si vi-

Si vinum, & ea, quæ in caput facile repunt, diligenter caueant. Si venere abſtineant, ſi parce quidem, ſed quæ ventrem molliunt, comedant. Si modice ſe exerceant. Si dum capitis onus, ac dolor inſigniter augentur, ſanguinem vel ex humeraria vena, vel ex alia, per quam nunc ſuppreſſus ante fluere ſolebat, ſibi mittant. A

Alij præter conſuetudinem interdiu plurimum laborant, veſpere laſſi, debileſque ſunt, poſtridie non appetunt, conantur tamen ſolitum alimentum aſſumere, aliquot diebus ſic ſe habent, poſtea ſitiunt, mox caput dolent, poſtremo frebre cum horrore capiuntur. Hi propter auctum laborem imbecilles facti, à ſoliis quidem operibus deſiſtunt, ſed à conſuetis cibis & potibus quũ abſtinere deberent, nequaquã abſtinent. Sanguis igitur ob nimiã agitationẽ attenuatus, maiorẽ locũ requirit, & venas, & arterias replet: hinc ab exercitatione illæ tumidæ, hæ plenæ, & ſpiratio denſa. Tũ ſi quid comedant, internæ partes, quia refertæ ſunt, alimentũ nõ admittunt: id plus iuſto & in ventriculo & in inteſtinis retentum, putreſcere incipit; hinc quia vapores calidi, & forſan acres mouentur, capitis dolor emergit. Et quia calor ſiccus excitatur, ſitis oritur. Vbi vero iam nõ continẽter quidẽ, ſed per interualla putreſcit, plerumq. primũ horror, ſi modice putret; ſin valide, rigor: deinde febris accedit. Antequã ergo febricitent, ſi ſolita alimonia vti velint, quàm celerrime ſibi ſanguinẽ, ne aliquò abſceſſum faciat, aut coctionẽ, & nutricatum impediat, mittãt: ſin à venæ ſectione abhorreant, cibum, ac potum ſibi ſubtrahant, vino abſtineant: quotidie, ſed moderate, hoc eſt quantum natura fert, ſe exerceant. B C D

Aliquibus venter alimentum coquit, id vero carnes non ſuſcipiunt, ſed intus remanens (quod aſtricta magis aluo cognoſcitur) primum calefit, ſubinde flatum ex ſe mittit, ſed ructu non reijcitur, quin immo quaſi interſeptus veluti nodus, ſe hincinde comprimens, in vẽtriculo ſentitur: poſt facta quotidie adiectione, quia nutrimentum interea, dum præter naturam retinetur, plerumque corrumpitur, corruptum alere non poteſt. Æger famem ferre nequit: niſi celeriter aliquid offeratur, ſtatim iraſcitur, os amareſcit, caput dolet. Vbi comedit, ſibi leuius habere videtur, ceſſat ſtringens ſpiritus vinculũ; remittitur importuna fames: vincitur enim flatus tamquam leuis, à cibo, qui grauis eſt, atque deorſum pellitur: ſed vbi plus quam par eſt, quoque die coaceruatur, & creſcit, corruptela maior exoritur, quàm ſi abundantior flatus ſequatur: hic ventriculũ vehemẽter extendens, non habens exitum, vomitu diſ- E

A tu difficulter citato, veſicam felleam, quæ inter ipſum, & iecur eſt, premit, fel in iecoris venas tranſire cogit, & ictèritiam, ſine pori fellei obſtructione, parit. Sin putredo fœtidior atque acrior comitetur, inſtar purgantis medicaměti, aluum ducit, & diarrhœam copioſiſſima, ſtercoroſa materia, ſed flaua & liquida fluěte, quam bilem flauam, quum alimentum putrefactum re vera ſit, vocant: mox dyſenteriam efficit, quoniam inteſtina propter moram antea nimis calefecit, nunc acrimonia ſua abradit.

B Hic vbi ſpiritus ille nodoſus gignitur, vbi aluus dura fit, & famě ferre nequit: quam primum ſibi ne malum augeatur, cõſulere debet. Itaque clyſtere ex oleo ad lib.1. quotidie, vel alternis diebus ſibi aluum molliat, cibis ſolidis, duris, ſiccis, aſſis, frictis, & vino, quia putrida indurat, & firmat, penitus abſtineat; triduo quatriduove iuſculis, aut ſorbitionibus, ſepoſitis nutrimentis alijs, vt noua materia corruptæ facilius miſceatur, atque illam contemperet, large accipiat. Si fames redeat, atque flatus diſcutiatur, ad conC ſueta reuertatur: ſin minus catapotio aliquo, ex his, quæ ſine ſcamonio, aut alio valde purgăte conficiuntur, ad ſcrup.1. mane & veſpere, paulo antequam nutrimentum aſſumat, aluum ſoluere conetur. Non enim confertim purgans medicamentum exhibere, ſed paulatim oportet. Illud enim tum quia tenuem ſuccum, & aquã ſæpe ducit, ſolida vero ſuperflua, quæ vacuare neceſſe eſſet, relinquit, tum quia magna fœtidi excrementi congeriem, temere, violenterque exagitans, illius nidoroſos, calidoſque halitus, in veD nas, in arterias, in carnes, denique in vniuerſum corpus ſubire cogit, plerumque febrem accendit: hoc, naturam ad expellendum ſenſim irritans, ſtimulatione altera poſt alteram ſuccedente, ingětis in vĕtre molis duræ partem, alteram ab altera modice ſeparat, naturam ad ſe graui pondere exonerandam inuitat, & ſine periculo, ac ſine moleſtia foras educit.

Nonnulli paulo ante cibum, quando ſoliti nutritus prope tempus eſt, & ferè ſtatim illo ſumpto, multum, & pituitoſum expuũt: E egerunt vero minus quidem, quàm comedant, ſed nõ parum: noctu nõ admodum male dormiunt, poſtridie vbi ſurgunt, quippiã graue, durum, inſtar parui panis in ventriculo habere dicunt, nõ tamen dolent, ſed ſi moueantur, alimentum, quod in cæna ſumpſerunt, crudum, ac ſi dudum ingeſtũ eſſet, ſine vllo acore, nidoreve ructant. His pituita, præſertim tenuis, in ſtomacho abundat. Hæc quemadmodum aqua puteorum, fructus, vbi eos bene ope-

uerit,(vt ſect.20.prob.Ariſt.docet) per annum totum à corruptela A
tuetur,ita cibum in cœna deuoratum,intra ſe ſuperne,inferne,&
vndique recipiens,integram noctem,per quietem ſua copia omni
ex parte amplectens, genuinos illius ſpiritus, quorum ope ſeruatur,
euaneſcere prohibet,& ſua frigiditate afficiens, circunfuſi
caloris vim interea retundit, dum immutare à propria natura in
alienam vix poſſit. Mane vero vbi motus cietur,tegumentum dirumpitur,
ſubinde crudum eructatur. Huius ventriculus propria
ſubſtantia & per ſe frigidus non magis eſt,quàm cuiuſuis alterius, B
ſed quatenus eo quod intra ſinum ſuum cõtinet,impeditur, quo
minus alimentum veluti conſueuerat,coquat,hoc pacto frigidus
eſt:quemadmodum olla teſtacea,aquæ plena, (ſumpta ſimilitudine
ab humido ad frigidum)id quod in eam infunditur humectat,
per ſe tamen humida non eſt. In hoc igitur ſtatu emplaſtris,& vnguentis
extrinſecus adhibitis,ventriculum,vt multi ſolent,calefacere
tentare, quia id vt proficiat, longo tempore indiget:malum
vero breuiorem curationem requirit, Periculum eſt, interea dum C
ægro hac via opitulari ſtudemus,ne malum impendio magis augeatur,
& hominem fortaſſe perimat. Sanè id omnino negligere
non oportet, quum apud poſteriores medicos paſſim ſcriptũ reperiatur,
ſed non ita eſt huic præſidio confidendum, vt alia remediorum
genera omittamus. Sicut etiam purgans medicamentum
pituitæ ducens boli, aut carapotij modo datum, tametſi in
hoc caſu integrum ſola pituita obductum exire per aluum ſine
vlla vacuatione, quandoque viderimus, committendum tamen D
nõ eſt,quoniam obeſſe nequit, quo minus ſemel aut iterum experiamur.
Cæterum huic niſi difficulter vomat, nihil ſalubrius
eſt,quàm vomitum ciere. Itaque prope meridiem à curſu quopiam,
aut celeri ambulatione,vt & diei calore,& exercitij commotione
pituita omnis ad motum excitetur; ieiunus quia tenuem &
plurimum in ſtomacho ſuccum habet, vomere nitatur. Si nihil
reijciat,quod interdum euenit,quia craſſities aliqua, lentorve reſiſtit,
hyſſopi ſicci vnciá $1\frac{1}{2}$. in aquæ lib. 4. plus minuſve coquat, E
ſubinde colet,mox aceto modico affuſo,& ſale,ſi magis placuerit
adiecto, primum ſenſim,ac lente,poſtea multo amplius, & citius
bibat; à vomitu niſi aliquid cogat,non prandeat: cænam pane ex
tota farina collata,vino meraco, modo huic aſſuetus ſit; carnibus
leuiorum volucrium aſſis,&huiuſmodi tranſigat;ſalita ſi arrideat,
non reijciat;ſic edat,ac bibat,vt ſciat huic malo tamen, ſitimque
prodeſſe,

A prodeſſe. A cœna per noctem ſi multum dormiat, nihil obeſt. Somnus enim alimonia frugaliter ablata, id quod intus antea ineſt, plerumque abſumit, poſtridie conſuetas actiones non prætermittat. A matutina exercitatione, ſi poteſt, redormiat; nam id quoque humidum ventriculum exhaurit: deinde parce admodum prandeat, atque ita deinceps quo ad ipſa cruditas aboleatur.

Aliquibus præ nimio labore plus ex corpore, præſertim ex carne liquatur, quàm per cutem, & vrinæ vias, & aluum excernatur:
B partim igitur ſub cute relinquitur, illamque pallido colore, ſicuti ſudor, quando interulam lineam inquinat, afficit: partim ad ventriculum, tamquam ad locum, in quem tum à capite, tum à circũuicinis venis ſuperflua confluunt, migrans, ibidem firmatur. Hi ergo decolores euadunt, & vbi comederint, paulo poſt, acidum, inſtar aceti, quod acre ſubinde redditur, eructant: mox in nares, & oculos illud aſcendit, & mordicat. Decolores fiunt, quia ſuccus ante diſſolutus, poſt ſub cute moram trahens, proprium colorem
C amittit, & alienum, qui plerumque per initia pallidus, aut huic aſſimilis eſt, acquirit. Acidum eructant, quoniam humor huiuſmodi plus iuſto ventriculum obſidens, ibi corrumpitur, atque putreſcit; vt enim ſuccis omnibus, qui quàm primũ putrent (vt primo lib. de morbo gallico declarauimus.) aceſcunt, euenit, ita in acidũ vertitur. Ructatur aliquanto poſt cibum, quoniam natura trahere à ventriculo ingeſtum alimentum feſtinans, dum illum, quia ſe ſe interponit, & impedit, expellere nititur, hunc eundem ſuo cona-
D tu mox attollens ſimul, atque dirumpens, ructum mouet. Pungit nares, atq. oculos, quando videlicet amplius putrefactus eſt. Hoc enim pacto nõ modo acidus (vt loco proxime citato narrauimus) ſed acris quoque efficitur. His periculum eſt ne perſeuerante liquatione, aqua ventrem impleat, & tandem hydrops contingat. Vt igitur ab hoc imminenti malo, ſe defendant, laborem quidem non prætermittant, ne ſi forte quieti ſe ſe dedant, qua hydropem euitent, tum illorum calore torpeſcente, in tabem hydropi con-
E trariam (vt aliquibus euenit) incidant. Sed moderatius laborent, quo tum ſucci, qui ante liquati in corpore derelicti ſunt, tum alia, quæ quotidie redundare ſolent, euacuentur. Vomitu, ſi hic facilis ſit, id quod in ventriculo acidum eſt, reijciant: ſin minus, parciore tum cibo, tum vini potu, quoad natura ferat, & acidus ructus ceſſet, vtantur.

Corporibus item carne denſis, quales, vt plurimum ſunt Hiſpa-

ni,& Itali quidam graciles,ſed fortes,vbi parum exercẽtur, & plus A
iuſto comedunt,hęc interdum accidunt.Nocte poſt primum ſom
num,cibo calefacto,atque liquato,caro ſimul quoq. caleſcit, ros
quidam vniuerſum corpus exercet,non tamen caro cibum proxi
me ingeſtum,quia prætermiſſa exercitatione denſior facta eſt, ad-
mittit,ſed hunc,tamquam contrarium,vi quadã coacta, id quod
ros ille ſignificat, irritata natura è ventriculo ſurſum per œſopha
gum pellere tentat, tũ ſi piſces, aut caſeum, aut quid aliud huiuſ-
modi abũde comederint, reliqua nocte ſputamina lenta,pituito B
ſa,moleſte expuunt,tuſſiq. infeſtantur;ſin carnes,ſuffocationis di
ſcrimen incurrũt,quoad vomitus accedat;qui eos leuat quidem,
ſed decolores ſubinde fiunt,& procedẽte tempore doloribus, &
morbis afficiũtur;quippe his ſtrãgulatio,illis tuſſis,cõtingit: quo-
niã cibus à vẽtre ad os expulſus, faucibus patentibus,laryngi aper
to, epiglottidi eleuatæ occurrens,præter id, quod impeditur,quo
minus facile in os repat,fieri nõ poteſt,quin aliqua ex parte in tra-
cheã arteriam adhuc hiantẽ non delabatur, mox aut tuſſis impor C
tunitatẽ,aut ſtrangulationis metũ incutiat. Id quod oſtendit,quã-
tum hi hallucinẽtur, qui tuſſim à ſputis excitatam,vel è capite vel
è thorace dumtaxat oriri contendunt. Nec ignoro ab eiſdem id
ipſum acerrime reprehenſum iri; vel eo argumento,quod nemo
antehac aut dixerit,aut ſcripſerit. Malo tamen inepta horum con
uitia negligere,quàm humanæ ſaluti conſulere,quum poſſim,nõ
benefacere. His expedit cibum ſubtrahere, aluum ſæpius molli-
re,multum exerceri. Copioſiore enim labore (quoniam hic niſi D
extremus fuerit,carnem ampliorem rarioremque reddit)quàm ci
bo talis natura opus habet:hinc etiam vocis à cibo exercitatio nõ
nullis horum mirifice prodeſt, vtpote quæ contento,citatoq. ſpi-
ritu,carnem ſimiliter extendat,& rarefaciat.

Sunt qui nimium comedunt, ſimul ac bibunt: ſubinde cibus
liquidus, incoctus, crudus his affatim,& crebro ſecedit,perinde
ac ſi leuitate inteſtinorum laborarent,non tamen dolent.Horum
corpus quia conueniens alimentum nõ ſuſcipit,ſenſim conſumi- E
tur.Ventriculus frigidus quidem & humidus, eſſe videtur;ſanè fri
gidus,quia cibũ non coquit:humidus quia ſæpe fluidus eſt, ſed re
vera neutrum eſt:nam cibi copia oppreſſus, nõ coquit:mox potu
multo impletus, illũ non retinet; ſed deſcendere, foraſq. per aluũ
exire cogit. His non conducit ventriculum extrinſecus vngere,
aut cataplaſmate integere quo caleſcat(aliũde enim frigiditas ori-
tur) ſed

A tur)ſed cibum potumque minuere;panem(vt dicunt)ferè azymũ, lagana,paſtillos & huiuſmodi,quia magis hærent, interdum aſſumere, in vinum auſterum,quo diutius firmentur,præcipue vero panem infundere; moderatius exerceri. Ita namq. rectè coquet, & calidus eſſe apparebit:Si aluus adhuc fluxerit,vomitu bis, terue ſurſum reuellere:ſic enim à conſuetudine diuertetur.

Contra nonnulli multum comedunt, modice bibunt, à ſolitis exercitijs abſtinẽt,ſæpius iuſto mingunt,paulatim conſumuntur, B deiectiones reddunt conſuetas, & figuratas, ſed fœtoris quaſi expertes,& ferè albidas, aut paulo minus,quales in ictericis apparere conſueuerunt,ſed ipſi nequaquam ictꝫri ſunt. Hi,quoniam nõ exercentur, carnes, quemadmodum ſolebant, per cutim non vacuantur: non inanitæ,à venis non attrahunt, ſubinde ſuccus ad illas ferri conſuetus,ad eaſdem ſimiliter quidem fertur, ſed quia non attrahitur,nec retro,vnde primum migrauit, recedere nouit, in venis remanet,atque redundat:quamobrem ſe ſe ſua nimietate C trudens in renes, per veſicam foras elabitur, atque huic expulſioni aſſueſcens, in dies maiore copia extra defluit, & carnes,& ventres exiccat.Huic corpus quia alimento non fruitur,tabeſcit,& vocatus chylus,qui magna ex parte albus eſt,quia citius tum in ventriculo,tum in inteſtinis exiccatur,quàm poſſit (vt conſueuit)in illis putreſcere,mox flauum,ruffum.ve colorem acquirere,& ſtercoris nidoroſi ſpeciem ſubire (putrefactio enim,vt Meteor 4. inquit Ariſt.corruptio in vnoquoque humido eſt,quod vero ſiccum exi D ſtit non putrefit)in excrementa ſubalba & inodora ſecedit.Quum enim iſte chylus plerumque albus ſit, & ante quàm in inteſtina feratur,& poſtquam in illa deſcendit, (vt dictum eſt) ſiccetur: per inteſtina nihil ferè ſuæ albedinis amittens,ſed factus ſolidior, atq. cõſtantior,tamquam humido proprio priuatus exit. Ita deiectiones albæ,abſque pori fellei obſtructione, interdum contingunt.

His confert cibum ſubtrahere,panem azymum, quia difficulter coquitur, cauere, fermentato veſci,& hoc puro potius,quàm E ex tota farina collata. Purus enim vt magis nutrit,ita melius vires inſtaurat: vinũ nigrum ſuaue, ſed non valde robuſtũ potare:cætera pro conſuetudine, ſed parcius aſſumere: ſenſim ad ſolita exercitia redire,quæ ſi forte propter imbecillitatẽ ferre nequeunt, mane poſtquam egeſſerint, ante cibum tantiſper mediocri frictione vtantur dum valentiores effecti, commode poſſint, exerceri.

Cuidam aliquot ante diebus aluus adſtringitur, appetere deſinit,ci-

nit,cibos auerſatur,poſtea deiectio liquida,putrefacta,oua marcida referens, ſecedit:nam propter eius acrimoniam inteſtina mordicantur, venter calefit,excalfactus carnes exugit, dolore affligitur,exulceratur,difficulter ſiſtitur. A

Huic expedit,antequam aluus fluat,hanc aut clyſteribus (vt diximus)ex oleo,aut aliquo electario leniter ducente mollire, cibũ ſubtrahere,laborem minuere. Vbi fluere incipit,iuſculis cum rumice, aut cicerbita temperatis ſupra, & infra citius,quàm à ſucco putri exulceretur,detergere,aduerſus exulcerationem dyſenteriæ auxilijs pugnare. B

Nonnullis deiectio arida,& exuſta,deinde os primo ſiccũ,mox amarum redditur,venter ſupprimitur,vrina firmatur.

Inteſtinum enim humido priuatum, & retento ſtercore,non modo ei, quod bibitur, & comeditur, iter per aluum claudit,ſed etiam quia vrinaria vaſa premit, & conniuere facit, vrinæ tranſitum prohibet:dolorem in ventre mouet,ſimulque calorem præter naturam accendit: poſtea quicquid comedunt, & bibunt,vomere incipiunt, & tandem ſtercus quoque (id quod plerumque mortem affert)vomitu reijciunt. C

Antequam igitur vrina ſupprimatur,& priuſquam reliqua peiora ſequantur, hordei cremorem ſi conſueti fuerint, aut aliquid huiuſmodi,mane & veſpere ante cibum,aſſumant: vini perquam modicũ,aquæ quamplurimum bibant: ab aſſis,à frictis, à ſalitis, à pinguibus, ab ouis abſtineant. Veſcantur carnibus elixis, pane ex tota farina collata,bene fermentato,item elixis oleribus,omnibus præterquam acribus, aut ſiccis, clyſteribus ex oleo aluum ſibi leniant. Vbi id conſecuti fuerint,ſi os humidum euadat,& minime amareſcat,ad conſueta reuertantur. D

Aliqui ab ambulatione matutina,vbi nimia eſt,quoniam corpus,& caput humido vacuatur,horrent,& capite grauantur: mox vbi ſæpius id paſſi fuerint,in febrem horridam incidunt.Horrent quidem,quoniam ſublato ſucco,qui carnis meatus implebat,neceſſe eſt dũ adhuc exercẽtur, meatus ipſos circumfuſo aeri patentiores fieri,qui ſubinde in carnem penitus ſubiens, proportione (vt dicũt) minoris inæqualitatis refrigerat,pũgit,& horrere cogit. E

Caput graue fit,quoniam proprio humore, quo maxime indiget, inanitum, infirmatur, & vt imbecilli ſolitas veſtes ſibi oneri eſſe percipiunt,ita carnem, & oſſa,quæ in eo ſunt,humoris roborantis,& quodammodo eleuãtis egena,ponderare perſentit. Horrida

rida

A rida febris creatur, quia intempeſtiua, & multa exercitatio, licet apertos cutis meatus (vt diximus) reddat, & aeri circunfuſo frigoris ſpeciem Inferenti viam faciat, interiora tamen valde calefacit. Quamobrem homo in hoc ſtatu febricitans, calidas quidem carnes habet,& vbi paulũ detegitur, horret; ſed nec extremis partibus, neque cute friget.Hi niſi febricitarint,moderate prandere, & vinum ſuaue bibere debent;à prandio,ſi conſueuerunt, dormire:paulo ante cœnam leuiter exerceri,pro more cœnare:à cœna nõ

B ambulare:noctu abunde dormire:poſtridie ante prandium modica frictione vti,dein lente incedere.

Hæc, & huiuſmodi ſunt, in quibus tum cibi labores, tum labores cibos: illi quidem plerumque, hi vero nonnunquam exuperant.

De accedentium & recedentium viuendi ratione. Cap. XXI.

C SEd à lectore adhuc longe plura ſantio deſiderari: non enim præterea ſatis eſſe videtur admonuiſſe qui homines hic verſentur, quod victus genus teneant, quouſque vitã protrahãt, admonuiſſe: ſed etiam oportere,quomodo ſe tueri debeãt, ne in morbos præter eos, quos Vrbi familiares eſſe diximus, incidant, ne in victu delinquant, ne demum vitæ adeo breuis exiſtant.

Qui ergo huc accedunt,ſubinde recedunt,non ſubito, multũ, ſed paulatim,niſi quid obſtiterit, quieſcant: ne commotus ab iti-

D nere ſanguis,in magna & repẽtina quiete alicubi firmetur,& morbum aliquẽ accerſat. Si à locis præfrigidis,vtpote ab Anglia, Germania,Flandria,præſertim aut vere, aut æſtate,venerint,vina grandia,vel omnino fugiant, vel quàmdilutiſſima bibant. Quia enim eorum caput ab aere,qui plurimum auſtralis eſt, & à ſolis calore, qui ſurſum omnia trahit,cito repletur,vino potenti copioſius (vt ij ſolent)hauſto,maxime infarcitur, deinde deſtillationem, articularem morbum, & tuſſim mouet. Caſeo etiam,quia bibuli ſunt,

E (caſeus enim, vt ſupra diximus, magnis potoribus noxius eſt) abſtineant.

Si citatis equis acceſſerint,multo plus aquę,quàm vini in vtriuſque mixtura,potent,nulloque die ferè per menſis dimidium,non equitent,& non exerceantur.Qui enim id negligunt,in magnum vitæ diſcrimen ſæpenumero incurrunt. Longiſſima namque via celeriter exacta,dum ſe ſe protinus quieti, abſque ſanguinis miſ-

ſione,

ſione, aut alia vacuatione dedunt, ſanguinem aut per ventrem, aut A
per os periculoſe reijciunt. Id quod facili negocio euadunt, ſi ſanguis ob priorem motum agitatus, ne in aliquam partē abſcedat, ſe ſe quoque die (vt monuimus) moueant: cibis communibus vti, & abunde comedere quidem ſine noxa poſſunt: ſed à ſalſamentis ſe temperare, & aluus, vt mollis ſit, ſtudere quotidie debent.

Hæc de accedentium & recedentium viuendi ratione.

De permanentium Victu in vrbe. Cap. XXII. B

PErmanentes vero, ſi nullis aſtricti legibus ſunt, quàm quibus Chriſtiana religio generatim obligat, pingues, qui propter corporis onus, adeo parum exercentur, vt cibi ſuperent labores, quia ſuſpecta eſt in illis valetudo, toto ferè anni tempore victu ſicciore, quoad obeſitas onuſta eſt, vtantur. His prodeſt mōtem aut Ianiculum, aut Auentinum, aut alium ex quinque reliquis, qui Vrbem circa ſunt, mane ante cibum, ſæpius, quoad fieri C
licet, aſcendere. Quippe motus hic ſpiritum ipſum valde ſuſpendit, dumquè natura ſurſum eleuare corporis molem conatur, tāquam expulſioni magis intenta, quàm attractioni, alimentū corpori apponere deſueſcit: quod extenuatio plerumque comitatur. Hinc monti colę, frequentius graciles, quàm obeſi nobis occurrunt. Prodeſt etiā nō lente, ſed velociter exerceri ſimul ac ſudare, ſi propter id aut cauſam aliam, fames aliqua prandium ante ſubſit, interea redormire, mòdo inde neque magna imbecillitas, neque D
aliud inſigne malū contingat, plurimum enim exiccat: vt minus bibāt, paulatim aſſueſcere: aquis acidis, de quibus ſupra locuti ſumus, vina diluere: hyeme quidem, ea, quæ vltra ſanctum Paulum; æſtate vero reliquis acidulis, vt redundans in illis humidum exiccetur. Nulla die, niſi aluus aut ſponte, aut arte ducatur, comedere. Non caſeo, non his, quæ aut ex farinis, aut ex lacte conficiuntur, non piſcibus, & id genus alijs valde humidis, ſed potius ſalſamētis, niſi quid impediat, veſci. Panem ex tota farina collata, pinguio- E
reſque cibos, quoniam ij appetitum retundunt, & minus nutriunt deuorare. Fructus, niſi aluum facile moueant, non eſſe: cum fame quadam & à prandio, & à cæna recedere. Neque potu, neque cibis nimium impleri, quoniam ab alimenti exuberantia ventriculum exercente, ſuccus tenuior, qui illinc emergit, dum in venas vehementer impellitur, ſimulque à venis intro trahitur, corpus vniuerſum

A uerſum impendio magis repletur, multoque plenius efficitur. A balneis aquæ dulcis abſtinere, quia carnes non minus foris, quàm intus (vt Hipp. inquit) humidum ad ſe ſe fugunt. Meridiationes ca uere. Duriore lecto cubare.

Qui autē mediocris (vt cōmuniter dicitur) habitus ſunt: ac etiā qui graciles, vt proxime narrauimus, ij ſi vitam agunt ſedentariā, ſedulo curent vt eorum aluus mollis ſit, alioqui cruditas multa in ventre coaceruatur, & mala, tum quę ſupra diximus, tū alia peiora B parit. His etiam expedit, ſub dio in loco non clauſo ſed aperto, niſi Sol, aut flatus, aut frigus impediat, ſedere. Quippe aer vndique patens, quia perpetuo motu, ſi non admodum manifeſte, certe la tenter cietur; quemadmodum aqua currens pannos lineos fœdatos abſtergit, ita ille perfluens, corpus noſtrum pariter expurgat, & quia ſimul in thoracem, & caput perpetim attrahitur, foris, & intus crebro ſuo ingreſſu, & egreſſu, perinde ac ſi lauaret, illud purificat. Exemplo eſt arbor, quum aut intra parietes, aut in agro eſt. C illic enim ſæpe ſterilis, & decolor; hic ſemper & fœcunda, & vegera cernitur. Exemplo item ſunt nauigantes, qui nihil prorſus in naui agentes, ſed ſolum ſedentes, bene appetunt, & pleni, robuſtique fiunt. Si id non datur: ſtudeant ſaltem vt locum habitent lucidum, qui hincinde ventis perflari, & hiberno ſole illuſtrari facile queat. Vt enim aer vetus, & craſſus, qui inibi eſt, ab his renouatur, & tenuior, atque purior efficitur, ſic homo, qui ibidē quieſcit, ab eiſdem continua renouatione repurgatur, & exeritur. Si D neque hoc, neque illud præſtatur, quia cuilibet, qui negocijs diſtinetur, tempus aliquod ſeruandum eſt, curationi ſui corporis. Mane, ſi ſatis dormiuerint, neque fatigationē vllam ſentiant, ſed hilari animo ſurrexerint, ante cibum, è loco vbi tamdiu ſedent, foras exeant in aerem apertum: ſubinde ibidem breui, celeriterque, modo, quo eis licet, exerceantur; mox domum reuerſi, tantiſper quieſcant, dum ſpiratio ad conſuetum redeat; deinde prandeant.

Qui mutato loco exercentur, ſi ſuæ ſpontis fuerint, hos decet E ſemper ante cibum, in corporis exercitatione verſari: huius finis plerumque ſudor eſt, aut certe laſſitudo, quæ citra fatigationem ſit. Cæterum ſi neque animi alacritas, neque melior faciei color ſequatur, ſæpenumero inutilis: Sin triſtitia, pallorque comitetur, ſemper noxia eſt. Eos vero qui aliis inſeruiunt, ante quidem cibū amplius atque velociter; poſt autem, parum, lenteque moueri.

Demum qui multum exercentur, pluribus & ſolidioribus ali-

 mentis,

mentis: qui parum, perpaucis & leuioribus veſci. Noctu autem A
magis, quàm interdiu dormire: ſi mane ſurgendi neceſſitas fuerit, niſi fameſcant, redormire: ſin noctu ſine ſomno fuerint, interdiu ſomnum capere: ſi fames non adſit, ante cibum, ſin vrgeat, poſt cibum; qui non lautus, non amplus, ſed perparcus, & valde frugalis ſit. nam ille veluti crapula cerebrum grauitet lædit, in quo etiam non vinum, quia caput in ſomno nimis replet, ſed aqua pota ſit: aut ſi hæc noceat, liquidũ quoduis, vtpote iuſculũ aliquod aquoſum, aut quid tale citra vinum ſiue dilutum, ſiue meracum. B

De indulgentibus gulæ, & deſidioſis. Cap. XXIII.

Qvi gulæ plurimum indulgent, deſidioſique ſunt, admonitione indigent, primum quod guloſi plerumque ſuũ corpus immodice replent: immoderata expletio deſidiam gignit. Non enim corpus, vbi plenum eſt, moueri, ſed quieſcere ſemper optat, deinde quod deſidia corpus hebetat, maturãque ſenectutem accerſit. Si ab iſta ſe implendi conſuetudine deſiſtere aut nolint, aut non poſſint, hos ne à crebra expletione ſuffocentur, oportet aluum perpetuo mollem habere, quæ nutrimẽtorum ingluuiei proportione reſpondeat. Si id ſatis eſſe non videatur, vere, & autumno, venis præcipue tumẽtibus, ex vena, quæ in cubito, ſanguinem ad ſemilibrã plus minúſve mitti. Quumq. veſperi, verbi cauſa, in cæna ſe ſe nimium impleuerint, poſtridie mane, ſi cibum, & potum abominentur, ſeque ſaturos adhuc ſenſerint (id namque his non raro euenit, quia vel fame indigere, vel D ſaturitatis ſenſu carere debent) neque prandere, neq. aliquid ſumere, ſed aut famem, aut ſaturitatis diſceſſum expectare. In hoc namque caſu, ſeruandæ conſuetudinis ratio habenda non eſt: quia natura per id tempus nihil poſtulat, abhorret omnia: ſed tum illa ſeruari debet, vbi vel fames iam orta eſt, vel natura capiendum aliquid exigit. Horum enim vel altero, vel vtroque præſente, ſi nihil homo ſumpſerit, apprime læditur: vtpote ſi quis prandendi hora, fameſcens, non prandeat, triſtis, ignauus, pallidúſque fit, ſæpenumero cænare nequit, & alia multa (quæ acutorum 2. ſcribit Hipp.) E patitur. Contra vero ſi propter heſternam à cæna expletionem, poſtridie mane ſe ſaturum ſentiat, nihilque prorſus appetat ſed prãdium ipſum dimittat, & famem expectet; in melius proficiet, cænam multo alacrius capiet, & ab imminenti expletionis periculo ſe ſe penitus vindicabit.

A Verum ſi aut capite doluerint,aut ructus nidoroſos ediderint, atque interim aluus ſpõte, ampliterq, ducatur(id enim ita ructan tibus vſu venire ſolet)quia ſæpius propter putredinem interea genitam,non leuiter ſitiunt,iuſculum aliquod,aut quid huiuſmodi, contraria ratione ſorbere.Putris enim inexiſtens materia, quæ vt caput ſuis acribus vaporibus ferit,ita,obcorruptos in vẽtre cibos, aluum mouet, nouæ accedẽtis mixtura primum contemperatur, ſubinde velut euicta,naturæ cedit,& ſitim moderatur, mox neq.
B caput perinde,ac antea ictibus ferit, neque aluum ſuis adeo validis punctionibus ad excernendum irritat: quumque prius ob intenſiorem corruptelam corpus nutriri non ſinebat, nunc quaſi retuſa,& naturæ tamquam affinis effecta, permittit.

Sed illud ſilentio præteriri nequaquam licet, quod interim aliqui imbecillitatem magnopere veriti,non iuſculum,neque aliud huius generis, ſed vinum dumtaxat potare volunt.: Ignari quod deinceps(vt experientia docet)multo grauius lædantur. Quippe
C vinum vt molles carnes efficit ſolidas ſimul,ac duras,ita epotum, putres in ſtomacho ſuccos reperiens,craſſiores reddit,ac firmat.

De ambitioſis,tum malis,tum bonis. *Cap. XXIV.*

HIs,quos animi ſollicitudo tenet, vbi ea magis intenditur, optimũ,& commune auxiliũ eſt,niſi abſtemij ſint, meracioris vini(vt ſupra de animi languore docuimus) potio. Cæterũ quia hæc omnis ſollicitudo (vt modo a nobis accipitur)
D ad ambitionem ipſam refertur,& ambitio,contentio quędam eſt, ad aliquid, prout videtur, acquirendum.atque hæc (vt Heſiodus diſtinxit) duplex eſt, ἔρις (videlicet) ἡ ἀγαθὴ, ἡ ἐπιμωμητὴ, καὶ χαλεπή: quod eſt,contentio vel bona vel culpanda, & pernicioſa. Hac affectos,quia peſſimi ſunt,inuidiaque,& odio pleni, ſe ipſos quotidie ſingulis horis torquent.Boni medici officium eſt, dum tales eſſe volunt, penitus negligere; perpetuiſque illotum tortoribus, inuidiæ ſcilicet & odio, vt ſcelerum ſuorum pœnas indeſinenter
E luant,relinquere. Altera vero præditos,quia probi viri ſunt,omni ſtudio,ac diligentia iuuare, ingeniaque inuenire quibus valeãt & ſani eſſe, & diutius viuere,vt continuis, & honeſtis eorum exẽplis, alios quoque ad hoc idem pariter inuitent.

Porrò maximum his præſidium erit, noctu,quoad fieri poteſt, prolixe dormire:id ſi aſſequi nequeant, clauſis oculis magna noctis parte quieſcere,ſimulq. ad ea,quæ ſupra de conciliando ſom-

no tradidimus,reccurrere:quum nihil ferme ſit, quod mentis curas efficacius,atque vtilius,quàm ſomnus ipſe,moderetur. Quippe qui vt ſol aerem ab inſolentibus vaporibus purgatum, purificat, ita ſomnus animam ab aſſiduis meditationum angoribus ligatam,quaſi è vinculis liberat,& veluti deficientem inſtaurat. A

Non parum item conducet,quotidie mane ante cibum recreandi cauſa,ſpaciatum ire,ad loca pręſertim aperta, quæ illorum animo arrideant, vtpote virentibus plantis,& aquarum riuulis ornata.Hæc enim vt oculos,ſic animum delectant:cum amicis ambulare, cum his de rebus non ſerijs, ſe aut iocoſis,aut amænis tractare:cum his eiſdem in conuiuio ſæpius eſſe:bis die cibum capere, & ſemper quàmplurimum, modo aluus lubrica ſit: neque labor, neque languor, neque triſtitia ſequatur: locum crebro mutare, inediam cauere,corpus plenum frequentius,quàm vacuum vt ſit, curare:copioſius bibere; muſicis, atque choreis aliquando intereſſe, ſolitudinem fugere. B

Qui neque cum alijs verſari, neq. aliud agere quàm ſpeculari, ſolique eſſe volunt(vt plurimi religioſi ſunt) hos non pigeat aluũ in primis,pro copia ingeſti cibi,mollem in dies habere.Id in opere, De aluo mollienda, ſatis explicauimus. Deinde illa ſæpius contemplari,quæ animum potius hilarem quàm triſtem,& afflictum efficiant. C

De mulieribus grauidis. Cap. XXV.

MVlieres grauidas,ſi primis menſibus(vt fieri ſolet)vomãt, non impedire,ſed ſinere. Quoniam ſolita menſtruorum vacuatio in his retenta, quum à fœtu tam paruo per id tẽpus abſumi non poſſit: ſimulque huiuſmodi excrementi, quod vomitu reijcitur,cauſa ſit: vt interim aliquo prorumpat, oportet. Vnde ante partũ, & in partu,tot labores,totq. moleſtiæ.Cõtra vero,ſi vomere permittãtur,& reliquũ grauiditatis tempus, & partũ ipſum,perquam facile ferunt. Sin ſponte ſua non vomant, ſed bene habeant,eas naturæ proprię relinquere, & minime turbare. Cæterum ſiue has, ſiue illas,quia rectæ incedunt, & animi affectibus valde obnoxiæ ſunt,ob quę multo prõptius,& ſæpius quàm brutæ fœminæ abortũ faciunt(Hæ enim pronę ſemper ſunt,& ab animi perturbationibus plurimum abſunt) obſeruare primis tribus menſibus,ſed præcipue primo, & ſecundo, ne nimium & ne grauiter,aut animo,aut corpore agitentur;quia tum ligamenta fœtus D E

nimis

A nimis & mollia, & ſolutu facilia ſunt, tum fœtus ipſe debilior eſt, quàm reſiſtere queat. Quo enim minus & ſenſu, & motu per hæc tempora pollet, eo ignauior, & ponderoſior, ita vt vel quolibet impulſu, velut inſigniter oneratus decidat, ſuo percuſſu membranas adhuc imbecillas frangat, & abortus fiat: magis autē primo menſe, quàm ſecundo, & magis ſecundo, quàm tertio: quoniam in hoc tertio vt promptius mouetur, ita leuior eſt: atque ita deinceps. Quarto autem, quinto, & ſeptimo, in quo ſpeciatim

B omnia firmiora ſunt, fœtuſque partibus magis diſcretus & grandior, & validior, & leuior eſt (nondum enim mole corporis onuſtus quemadmodum in octauo reperitur) moderate per aliqua tamen interualla, moueri, & exerceri poſſe. Verum octauo, quia fœtus valde tum plenus, tum grauis (vt proxime dicetur) exiſtit, minimo negocio tunicas, quibus continetur, dirumpit, penitus interquieſcere. At vbi nonum attigerint, vt fœtus ad exitum parari ſenſim aſſueſcat, quoque die mediocriter exerceri.

C Abortus autem octauo menſe, ſæpius contingunt, quàm alijs præcedentibus, excepto primo, & vlterius aut decem, aut paulo pluribus diebus. Non quia Saturnus huic menſi & primo præſit. Idem enim eiuſdem conſtitutioni, & deſtructioni præeſſet; nec quia menſis par eſt, nam & decimo menſe, qui par nihil minus eſt, ſimiliter abortus fierent: quod nequaquam vſu venire ſolet. An igitur hunc in modum fiunt? Septimo enim menſe fœtus gracillimus, atque extenuatiſſimus eſt, (id patet quia foras tū euā-

D dēs, talis ſemper inuenitur) neceſſarijs itē mēbris ferè iā abſolutus quidem eſt; ſed interſtitia quàmplurima intra eorū fibras, ſeu villos, ſeu alia corpora, quæ repleri oportet, ſortitur. Vnumquodque autem interea dum gignitur, natura ſua nutrimentum & copioſiſſime, & celerrime attrahere, vt quàm citiſſime creſcat, & perficiatur, exoptat. Quantum vero exoptat, interdum non attrahit, quia illud aut præſens non eſt, aut ſi eſt, propter ſui corporis exiguitatē plus capere non poteſt. Vbi vero poteſt, tum abundantiſſime &

E velociſſime trahit. Fœtus igitur humanus è menſe ſeptimo egrediens, ſubinde octauum attingens, vt vir magni ſtomachi valdeq; famelicus, oblato alimento, ſe ſe citiſſime & maxime infarcit: ſic id vberrimum in matris vtero, (vt primo, de gallico morbo docuimus) paratum habens, in ſe trahit, vt quum maxime, atque replet omnia: deinde vt ille propter nimiam expletionem, quia valde grauatur, & motui ſimul ac ſenſui ineptus redditur, in ſede, verbi cauſa pro-

ſa proſtratus dormiat, donec ingeſtus cibus concoquatur: ita fœtus (vt dictum eſt) repente plenior factus (quod innoteſcit, quia quouis die poſt ſeptimum nonumve octaui menſis, foras erūpat, valde tumidus cernitur) moleq. maior onuſtus, ſe ipſo multo grauior eſt, quàm prius erat: intra membranas, quibus circumducitur, quaſi ſoporatus & tamquam immobilis, quieſcit, ſpatioque & tempore indiget, vt quod aſſumpſit, maturetur. Id quod in hoc, dierum triginta (vt exiſtimant) in illo, plerumque horarum quinque, aut ſeptem, eſſe ſolet. Poſtremo vt ille ſi forſan importune agitetur, & cadat, percuſſum longe maiorem patitur quàm vbi minus ante comediſſet, minimeque nunc dormiret: ita hic ſi quid matri quæ hoc menſe (vt proxime dicetur) facta debilior eſt, ſiniſtrum accidat, cuius cauſa tumultus aliquis effatu dignus in vtero fiat, grauiore lapſu ruens, membranas rumpit, foras exit, & abortus fit: quoniam tempus, & ſpatium maturationis interceptum, non ſinit eum abſque pernicioſa corruptela durare, quemadmodum fructibus aliquibus euenit, qui dum ad maturationis finem accedūt, intēpeſtiue legūtur: cito enim marceſcunt & abolentur. A B C

Hinc grauidę octauo mēſe ſe ſe plerumq. imbecilliores, quàm præcedentibus menſibus experiuntur, vtero ægrius gerunt, mammas ex turgidis quaſi collabentes præſeferunt. Nono autem contra, validiores fiunt, mammæ tumeſcunt, vterum facilius ferunt, & partum ob id ad menſem decimum, vndecimumve interdum producunt. Illico enim vbi fœtus humani, ſeptimo menſe (vt diximus) abſoluti ſunt, ſe ſe replent, quantum eorum tunicæ naturaliter extendi queunt. Poſtquam huc deuentum eſt, quemadmodum capi ſaginati, ſeu dicas altiles, quū ſe ſe penitus infarciuerunt, tum longe minus alimenti capiunt: ita hi ſimul atque corpus vniuerſum quāto maxime amplificari potuit, attracto matris alimento, ſe ſe impleuerunt, tum & minus, & non ita multum, vt antea, nutrimenti hauriunt: quod nono menſe paulo prius, aut poſterius in Europa contingit. D

Menſe igitur octauo, quia fœtus à matre nimium alimenti ſurripit, mirum non eſt, ſi ea interim debilior exiſtat, ſi fœtum immodico alimenti pondere onuſtum, iam grauiorem ſentiat, ſi mammas quoque flaccidas habeat, ſi denique propter ſuam imbecillitatem ſimul ac nimiam fœtus grauitatem, data per id tempus occaſione, abortum facile patiatur. Menſe autem nono, quia fœtus quanto plenior ante factus eſt, quantoque minus alimenti nunc E

trahit

A trahit, tanto plus eius matri relinquit, quum hæc illius valde indiga ſit, vt illud ſibi paſſim apponere non ceſſat, ita ſenſim roboratur, atque validior fit, ſubinde fœtum leuius, & quandoque diutius geſtat. Si namque idoneum alimentum non deeſt, aliquando in menſem decimum, & vndecimum partus differtur: ſin parum ſubeſt, breui interuallo acceleratur.

His de cauſis grauidæ octauo menſe imbecilliores fiunt, mammas graciles plerumq. ſortiuntur, & abortum faciunt: contra, no-B no, robuſtiores euadunt, agiliores ſunt, mammas tumidas habēt. Cæterum alia ratione, prope aut abortum, aut partum, mammæ tam in his quàm in illis concidunt. Natura enim quum fœtū expellere conatur, tum ſimul omnia cum illo interea temporis foras emittere tentat. Quo fit, omnibus deorſum ruendi ferè impetum habentibus, vt mammæ non turgidæ, ſed extenuatæ per id tempus appareant.

Hactenus de mulieribus grauidis quomodo regi debeant; & C quur octauo menſe ſæpius abortum faciant.

De nuptis, ac de multa prole. *Cap. XXVI.*

NVptæ autem in hac vrbe crebrius, quàm in multis alijs locis, implentur; quoniā vt hic terra fertilis, & brutæ feminæ feraces, ita mulieres fœcundæ, quæ tamen cum vitis ſuis, non vt meretrices cum infinitis, rem habent: hæ namque frequenti hominum admiſſione, crebroque inuicem alliſu, interdum vte-D ri os calloſum ſortiuntur, adeo vt deinde ſemper hiet, quo circa neceſſe eſt ſeminis intra vterum recepti ſpiritum non retineri, ſed foras per eius os patulum proſilire, & euaneſcere. Id quod in his potiſſima ſterilitatis cauſa eſſe videtur: ſi quæ tamen concipiunt, hæ aut neque cum adeo multis miſcentur, aut neque ſæpius obnixe mutuò agitantur. Sed ad propoſitum reuertamur. Fæcundiores igitur ſunt in hac vrbe mulieres (vt diximus) nuptę; quoniā Roma locus eſt humidus, & plerumque tepidus cum alimentorum E cōmoditate ſimul & copia. Huiuſmodi namque locus tamquam veriſimilis eſt, in quo ſata melius fructificant, & fæminæ prōptius in vtero gerunt: quippe qui propter commodum, & redundantē alimentorum apparatum, animalia vel non appetentia ad comedendum inuitat. Quamobrem ſeminis plurimum vt coaceruent, oportet; ſiquidem ſemen alimenti redundantia eſt. Data vero cōiungēdi occaſione, perquàm facile concipiunt. At in alijs locis id

ſecus

ſecus euenit,quoniam aut alimenta deficiunt,aut nimis ærumnoſe viuunt. A

Ex his ſtatim conſtat,cur puellæ, & pueri plurimi hic quoque ſint. Verum hi ne in morbos incidant,maxime animaduertendum eſt. Valde namque procliues ſunt, vt incidant, ſi timor aliquis vehemens his incutiatur.Quia enim imbecilli ſunt, minimo negocio multum timent,mox prompte liquantur. Nam propter mollem & teneram eorum ſubſtantiam,cito diſſoluuntur;quod illinc innoteſcit, quia interea, dum timore ſollicitantur, plerique inuiti quidem, ſed perquam facile aut mingunt, aut egerunt,aut vtrumq. patiuntur: ſubinde in articulorum,aut auris aut alterius particulæ dolorem,aut etiam in febres cum periculo mortis(vt ſæpius experti ſumus)incurrunt. Neque permittendi ſunt, plurimũ in Sole morari; neque valde admodum exerceri: procliuius enim diſſoluuntur,liquefiunt,atque tabeſcunt. His quoque conducit, ſi multum comedant, vino abſtinere: ſi parum,valde dilutum bibere;ſi aluus aſtricta ſit, aliquanto magis;ſin mollis, paulo minus. Dormire quinetiam, & comedere,quantum voluerint, dummodo ab his euidenter lædi non videantur. Crementum enim illorũ inſigne, quàmplurimum & nutrimentum, & ſomnum requirit. Aromata,petroſelinumq. ſpeciatim fugere: illa enim calefaciunt ſimul & liquant, id capitis dolorem, & epilepſiam, cui plurimum obnoxij ſunt, mouet. Nutricem quoque ab eodem nihil minus abſtinere, quoniam vt nutrimenta natu maiores inſigniter inuertunt, ita nutrix infantem lacte ſuo,(quod vbi varium eſt perſpicuũ fit)magnopere permutat:proinde à matre potius,quàm ab alia muliere nutriri. Quemadmodum enim, Ariſtotele auctore,aſinum qui equam,quàm qui aſinam ſuxerit,altera equam magis recipit, quia forſan equi naturam is ab equino lacte præſefert: ita puer ab aliena muliere nutritus,naturam,& mores huiuſmodi plerumque retinet:alioqui ſi ex meretrice, improbaque muliere naſcatur,præſertim vbi puella eſt,non matris, ſed alicuius probæ lac ſugere debet.Denique illecebris,& pudore ac liberalitate magis eos(vt dicunt)educare,quàm metu. B C D E

Senes tam mares,quàm fœminas, quia ſiccam aluum (vt Hipp. inquit)magna ex parte ſortiuntur, debilique calore ſunt, alimentis liquidis ſæpius quàm ſolidis,ſiccisve, vti. Hæc enim facilius vincuntur,atque diſtribuuntur,mollemque reddunt aluum:quæ tria ſenibus ipſis maxime neceſſaria ſunt. Conſueta item omnia

ſequi,

A ſequi,modo nocumentū inſigne afferre nequeāt:quemadmodū crebrius coire, multo meraco impleri, crapulari. Hæc enim quia natura non tolerat,ferè penitus derelinquere; quippe coitus quū abſque ſemine naturaliter non fiat, ſemen vero alimenti optimi, & vltimi redundantia eſt, quæ nimirum in ſene aut defecit, aut deficit:quanto frequentius fit,quia nutrimentum optimum alioqui nunc internis membris pro ſe tamquam neceſſarium retinentibus, ſurripit, tanto citius mortem accelerat. Ebrietas autem &
B crapula, quoniam à partibus,quæ nūc ob contractas rugas anguſtiores ſunt, non perinde,atque prius,admittuntur, laborem non leuem inducunt,qui deinde frequens exiſtens,vires ipſas propter ſenectutem imbecillas reperiens, eaſdem celeriter demolitur, & aufert,ſæpeque aut ſubitam mortem,aut infenſiſſimam epilepſiā, aut longam paralyſim accerſit.

Quæ debeant iuuenes, & mediæ ætatis viri: quæ item mulieres innuptæ ſeruare, quod ad rem præſentem attinet, illi quidem
C in his, quæ proxime narrata ſunt, citra pueros, & ſenes. Hæ vero in his eiſdem,nullo prorſus excepto,comprehenduntur.

Diximus hominibus,qui Romæ ſunt, vt ægritudinem vitent, quid agendum ſit,quoad eorum ſortem,aut habitum, aut inſtitutum,aut conditionem,aut mores,aut ætates.

De Quadrageſima, & vere. Cap. XXVI.

D SEquitur de victu,quo hic vtuntur,ne in morbos incurrant, vt loquamur. Primum vero de Quadrageſima. Quamquam enim Romæ quia nutrimenta in magna mole parum nutriūt ſupra monuerimus, longe plus hic,quàm in multis alijs locis,eſſe comedendum. Tantum tamen abeſt vt id in Quadrageſima teneri debeat, vt contrarium omnino ſit agendum.Hæc namque ſi rite celebretur, quia ieiunijs,& alimentis,quæ perquam modice alunt,homines ipſos extenuat: vere autem illa frequentatur, quo
E tempore corpora per hyemem impleta, inaniri poſtulant, tanto magis vtique ſeruanda eſt,quanto minus nutriunt cibi,qui per id tempus in ea ſumuntur.Hoc enim pacto ſenſim abſque vlla prorſus noxa homines repurgantur:qui alioqui medicamentis euacuati,ſæpe cum magno vitæ periculo mortem effugiunt.

De his, quæ Quatuor tempora vocantur. Cap. XXVII. A

EAdem ratio, quæ in Quadrageſima, in eo etiam temporis ſpatio, quod Quatuor tempora, noſtra religio nuncupauit, ſubſtinenda eſt. Quia enim tum ſolitæ anni conſtitutiones mutantur, mutationes vero temporum (vt inquit Hipp.) pariunt morbos, expedit in his ſingulis, quæ quater in anno contingunt, ſpeciatim aut ieiunare, aut ſobrie, perparceque viuere, vt ſi qua noua mutatio ſuperuenerit, corpora minus plena reperiens, minus B
offendat. Interim tamen tum in his, tum in Quadrageſima, non vehemẽter exerceri: quo enim leuiora ſunt nutrimenta, eo leuius eſt agitandũ corpus. Vere igitur, & ſingulis anni ſpatijs, quæ Quatuor tempora nuncupantur, vt religio prouidit, ita nos illam imitati aliquanto parcius, quàm alimentorum natura expoſcat, bibere, & eſſe debemus: illud quidem vt ſuperflua hiberno tẽpore coaceruata, paulatim euacuemus: id vero vt ſuperaccedentem cæli mutationem, homines tamquam expiati deuitent. C

De victus moderatione in alijs anni temporibus, quo Romani vtuntur. Cap. XXVIII.

IN alijs temporibus aliquanto plenius quàm tenuius victitare, ferè numquam in hac vrbe noxium; ſæpius vtile. Tum quia (vt toties diximus) alimenta, in magna mole parum nutriunt, tum quia in his, quę ſuperant, ſi morbus accedat, eſt quod ille demat; in his, quæ deſunt, non eſt quod ipſum morbum ferat. D

Cæterum piſces, ſalſamenta, aromata, valde frugaliter ſumere: illos quidem, quia frigidi ſimul, & nimis humidi exiſtentes, plurimam pituitam gignunt, caput replent, deſtillationes mouent: hęc vero, quia hominum ſubſtantiam, ob alimentorum vſum, quàm in alijs pleriſque locis molliorem prompte liquant, & extenuant.

Agnos poſt Paſcha quibus veſcuntur, grandiores eligere, & quoniam humidi ſunt, aſſos potius, quàm elixos mandere: elixos quidem, additis aliquibus, quæ ſiccent, vtpote ſalitis carnibus, aut E
menta, maiorana, petroſelino, & huiuſmodi: aſſos autem rore marino potiſſimum adiecto: nam id plurimis arridere ſolet. Quod quamquam ſupra vbi ſcribi debebat, impreſſoris incuria prætermiſſum eſt: & huic loco nunc interſerere, intepeſtiuum eſſe videtur: minus tamen ineptum erit, id ipſum, prout ibi recẽſere oportebat, hic enarrare, quàm ſilentio penitus in hoc toto opere tranſire.

A ſire. Id igitur libanotis, coronaria nuncupatur, attenuat, incidit, (Galenus inquit) & abſtergit, calefacit, flatum diſcutit, comitiales (vt exiſtimāt) & paralyſi affectos iuuat, hepatis, ac lienis obſtructiones reſerat, morbū regium curat, viſum acuit, vrinā ciet, menſtrua mouet, alba vteri profluuia emendat, aluum cohibet, bonū oris odorem, vbi aliquantum in illo verſatur, efficit; condiendis cibis, vt ciceri & carnibus aliquibus tam aſſis, quàm elixis confert; pituitoſum vomitum moderatur, ex maſſa triticea fermentata cū B illa panis conficitur, hyeme ventriculum frigidum & humidum corrigit. Flos eadem omnia poſſe creditur. Sed eo, vnde diſceſſimus, reuertamur.

Caſeum igitur expedit non niſi valde robuſtis, & his qui magnis laboribus premuntur præbere, vt baiulis, & ruſticis quibuſdam, copioſum: alijs vero perquam modicum.

Æſtate carnes bubulæ, magis iure, quàm propria ſubſtātia proſunt, proinde frugaliter eſitandæ: hyeme vero, quia ſolidos cibos C facile conficimus, tutius edi poſſunt.

Caules, quoniam à Catone laudibus adeo extollebantur, iccirco forſan etiam æſtate in vſum venerunt. Sunt tamen non parum noxij, præſertim ſi prius aqua elixi, vt pleræque mulieres faciunt, deinde iuſculo vnà cum carnę incoquuntur. Quod enim ex illis aluum mollit, in aquam abſumitur; quod autem aſtringit, intus relinquitur.

Vbi ergo aqua elixi ante non fuerint, neque prohiberi queat D quominus edantur, eorum iuris multo plus, quàm ſubſtantiæ ſumendum; æſtate namque illorum corpus ægre concoquitur, magis calefacit, neque raro febrem accendit.

Fructus ſi aluum molliant, numquam obeſſe ſolent: modo ſimul alia nutrimenta, quæ melius alant, accipiantur.

Apud vineas æſtate, ſi ſolē, ſi auſtrum, ſi veſpertinum frigus caueant, diem vnū aut alterum, aut etiam plures manere nihil nocet.

Sane conuenit, vina niue, ob maximum æſtum, refrigetare, ſed E non niſi bona cibi parte prius aſſumpta, potare.

Autumno, & in reliquam hyemem, caſtaneas vbi conſtitutio humida fuerit, quoniam ſiccant, minus noxias, interdum etiam vtiles eſſe.

Vuas vero & porcinas carnes, vinumque Romanicum recens, contra: quia nimis humida ſunt, niſi conſtitutio ſicca fuerit, minime proficere.

Denique religioſos omnes, quia nocte inclinante ad matutinũ ſurgunt, aliquanto parcius cænare, quo cibum facilius, & citius cõcoquant, minuſque cruditatis coaceruent. Iuuenes item omnes ab anno decimooctauo vſque ad trigeſimumquintũ paulo prius, aut poſterius, niſi quid impediat, vere, & autumno ſibi ſanguinem mittere; vere quidem paulo amplius; autumno autem paulo minus. Id quod ſi diligenter ſeruauerint, reliquam vitam bene ſani ſępenumero tranſigunt: alioqui non pauci tum per id tempus vel in tuſſim moleſtam, vel in aſthma, vel in ſanguinis ſputum, deinde in phthyſim incidunt, tum per aliud ſubſequens, valde morboſi redduntur. A B

Ex his, qui toto anno, & qui aliquo temporis ſpatio non niſi ea, quæ in Quadrageſima ſumunt, illos ſemper, hos eo tempore ſępius quieſcere, parum exerceri, per æſtum ſalſamenta cauere: vinũ, ſi caput tolerat, potentia bibere, ſed æſtate magis, hyeme minus diluta. Qui cæteris cibis citra carnes aliquando veſcuntur, hos per id tempus & crebrius, & magis exerceri, vina leuiora potare, caſeum ſi forte ſedentarij ſunt, perraro, & per quàm modice capere, lac & ex lacte confecta, ſi aluum ducant, non renuere, aluo molliendę potiſſimum ſtudere. C

De communi in vrbe Roma nutricatu, tot dicta ſufficiant.

LIBER

A LIBER QVINTVS.

De vita producenda, & Senectute proroganda. Cap. I.

QVO pacto vita eorum, qui Vrbem hanc incolũt, paulo vlterius, quàm ſoleat, produci queat,
B nunc dicere tentandum. Quamquam enim id aſſequi valde arduum eſſe videtur, in aliquibus tamen quum experientia, & arte compertum ſit, fieri poſſe: nobis vitio vertendum non eſt, quibus ingenijs id ipſum contingat, ſi hoc loco nunc explicare ni tamur. Primum eſt igitur obſeruatio eorum, quæ prodeſſe, aut obeſſe conſueuerunt: vt quę obſunt, ſemper fugiamus; quæ iuuant, quatenus ita ſe ſe præſtant, perpetuo ſequamur. Eadem enim ali
C cui noxia, alicui proficua ſunt. Deinde continentia, in his, quæ in exceſſum facile tranſeunt, vt animi affectiones, ac voluptates ſunt. Præterea conueniens partium omnium nutricatio, quippe quæ tum conueniens eſt, non ſolum ſi ex bonis alimentis comparetur, ſed vbi quis, quantum eius natura patitur, ſe ſe corpore exerceat, & animi perturbationes, quoad fieri poteſt, effugiat. Nam vt congrua corporis exercitatio alimentum ad vniuerſas corporis partes perfert, illaſque pleniores reddit: ſic contra, animi perturbatio in
D ſignis, naturam ab alimento quominus alat, reuocat, & corpus ipſum tabefacit: quamobrem vbi quis bene nutriri cupit, is plantá imitari debet, quę neque ſentit, neque dolet, neq. cogitat, ſimulq. Soli & aeri aperto pro ſua natura expoſita eſt. Hæc enim quoad indiget, atque paratum habet alimentum, bene nutriri numquam ceſſat; mox pulchra, pinguis, & ferax euadit. Sol & apertus aer, exercitationi: non ſentire, nõ dolere, nõ cogitare, animi perturbationum carentiæ reſpondet. Poſtremo calidum innatum quanto ma
E xime fieri poteſt, ſubſtinere; id quoniam humido ſubſiſtit, diligenter obſeruare quominus cito multum exiccetur. Huc enim vbi deuentum eſt, rugoſa ſenectus, & marcedo, Græce μαρασμός, ſubinde mors ſequitur: propterea quoque expedit, numquam immodice exerceri; numquam ſitim, quæ potu facile extinguitur, diu pati, numquam fami, quæ quum exempta eſt, reficimur, non obedire. ſingula namque valde ſiccant.

Itaque

Itaque ſatis conducet, ab infantia vſque ad pubertatem; quæ (vt exiſtimant)in mulieribus anno duodecimo;in maribus decimoquarto, incipit: quemadmodum natura permittit, ita viuere. Siquidem naturæ impetu & ad nutricatum & ad exercitium per id tempus vocamur. proinde neque in hoc ſtatuendo, neque in illo adhibendo,tot tantiſque ſtudijs(vt plerique præcipiunt)opus eſt. Summa enim diligẽtia in hoc ſtatu, ſæpenumero nocet:quãdoquidem natura(vt diximus)in hac ætate nos regit:ab exceſſu nimio dumtaxat timendum eſt. Sed ſilentio minime prætericrim, infantes minores duobus annis,niſi benè comedãt,verno tempore(vt nutrices pleræque faciunt)ablactandos non eſſe: quoniam ij circa finem æſtatis à calore nimio reſoluti,aut parum comedũt, deinde tabeſcunt,atque deficiunt: aut nimis potant; cuius cauſa ventris fluore malo capiuntur & pereunt. Pueros vero qui nimiũ comedunt,aquam bibere debere:à vino enim qui nimium comedunt,læduntur.Sed ad propoſitum reuertamur. A B

Vbi pubertas,ſiue dicas adoleſcentia,irrepſit, ſemenq. mouet; tũ à coitu, donec illa firmata ſit,quod anno vigeſimoprimo plurimum cõtingit,quanto maxime fieri poteſt,abſtinere: ſiquidem interim & euidenter, & multũ natura creſcimus, id quod hoc tẽpore concubitus præcipue nimius,non parũ prohibet.Quippe illius abſtinentia, non modo amplius, & cumulatius augeſcimus, ſed etiã pulchriores,ac robuſtiores in poſterũ euadimus. Ita enim nutrimentum optimũ vltimũ,quod alioqui redundans in ſemen abit,in augmentum partium adhuc ſatis mollium,ſi coitus aut dimittatur,aut certe moderetur,aſſumitur:& magis continentes interea dum abſtinemus, efficimur.ob quod minus ſæpe in concubitu,cuius cupiditas nos plurimum fallit,erramus.Quo nihil prorſus ad vitam producendam efficacius eſt: quandoquidem concubitus importunus, ipſius vitæ ſpiritum,& alimentum,quod proxime nutriendo eſt,exhaurit. C D

Poſtquam vero ad vigeſimumprimum annum deuentum eſt, tum vſque ad decrementi principium,quod communiter ad annum trigeſimumquintũ aut ad quadrageſimumſecundũ,aut etiã quadrageſimumnonum plus minuſve extenditur,cremento corporis alimenti nimietatem,quæ quotidie cumulatur, credere periculoſum eſt.Nam interim quum neque ita manifeſte,neq. adeo velociter,vt prius augeamur, propterque cõſuetudinem,perinde atque ante,affatim & potemus & comedamus: niſi ſuperfluum E

A quod relinquitur, euacuemus, neceſſe eſt, id intus exiſtens intenſius putreſcere, ſubinde corpus vniuerſum aucta putrefactione magis areſcere, quod vitæ producendæ omnino contrarium eſt. Statuere namque oportet, corpus noſtrũ veluti flunium eſſe, qui continuo aquatum receſſu, alia aliam pellente, ſeruatur: alioqui ſi aqua retineatur, putrefit; putrefacta deinde corrumpit omnia, vegetari deſinit, viuacitatem, comparate dicam, amittit. Crementũ ergo in hoc interuallo quia obſcurum eſt, neque adeo vt prius feſtinat, quum alimenti redundantiam abſumere nequeat, aliò mentem vertere, vt ſuperfluum inaniamus, oportet. Id ſi quis compendij facere volet, ad tria, quæ alimentũ nimium, vel ſtatim, vel conſequenter euacuant, non inepte reducet.

B

Primum eſt, aluum quoad fieri licet, mollire; cutiſque meatus, quatenus opus eſt, reſerare, vt nutrimentorum exuberantiæ vacuandæ ſufficiat: alioqui retenta intenſius putreſcunt, & ſiccant.

Secundum, quia ſolidiora & firmiora ſunt membra omnia, ſuperfluaque plurima, quominus inſint, prohiberi nequit; vehemẽtiorem exercitationẽ, quippe quæ ſatis euacuat, frequentare. Hæc eſto, quam natura, ætate præcedente ſibi parauit, quæ quum conſueta ſit, vt minus infeſtare ſolet, ita quoniam naturæ impetum imitatur, magis prodeſſe poteſt.

C

Tertium eſt (niſi ieiunijs, & ærumnis corpus extenuetur) cito quidem nubere, ſed concubitu tempeſtiue vti: qualis eſt, quem corporis leuitas, ſpirandi facilitas, & animi alacritas ſequitur. Ob copioſum enim nutricatum, alimenti vltimi, & optimi nimietas ſupereſt, quæ vt aliàs in corporis velox augmentum vertebatur, ita nunc quoniam homo ſæpe aut lente, aut parum, aut nihil vtique creſcit, in ſemen ipſum conuertitur: quod niſi vacuetur, intus grauiter corrumpitur, hominem peſſime afficit, corporis arefactionẽ maturat. Sed opportuno (vt diximus) cõcubitu foras excretum, quia hominem ante grauabat, onere ſuo leuat. Et quoniam pudenda, thoraxq. ſibi inuicẽ reſpondent (cuius cauſa ſemen redundans, ſpirationem frequenter impedit) melius etiam ſpirare facit: & ab his malis vt liberat, ita eiuſdem animũ ſimul exhilarat. Ab anno autem quadrageſimoſecundo, ſiue (vt quidam innuunt) quadrageſimonono ad vſque ſexageſimumtertium aut etiam citerius, Græce ὠμογέρων latine crudus, viridiſve ſenex dici poteſt: hæc quidem ſingula paulo minus ſequi debet; ſed quanto vicinius ad ſexageſimumtertium accedit, tanto rarius agere. Ab hoc homo

D

E

homo iam ſenex eſt. Hic ergo ſi aluum, quia ſeni magna ex parte ſiccatur, ſibi aſtringi numquam permittat: Si apertos cutis meatus, per quos alimenta, quæ redundant, prompte quoq. vacuãtur, habeat, ſi nec veneri indulgeat, nec edentulus ſit, ſed bene comedat ſimul, ac exerceatur, annum non modo ſeptuagenum, ſed centeſimum, & vltra etiam, attinget, congruaque iuxta ſenium ſanitate fruetur. Sæpe vero non attingit, quia dictorum aliquid ſępius aut adeſt, quod abeſſe deberet; aut abeſt, quod adeſſe melius eſſet. A

Sanè homo vſque ad crementi finem, naturali humido conſtat, vbi vero decreſcit, tum exiccari, & eo humido carere incipit. Illud aliqui anno quadrageſimonono: id quoad ſenectus naturalem viuendi terminum attigerit, finiunt: quippe qui multo ſecius, quàm crementi terminus ſeſe habet. Hic enim in ſingulis hominibus, quantum hactenus compertum eſt, anno quadrageſimonono ad ſummum circunſcribitur; ille vero longe amplius extenditur. Siquidem vt Indarum hiſtoriarum ſcriptores perhibent, alicubi ad annos centum & decem, centum viginti, centum & vigintiquinque: alicubi paſſim ad centum & quinquaginta: in aliquo ad trecentos, & forſan vlterius producitur, prout homo aere magis purificato, & victu, qui eius naturæ congruit, magis apte, minuſve vtitur. Quin etiam apud nos hac noſtra ætate, annos quidam vixit centum & quinque, alter centum & vndecim, tertius centum & vigintiunum, quos recenſui, non quo plures alij non extiterint, ſed quo ij mihi potiſſimum noti fuerint. B C

Itaque poſt ſexageſimumtertium iam vere ſenex exiſtẽs, debet ventrem, quoad natura patitur, alimentis plenum, quoniã in magna mole patum in Vrbe nutriunt, crebrius, quam vacuum habere: vt noua nutriendi materia paſſim ſuppeditetur. Hæc enim potiſſimum humectat, & corpus cito ſiccari nequaquã ſinit. Id præſtabit aluum quotidie, pro copia ingeſtorum alimentorum, inaniſe & per cutim exhalationem, vaporationemve excitare. (ne alimenta diutius retenta, quia hic valde velociter putreſcunt, formidatam ſiccitatem magis amplificent) ſimulque conſuetis quidem in alia ætate exercitationibus, ſed paulo remiſſius, vti. Neque his credendum, qui ſenibus exercitium interdicunt; quoniam id (vt infra clarius apparebit) tanto magis neceſſarium in his, quàm in alijs ætatibus eſt, quanto plus alimenti propter crementum in illis natura diſtribuit, ſimulque ad exercitium quando poteſt, inuitat. In his vero contra, quo minus tum digerit, tum ad motum excitat, D E

A citat, eo magis eſt ipſius artis vtrumque ſupplere. Crementi namque tempore quamquam homo ſatis habet humidi, adiectione tamen alimenti ſemper indiget, vt augeri amplius queat. Alioqui ſi alimentum aut deficiat, aut per corpus non digeratur, vehementer minuitur, ſiccatur, intempeſtiuam ſenectutem accerſit. Illud medici non multifaciunt, quum operoſum non ſit, alimentum porrigere, ſi forte non offeratur. Hoc exercitatione potiſſimum, & commoda per cutis meatus (ita dicam) tranſpiratione aſſequi
B conantur. Huius cauſa tot exercitationum differentias commenti ſunt, quot ipſi ſuo ingenio inueſtigare, & à gymnaſticis habere potuerunt, eaſque ſingulas cum tanta nimirum cura, & ſtudio adhibent, vt ſi quid etiam leue delictum committatur, id grauiſſimũ eſſe prædicent: quum tamen in nullo minus, quàm in his, vbi delinquitur, noxæ ſit. Siquidem in ipſo creméto quod ſenſui patet, diligentiam magnam animal, vt exerceatur, non exigit. Natura enim quando id opus eſt, docet. Pueri namq., vt hædi, quum pe-
C dibus ſtare queunt, tum ſtatim cernuntur huc illuc currere, ſaltare, aut modo alio moueri, prout illis promptius, commodius que cedit. Sanguis namque dum intus augetur, ſubſultat, eleuatur, vaſa implet, cogitque animal quàmprimum poteſt, non ſolum extendi, ſed modis diuerſis huc illuc agitari.

Cæterum pueri & intra vterum, & in faſcijs etſi creſcunt, ita tamen non agunt: quia per eorum inſtrumenta nondum licet. Ex quibus aperte videtur, eos hallucinari, qui exercitium, propter
D augmentum corporis, inſtitui contendunt: quoniam in ipſa quiete creſcit, tum fœtus in vtero, tum infans extra vterũ. Quid, quod innumeræ plantæ, loco immotæ abſque huiuſmodi exercitio augentur, vt malua, cannabis, cucurbita, cucumis, & infinitæ aliæ? Contra vero in decremento etſi humidum deficit, & ſiccitas in eius vicem ſubit, atque animal ob id naturaliter non moueri, ſed quieſcere magis optat: exercitium tamen, tam neceſſarium eſt, quàm natura, nec ad illud ſecus quàm in ipſo cremento impellit,
E nec ad alimentum diſtribuendum, nec ad eius excrementa vacuãdum ſatis eſt.

Neque ille hanc contra ſententiam recte ſentit, qui exercitiũ ſenibus quum decreſcant, interdicit quia illud exiccat: decrementum vero per ſe ſiccum eſſe, cui ſi alterum exiccans addatur, ſiccitas ita in illo creſcit, vt multo celerius, quàm natura ferat, hominẽ in maraſmum, ſubinde in mortem deducat. Proinde ſenibus vt,

 humi-

humidum ſibi cõſeruent, quiete magis, quàm exercitio opus eſſe. A
Nã longe aliter, quàm is opinetur, ſe ſe res habet: ſenibus enim prohibito motu, imperata quiete, tantum abeſt vt eorum ſubſtantia humidior ſeruetur, vt ſiccior impendio magis reddatur. Quippe homo niſi paſſim alatur, viuere deinceps neutiquàm poteſt. Nulla vero alimenta cum excrementis non ſunt: nulla item quoniam homo ſæpius aſſumit nimium, nõ ſuperflua ſæpius exiſtũt; hæc niſi foras eijciantur, intus retenta, intenſius putreſcunt, putre facta quo diutius in corpore morantur, illud eo magis exſiccant. B
Vitiata enim qualitate afficiuntur; quamobrem ægre trahuntur, & tandem aut male, aut omnino non alunt: quo fit ſi ſenes non motui, ſed quieti potiſſimum incumbant, vt multo magis exiccẽtur, quàm ſi moueantur: quoniã aut ægre, aut perparũ nutriuntur.

De ſenis exercitio. Cap. II.

ID, quod hunc etiam in modum clarius innoteſcet, ſi conſiderauerimus, & puero, & adoleſcenti, minus quam ſeni, C
exercitio opus eſſe. Siquidem in illis crementi vis, exercitij vicem ſubit, & vbi exerceri queunt, ad exercendum (vt antea diximus) impellit, diſtributionemque alimenti, & reiectionem excrementi parat ſimul, & efficit.

Id quod ſequitur noua, & crebra nutrimenti ſumptio, quæ corpus aut humectat, aut etiam auget. Seni autem contra, valde neceſſarium eſſe, vt videlicet labens illius humidum, quanto maxime fieri licet, ſuſtineatur: ſed quia neque eius natura, quæ quotidie D
pigra magis euadit, neque decrementi vis, quæ in dies defectum acquirit, neque omnino aliquid, quod intus in eo eſt, præſtare id poteſt, aliquid extrinſecus ei adueniens, vt id agat, oportet. Huius generis etſi multa præter alimentum ſunt, vt fotus, vt dulcis aquę balneum, vt circunfuſus aer, vt Sol, vt calor, vt exercitium, & alia huiuſmodi: nullum tamen ſecurius, & vtilius, paratuque ac moderatu facilius, quàm exercitium eſt. Senex enim vt diu viuat, & ſanus degat, ingeſtum alimentum vt facile diſtribuatur, & eius ex- E
crementum, quo alteri ſuperaccedenti cedat, foraſque melius eijciatur, maxime omnium poſtulat.

Hæc eadem quo nullo alio quàm exercitio aſſequi ſalubriter, ac tuto poteſt. Id enim ea quę ab alimẽtis ſuperflua relinquuntur, antequam eorũ putrefactio magis intẽdatur (quod vbi plus ęquo per quietem retinentur, contingit) è corpore foras excludi motu frequen-

A frequenter citato cogit, nec veteraſcere ſinit: quo vbi deuentum
eſt, dum illa, quæ ſenem intenſiori putrefactione propter nimiam
moram aſcita, intus magis exiecant, amouentur, noua in eorum lo
cum ſuccedunt: quæ ſi antequam vlterius corrumpantur, opportu
ne citato motu euacuentur, tantum abeſt, eum vt ſiccent, vt immi
nentem à decremento ariditatem retardent, & pro vehementiori
ſiccatione, quam vbi diutius retinentur, efficiunt: vt multum are-
ſcere contraquam natura ſoleat, non permittát: immo ferè hume-
B ctent, vegetam ſenectutem ſubſtineant, atque in longius tempus
producant. Quod noua nutrimenta ſi celerius diſtribuantur, hu-
mectent, exemplo ſunt infantium nutrices, quæ antequam lactét,
graciles ſunt; poſt vero quum lác plurimum præbeant, multumq.
alimenti, quod capiunt in lác ſuctum abſumant, dum abundè co
medunt, & bibunt, ſeque nouis, & crebris alimentis infarciunt, ple
næ, pingues, & pulchræ ſimul fiunt. Hinc quoque pueri, qui ſæpe
comedunt, meliori, ac pleniori habitu plerumque ſunt: qui cótra,
C minus ſępe ac raro, ij macilenti, graciles que videntur.
Cæterum homo non potuit cuirare, quominus ſiccaretur, tabe
ſceret ac tandem arefactus naturaliter periret, quoniam continua
nutrimenti putrefactione (vt in opuſculo, De calido innato, decla
rauimus) ariditas quæ hanc perpetuo ſequitur, prohiberi nequit,
quin ad extremam ſiccitatem perueniat; qua de re animal vnum-
quodque ſubinde tabeſcens, neceſſario deficit. Quamquam enim
alimenti permutatio, concoctio eſt: quia tamen niſi alimentum
D naturaliter corrumpatur, fieri nequit; hinc fit vt parte, qua viuenti
congruit, concoctio; qua vero alimenti ſecundum naturam cor-
ruptio, vt putrefactio nuncupetur.
Iam ſatis conſtat quàm neceſſaria ſeni ſit exercitatio. Atque ex
his non obſcure intelligitur, exercitationis duplex in ſumma ge-
nus eſſe, alterum quod natura ſiue dicas ſponte, vt in pueris, & ado
leſcentibus: alterum quod arte, vt in his, qui naturaliter decreſcút,
& in ſenibus fit: illud vt ſuccedat, nó alio eget, quàm natura: quo-
E niam ab hac dum poteſt, ſemper executioni mádatur. Pueri enim
(vt proxime diximus) ſicut hœdi, ſtatim vbi per vires licet, currunt
& ſaliunt. Id contra impulſore opus habet, non interno, id eſt, nó
natura, quoniam hæc pigra eſt, ſed externo, vtpote aut artifice, aut
eius, qui exercetur, voluntate, artificis vicem ſubeunte. Id quod ex
accidenti intrinſecum, per ſe vero extrinſecum eſt. Vtrumque vbi
nimium aut intempeſtiuum eſt, moderatore indiget, qui exercen

 do aut

do aut menſuram, aut finem imponat. Illud item vt natura ma- A
gis in hanc, quàm in illam eius differentiam fertur, niſi nocumen
tum euidens afferre queat, ita fieri permittendum: vt ſi, verbi cauſa
puer aut iuuenis ad ſaltandum magis, quàm ad curſum vergit, ſal-
tatione vti ſinendus eſt; ſi ad curſum, curſu: ſi ad ambulandum, am
bulatione, ſi ad equitandum, equitatu; ſi & ad hoc & ad illud, vtro-
que. Id autem iuxta differentiam aut vnam, aut alteram, vt quis in
ætate crementi ſolitus eſt, ſic in decremento exerceri; vt ſi per in-
crementum aut naui, aut curru vehi conſueuerat, in decremen- B
to conſuetudinem ſequatur: ſi vtrumque deficiat, aliquid in al-
terius, aut in vtriuſque vicem, ſibi aſſumat: vtpote lectica vehi,
& huiuſmodi. Qui autem ambulatione, & equitatu; hic in ſene-
ctute nunc hoc, nunc illo, pro vt ſolitus in ipſo cremento fuit,
exerceatur. Qui namq. conſueti (vt aphor. 2. inquit Hipp.) ſolitos
labores ferre; & ſi fuerint imbecilles, aut ſenes, nõ cõſuetis & for-
tibus & iuuenibus, facilius ferunt. Quo fit ſi cõſuetum quod non
dum obeſt, magis ſeruandum eſt, quàm inſuetum: vt ſeni ea exerci C
tatio eligenda ſit, quæ in iuuentute, vt communiter vocatur, con-
ſueta eidem fuit; nec vna, eademque ſenibus omnibus vtpote am
bulatio ſola præſcribenda, ſed alia atq. alia, prout in iuuentute ſo-
litus fuerit, inſtituenda eſt: quandoquidem conſuetudo, quæ non
officit, ab omnibus quidem, ſed à ſene potiſſimum ſeruari debet.

Diximus iterum exercitij genus duplex eſſe, atque ſenem exer
citio, cui per antecedentem ætatem aſſueuerat, non autem nouo
aliquo & inſueto, vti debere. D

Sed obliuioni mandare non decet, alimenti diſtributionem,
in ſene neque celerem, neque multam, ſed tardam, & exiguam
eſſe: exiguam quidem, quia partes eius iam conciderunt, nec am
plius (vt ante conſuetum erat,) implentur: vt corpus decreſcens, vt
rugoſa caro ſignificat. Tardam vero, quoniam vt ſenex ægre loco
mouetur, ſic eius internæ partes, magis lente, ſeroq. trahunt. Qua-
lis enim exterior corporis motus eſt, talem quoq. internarũ par-
tium attractũ, qui motus quidã eſt, eſſe cõuenit. Ideo in pueris, & E
iuuenibus celerior eſt per corpus alimenti digeſtio. Nã à cibo vel
copioſo ſtatim & robuſtiores, & agiliores reddũtur: ſenes vero pi-
gri, graueſq. à nutricatu præſertim vbi multũ eſt, fiunt: nec niſi lõ
go poſt tempore moueri facile queũt. Ita qui nimiũ quieſcũt, niſi
ſuapte natura creſcant, perinde ac ſenes, & ſegniter & aut parũ aut
male nutriũtur. Plantis vero, quæ loco immotę ſemper manẽt, nõ

A æque ac ſenibus euenit:quoniam & Sol,& apertus aer,cui patét,
loci mutationi proportione reſpondét. Icčirco quæ neque Soli,
neq. aeri,qui paſſim & ſæpe agitatur,expoſitæ ſunt, omnes aut ſte
riles ſunt,aut inutiles, perpaucoſq. fructus edunt. Quo circa ſenis
quoq. plurimum intereſt, cutis meatus recluſos habere, quo faci-
le,prompteque alimentum per corpus eius diſtribuatur. Proinde
neminem latere debet,ei nihil magis aduerſum eſſe,quàm otium
multum, & quàm circunfuſi aeris frigus vehemens, & magni fla-
B tus impetum, atque percuſſum in eiuſdem corpus: amicum vero
moderatum & motum,& calorem,& Solem,niſi caput ſpeciatim
offendat. De otio quidem, & motu,ſatis ante dictum eſt: fri-
gus verò,meatus corporis coercet, & cibi ſuperflua per illos (vt
aliàs ſolent) vacuari prohibet. Flatus autem ſi præfrigidus fuerit,
eadem præſtat:ſin calidus,tepiduſve,quando per meatus intro pe
netrat; alimentum interea dum per corpus digeritur, ſuo impetu
retro pellit, ſe ipſum in corporis caua inſinuat, ſubitamque ſatie-
C tatem magis, quàm ſi frigidus eſſet,inducit. Quamobrem alimen
tum è ſtomacho parum, aut nihil diſtributum,ſed ibi relictum, &
iuſto diutius retentum, impendio magis putreſcit, caloreſque at-
que ardores in ſenum ſtomachis excitat: id quod plurimi neſcien
tes,admirantur vt quum maxime: aliqui auctum ſenis robur, ali-
qui bilem acrem,in ſtomacho frigido ceu monſtrum quoddá,re-
dundare opinati: quum tamen ſenex ipſe interim indies deficiat,
& ardor,atq. acor exurés, nó à bile,vt putát,ſed à cibo, qui in eius
D ventriculo plus æquo retinetur, ac immodice putret, oriatur: vt
nos plerumque non olim dumtaxat,ſed nuper vidimus,in homi-
ne annum ſeptimum & octogeſimum nato, qui aluo valde aſtri-
cta erat,de ſtomacho quod perpetim arderet,cóquerebatur;liqui-
da, ſed acria & exurentia, vomebat, vini cuiuſuis generis potum
nullo modo ferre poterat, vtpote quod ardorem geminaret. Sed
ad ré noſtrá. Atqui Calor téperatus,contra quàm frigus immane,
& quàm flatus frigidus,ſi corporis meatus reſeratos repererit,nó
E claudit quidem, ſed per illos ſuperflua vacuari ſinit:ſin clauſi ſint,
patefacit,deinde excrementa reſoluit, ſimulque alimentũ ad cor-
poris extima prouocat,internum calidum fouet,corpus concidés
ad ſe extendendum & quoquo verſus explicandum excitat; deni-
que carnes, niſi forte nimius ſit, in tumoré attollit, quo fit vt ali-
mentum multo magis attrahant:quod primum & maxime opta-
bile in ſene eſſe putatur. Sol etiam moderatus hæc eadem affert.

Vt enim quum opportunus eſt, animalia generat, corpora perfi- A
cit, morũ promptiorem partibus ſuggerit, vitam reparat ſimul ac ſubſtinet, ita in ſene labentẽ eius calorem auget, circunfuſum aerẽ purificat, cutim & interiora intermedio quinetiã aere purgat, & cætera, quæ de calore proxime diximus, efficit. Hinc Hipp. aph. 3. Æſtate, & autumno vſq. ad aliquid ſenes (inquit) optime degunt.

Verũ vbi iam decrepitus eſt, quia loco mutato, exerceri nequit, hunc oportet exercitationis vice, mane poſtquam concoxit, antequã ſurgat, frictionem rotundam, lenem, modicam per totũ cor- B
pus frequẽtare: huic ſatis nimirũ ſunt pauci manuũ circumactus, qui nullo cõpreſſu ſint graues, & modice celeres. Deinde poſtquã ſurrexit, interpoſito ſpatio, prout libuerit, in loco edito, & aperto, qui neq. flatu, neq. Sole (vt diximus) infenſus ſit, ante cibum, tempore nõ exiguo, verſari. Illa quidem reſeratis poris exteriora, & his proxima potiſſimum expurgabit: hoc vero ſimul etiam interiora, præcipueq. pulmones, & cerebrũ, ceu perfluens aqua panniculos lineos ſordidos abluit, crebro puri aeris inſpiratu, & exſpiratu mũ C
dabit ſi aut calor, aut frigus offenderit, vbi vehemens nõ fuerit, nã ab hoc maxime cauere ſibi debet, tũ poſt dictam frictionem, oleo ex amygdalis dulcibus aut huiuſmodi aliquo leniter vngi. Id enim enim in maximo frigore cutim rigere, in vehemẽti calore exſuccam fieri prohibet. Illinc meatuũ conſtrictio, trãſpirationis impedimentum, inutilis excrementi retentio, deinde putrefactio: hinc meatuum hiatus, alimẽti vtilis diſſipatio, virĩu reſolutio, ſummaq. imbecillitas ſequitur. Immenſum enim frigus, vt cutim ſuperficie D
tenus cõpingit, & ſiccat, ita ſubſidentẽ ei ſuccũ ad poros colligit, ſimul ac ſtringit. Calor autẽ intus, & foris illam arefaciens, ſubterla benrẽ illi humorem exhaurit, & meatus hiantes, atq. apertos relinquit. Vnctio igitur quia humectat, & mollit, vt cutis meatus nec in extremo calido hiare, nec in frigore conſtringi, denſariq. ſinit, ita his eiſdem ab extremo recedentibus, ſenem à prædictis incõmodis, in quæ procliuis eſt, multo magis tuetur.

E

De vita producenda, & ſenectute proroganda, repetitio non moleſta. Cap. III.

CÆterum adhuc de ſenectute peculiaria quæpiam ſubſcribere prætermittendum non eſt: in quibus recenſendis, ſi nonnulla, quæ proxime dicta ſunt, repetantur, lectorem non pigeat, ea iterum audire: quippe quæ quum de vita diu producenda

A ducenda ſint, bis terue repetita, nauſeam nequaquam accerſunt. Boná enim valetudinem ſimul ac longam pollicentur: qua nihil optabilius homini in hoc mundo eſſe vmquam poteſt. Quod vero valde, ſemperque optamus, quo magis replicatur, eo magis delectare ſolet. Id autem maxime omnium ſanitas, & de eiuſdem cuſtodia ſermo eſt. Quid enim honores, quid diuitiæ, quid magni rerum omnium apparatus proſunt, ſi mala valetudo continue corpus noſtrum infeſtat?

B Quia igitur alimentorum putrefactio, alia ratione concoctio, quam effugere nemo poteſt (feminis putredinem ſilentio prætеribo) ſenectutis (vt ante quoque narrauimus) cauſa eſt; qui huic ne moleſta ſit, & vt robuſta, quoad fieri licet, perſiſtat, occurrere voluerit, illud ante omnia animaduertat, ne ſpecie recti deceptus, alimenta ſumat, quæ ab eo difficulter coquuntur, vtpote quæ difficulter quoq. putreſcunt. Tantus enim hinc coquendi labor ſequitur, vt dum his vitam extendere nititur, hác eandem iuſto bre-

C uiorem efficiat. Hic ergo quia coquendi difficultas oritur, tú propter alimentorum ingeſtorum copiam, tum propter horum naturam homini aduerſam, ordine, tempore & ſomno ſeruatis, obnixe fugiat ea primum, quæ communiter omnibus, deinde quæ ſibi priuatim difficilia coctu ſunt. Tertio copiam tam aliorú, quàm etiam coctu facilium. Quamuis enim hæc aliquanto minus obſit, omnis tamen expletio laborem facit: quem deinde comitatur aut intenſior putrefactio, quod ſitis ingens illinc nata ſignificat:

D aut cruditas, quam ſomni turbulenti, & intempeſtiui oſtendunt; aut alui fluor importunus, qui corpus vniuerſum debilitat: quæ tum omnia, tum ſingula temporis ſpatio non parum exſiccant. Contra vero, nutrimenta eligat, quæ vbi putreſcunt, aut non illico areſcant, aut ſi id vitari nequit, cum his, quæ celerem ariditatẽ prohibent, diligenter admiſceat, atque ob id aluum quotidie mollem habere ſtudeat. Non illico areſcunt, vbi putruerint, quæ communiter quidem alunt, ſed potiſſimú humida ſunt: nec ex locis

E ſiccis, ſed ex riguis veniunt: neque à ſenum calido, quod natura ſiccum, & imbecillum eſt, ſi corrumpantur, promptius conſtringuntur durave fiunt, quàm in particularum ſubſtantiam tranſeát: vt vina paucifera, vt mella diluta, vt ex carnibus iuſcula, & id genus alia. Iccirco frixa, & aſſa, quoniam in ſtomacho difficilius liquantur, ſæpius vitet; elixa, quia magis prompte ſoluuntur, crebrius aſſumat.

Lac, &

Lac, & oua quomodo ſenibus conueniant. A
Cap. IIII.

LAc autem, oua, & ſimilia, in quibus putatur plurimum eſſe quod nutrit, minimum vero quod inutile, primo intuitu ſeni maxime conuenire creduntur. Id tamen, ſi Galenum præſertim in ouis audire velimus, valde ambiguũ eſt. Hic enim quinto de tuenda, à multo ouorum vſu ſenes arcet. Neque ibi mendũ eſt, vt pleriq. interpretãtur, qui ὠῶν id eſt, ouorũ loco ὦα, vel ὄα id B
eſt ſorba ſcribendũ eſſe cẽſent. Quaſi peculiare quiddã ſit ſenibus ſorba eſſe; à quibus vt abſtineant auctor, de tuenda ſanit. illos admonere debeat. Atqui oua, duo, triave ſeni ſalubria eſſe ſolẽt: quatuor vero, aut plura, ſæpe noxia. Nam aut ſatietatem, aut alui fluorem ex cruditate inducunt: vt quiſq. facile experiri poteſt: ita ſub hoc auctore ſeni non ouum, ſed ouorum copia nocet. De lacte idem eſt ſentiendum, ſi videlicet plurimum ſumatur. Quia enim ſenibus vis attrahendi debilis, ac tarda eſt, tum à natura, tum quia C
parum aut exercentur, aut exerceri queunt, ſi quid alimenti in ſtomachum ingerant, quod celeriter in venas feratur, citove nutriat, ſimul & craſſeſcat, vt ouum, vt lac: illos exiguo eius attractu, quia ſegnes ſunt, velociter quidem pro eorum neceſſitate reficit: ſed reliquum in ſtomacho remanens, quia cito concreſcit, ſæpe ſatietatem, aliquando pondus, ſemper laborem aliquem inducit. Senibus igitur expedit non affatim, ſed modice tum lac, tum oua ſumere. Nam etſi pueris, ac iuuenibus vel abundantiſſime deuorata, proſunt; in his tamen non celerius dureſcunt, quàm in alimen- D
tum partium conuertantur; ſed vt velociter concoquuntur, ita velocius, & prius quàm aliter mutentur, arripiuntur, & nutriunt. In ſenibus autem contra: quippe calor eorum imbecillis propter coquendi, & attrahendi tarditatem, putrefaciendi occaſionẽ auget, illaque in ſtomacho antea magis craſſa, quàm vt à partibus commode trahi queant, fieri ſinit: proinde cibaria pro ſenibus non vino, præcipue potenti (vt plurimi faciunt, rati ſe melius age- B
re) præcoquenda eſſe, ſed aqua magis. Vina namque ſiccant & duriora reddunt elixatione alimenta: aqua vero tantum abeſt, vt id præſtet, vt maxime tum mollia, tum liquatu faciſia efficiat, vt cocta caro vino quidem dura, aqua autem, mollis eſt.

A *Seni vinum potens, quomodo inutile, aqua verò vtilis ſit. Cap. V.*

SIc etiam ſeni vina præſertim robuſta, neque ſine aqua, neque cum aquis medicatis (vt multi ſolent) bibere conuenit. Sed enim vina & id genus alia, quamquã liquida videntur, vbi tamen murantur, & putreſcunt, in terram, atque in arenulas paruo negocio vertuntur: vt aquæ minerales appellatæ (quemadmodum ſupra diximus) vt etiam vina potentia, quippe quæ dolia vocato tartaro, velut cruſta terrea, oblita relinquunt. Celerem igitur ariditatem potiſſimum prohibet aqua proba, tum eſculentis, antequam ingerantur, per coctionem admixta, tum etiam cum alijs, aut ſola per ſe pota, præcipue ſi quis huic aſſuetus fuerit. Nihil enim hac (ſi moderate miſceatur) ſalubrius, & ad id, quod propoſuimus, aſſequendum præſtantius reperietur. Præſtantius quidem, quoniam alimenta corpus extra, cum aqua elixa vt molliora, & attenuatu promptiora, cũ vino autem, aut medicatis vel ſuccis vel aquis, vt duriora, diuſque magis contumacia fiunt: ita in ventribus animalium dum aqua coquuntur (coctio enim quædam elixatio eſt) facile attenuantur, inciduntur, atque perficiũtur. Quanto igitur nutrimenti coctio ex aqua facilior, quàm ex alijs ſuccis eſt, tanto potior ad vitam tuendã moderatus aquæ vſus erit. Hinc antiqui mutationem aquæ, nunc pluris quàm aëris, nunc etiam pluris quàm cibi, faciebant. Ex his patet, cur alimentorum cum aqua dulci mixtura præſtantior ſit, quàm ſi cum alijs humidis fiat. Quod vero non minus quoq. ſalubrior ſit, hinc iudicabitur: quia ſi modus adſit, facile alteratur, & vbi putreſcit, tametſi in terram nõ ſecus quàm alia, longe tamẽ ſerius deſinit. Huc accedit, quod quum parum, aut nihil præcipue hominem nutriat: hunc ab immodica expletione tuetur, cui (vt primo libro, de morbo Gallico, expoſuimus) valde obnoxius eſt. Quantum enim ipſa loci in corpore occupat, tantum profecto alimenta non implent. Quin etiã putrefacta (dicent aliqui) quum in acidum, aut forſan in amarũ tendat, dum foras, tamquam non nutriens, & onerosa expellitur, partes per quas fertur, fertur autem per omnes, abſtergit ſimul & expurgat. Quo fit quemadmodum quotidie in vſum venit, ita ſingulas corporis partes vt quotidie mundas à ſordibus non paucis reddat, & ſynceras, quoad fieri poteſt, conſeruet. Hinc homines, & animalia cætera, præſertim vero piſces, qui aqua paſſim vtũtur,

ferè perpetuo ſani,quę eorum eſt natura, degunt: longioremque vitam homines,qui aquam, quàm qui vinum potant,ſæpenumero ſortiuntur.Qui Hipp.3.acutorum obijciunt:ſi eum ibi de aqua, pro vt in toto morbo,quemadmodum mulſæ, & priſanæ cremor præbetur, loquentem (vt re vera eſt,& vt 2. lib.de aqua Tyberina declarauimus)contemplentur,nihil prorſus obijcient. Verū aqua ſic vtendum, vt modus adſit; alioqui contraria his, quæ ſcripta ſunt,facit. A

An igitur vinum propterea hominibus interdicere penitus expedit? Minime verò: ſed ſolum eos admonere, nutrimenti coctionem & extra,& intra corpus,quæ cū aqua,longe vtiliorē, quàm quæ cū vino,& alijs huiuſmodi fit,eſſe. Qui ergo vinū potare conſueuerit,is vinū ſanè potet,hac tamen ratione ſeruata, vt id alimēti ſumat,quod vbi putreſcit,minus velociter areſcat,quàm à partibus attrahatur;ſimulque non immoderatè viuat. Vinum eſto,cui quidem ætatis aliquid acceſſerit,non vetus & aut pauciferum,aut ſi forte potens,id vel aqua ſatis dilutum, vel aliquid huius generis ſit. Modo attente caueat: vbi vinum idem conſuetum, ſe ſe guſtatui, aut olfactui, ſine vlla manifeſta cauſa, mutatum offerat, ne tātiſper dū tale ſentitur,id ipſum aut odoret,aut bibat.Sæpe enim cruditatem ſubeſſe, nonnumquam & aliquid intus in corpore putrefactum iri,denunciat,quod quia praue ſiccat,& ſi nocuum omnibus ætatibus eſt,ſenili tamen,quę ariditatem præſefert, mirifice officit. Interim igitur ſalubrius eſt aquam,quàm vinū potare. Vbi vero iam æquè ac antequam mutatum eſſe videretur, iucundum apparet,tum ad illud idem redire. Denique vinum vbi non arridet,ad aquam tranſire; vbi iam placet, ad illud reuerti;ex hoc perſpicuum fit ad ſanitatem tuendam,& vitam prorogandā,non eſſe vinis varijs,ſed vno dumtaxat vtendum:quia eorum varietas prædictam animaduerſionē obſcurat;quo fit vt homo ſenſim in grauius delictum incidat,quod quanto diutius protrahitur,tanto difficilius eſt curatu. B C D

Quamquam etiam in vniuerſum ſeni vinum,quàm aqua,vtilius eſt;nihil minus,vbi cibo ſe nimis interdum impleuerit, tum aut aquam,aut vinum quam dilutiſſimum bibere debet. Nam cibi expletionē calor, Κοιλία γὰρ πληρευμένη (vt inquit Hipp.) θερμαίνει. hunc vbi vinum aut ſine, aut cum perexigua potatur aqua, ſitis ingens,comitatur,ſitim calor multo intenſior, hūc acrior putrefactio, ſubinde ſiccitas vehemens quæ ſenectutem maturat. Vinum E

namque

A namque(vt in ſuperioribus narratum eſt) firmat in ſtomacho alimentum:quod quia propter immodicam cibi redundantiam longe maiori copia in illo relinquitur, quàm à venis intro attrahi queat:ibi diutius,quàm par eſt,immoratum, impendio magis putreſcit(id quod nidor in aliquibus illinc emanans oſtendit) poſtea ſiccitatem geniinat,quę perbreue ſenium efficit.Scireque licet,vinum ſeni quidem magis, quàm pueris & iuuenibus conuenire; quia minus quàm illi, comedit: alioqui ſi multum, perinde atB que illi, comederit,tanto minus vini bibere debere, quanto mēbra,quæ coquendo,& nutriendo ſeruiunt, debiliora ſortitur.

Hæc de eo,quod alimenta areſcere velocitet nō ſinit: id quod primum ac maxime ad ſenectutis tum longitudinem,tum integritatem facit.

Quædam alia, quæ ſenectutem particulatim producunt. Cap. VI.

C ALterum eſt, vt aluus mollis pro copia aſſumpti alimenti quotidie ſit. Hæc enim prętet id, quod cerebrum, & reliquum corpus magis vegetum,ac melius ſpirare facit, vetera excrementa in dies ducens,nouis alimētis, vt homo reficiatur, inuitat:quæ quanto minus ſicca, quàm vetuſta ſunt, tanto magis humectant,& inſtantem ariditatem compeſcunt.

Huiuſmodi quoque ſiccitatem coercet, loca edita, apertaq. in Vrbe colere. Qui enim hæc habitant(vt ab antiquioribus traditū D eſt)tardius ſeneſcunt:qui autem caua,& paluſtria,ocyus.

Naturalem item neque famem,neque ſitim ferre.Quemadmodum enim idem ignis,corium humidum ſeruatis paribus agendi modis,primum moderate, deinde immodice ſiccat, & rugoſum atque criſpatum efficit; ita calidum noſtrum,vel idem exiſtens, ſi diu,& ſæpe ſine pabulo fuerit,corpus areſacit, & ſenectutem maturat. Neq. item alimentis exſatiari.Expletionem enim aut calor, aut acor,aut nidor,aut denique vomitus,vel alui fluor comitatur.

E Hęc ſimul omnia,vel ſingula(vt notum eſt)ſiccant.

Neque vllo pacto eos imitari, qui bis in menſe vomendū eſſe conſulunt. Vomitus enim præter naturam eſt,& pectori, & cerebro,& oculis,& dentibus nocet:niſi malū aliquod,aut immineat, aut adſit,neutiquam fieri conuenit.

Expedit inſuper iuniora omnia,quæ comeduntur, ſæpius eſſe, quàm ſeniora. Piſces vbi optimi ſunt, quibus vniuerſus populus

paſſim nutritur,& ſanus viuit,cæteris animalibus,niſi priuatim of- A
ficiant,anteponere.Sed Romæ,quia crebrius obſunt,quàm iuuēt,
raro comeſſe. Quadrupedum iuniora magis, quàm volucrium,
quoniam hæ ſicciores ſunt,eligere:hac etiam ratione volucres iu-
uenes,veteribus anteferre.Denique alimentis non duris,non ſic-
cis,non coctu difficilibus;ſed mollibus,humidis, & ſuperatu fa-
cilibus vti. Hęc enim vt promptius vincuntur, ita velocius per
corpus diſtribuuntur,& eorundem excrementa pelluntur. Quo
fit alia,atque alia id genus quia celeriter abſumuntur, viciſſim, & B
frequenter accepta, ac veluti nutrimenta noua crebrius corpori
ſuppeditata,vt ſæpius humectent,& ſiccitatis; quæ timetur, feſti-
nationem cohibeāt. Vnde apud quàmplurimos iam expertum
eſt,bis die potius,quàm ſemel cibum,quoad natura patitur,cape-
re,valde proficuū eſſe: alioquin interdiu ſemel dumtaxat accepto
cibo, nō ſolum quia putrefactio intenditur,atq. corpus ipſum ob
id magis exſiccatur; ſed etiam quia venter adſtringitur, geminari
ariditatem,vitæ diuturnitati omnino contrariam,oportet.Omnia C
item,quæ ex farinis azymis conficiuntur, ſpeciatim vitare;his eiſ-
dem nullatenus impleri.Præter id enim quod difficillimè conco-
quuntur, ſuccum perexiguum, prædenſumque reddunt, qui aut
perparum nutrit, aut venarum oſcula obſtruens,claudit.illud ma
ximam imbecillitatem; id ſubitam mortem interdū acceſſit. Cō-
ducit etiam ebrietatē fugere. Hæc enim primo liquat, deinde ſic-
cat.Cauere quin etiam à cibo ſe ſe igni libere,abſq. eo,quod faciē
ab illo defendat, præſertim ſi valde ſenex fuerit, exponere: ignis D
enim calor,cibi potuſq.vapores magis attenuat,cerebrū plus iuſto
calefacit,citiuſq. reptet. & ſomnus confuſis velut in ebrio ſpiriti-
bus,illico ſequitur,quem ſubinde caſus aut in terram, aut in locū
aliū cū ſudore frigido,inſtar apoplexiæ comitatur. Cūq. omnibus
inutile ſit,poſt cibū aut ſcribere,aut legere,aut voce cōtendere, tū
ſeni præcipue poſt cænam, poſt,quam ne cogitatio quidem ani-
mi,vel de re iucunda ſatis tuta eſt. Hæc enim in ſenis mentem, vt-
pote qui nimis ad rem attentus eſt, imprimuntur, & aut inſen- E
ſas vigilias afferunt,aut ſi forte dormiat, inſomnijs moleſtis illum
fatigant. Vitare quoque decet vehementes, crebraſq. purgatio-
nes,ac ſanguinis miſſiones:frequentes item & immodicos, atque
intempeſtiuos quum ſudores,tum labores;tum etiam aſſiduas, &
magnas animi curas: quippe quæ animum à nutriendo reuocan-
tes,vel morbis incurabilibus, vel ſubitæ morti ſenem obnoxium
reddunt.

A reddūt. Ab his potiſſimum liberat, quum meri opportune hauſti
(vt ante quoque diximus) potio; tum variæ locorum mutationes:
quippe quæ, vt cibi varij ſtomachum languidum, nihil prorſus
appetentem, ad famem inuitant; ita ob eorum, quæ videtur varie-
tatem, animum quidem curis pluribus vinctum, facile ſoluunt;
vni autem temere affixum, ab hac auellunt, & aliò vertunt. Sæpe
namque recentium viſorum ſimulachra in animo remanētia, dū
ſui recordationem, quia noua ſunt, iterum, atque iterum repetūt,
B priorum inexiſtentium obliuionem induncunt. Neque illud
præceptum, quod ſenibus vrina ſæpius moueri debeat, ſeruandū
æſtimmo magis aluum, quia eis (vt Hipp. inquit) plurimum ſic-
catur, mollire conducit. Primum quia frequens vrinæ citatio ven-
trem ſiſtit: deinde quia naturæ impetum adijcit, quo per vrinæ
vias alimentum vtile ſæpius quàm par ſit, tranſmitti cogit, & ſeni-
lem tabem ſero futuram, cito accelerat. Nam ſenes, vt alimentū,
quod per venas fertur, nec probe conficiunt, nec facile trahūt; ita
C crebrius mingūt, & illud per has partes plus æquo reijciūt. Ideoq.
ſi gallinę iuſculum, aut quid huiuſmodi potarint, vrinam illud cui
denter olentem emittunt. Quamobrem aliquo ſenibus quotidie
porrecto, quod vrinam peculiariter cieat, & natura ſimul ad vrinā
crebro mouendam procliui; neceſſe eſt geminari mictionē, & ſuc-
cum intus alioqui nutriturū, foras importune pelli, ſenilemq. ma-
raſmum intempeſtiua nutrimenti priuatione properare. Neq. itē
his vinū (vt nunc vocant) albū, & potens (longe aliter quàm quidā
D opinatur) vt vrina citetur, offerri, recte dicitur. Sed quoniam hi ſæ-
penumero edentuli ſunt, atq. ob id perparum comedunt; vt vinū
cibi ſimul, & potus, in illis vicem ſubeat; quum alioqui ſubſiſtere
neutiquam poſſent. Cæterum in his qui multum comedunt, vinū
huiuſmodi valde periculoſum eſt, quia illud per venas cito mi-
grat, egenaſq. partes celeriter implet, & ſaturat: cibū vero reliquū,
& multum velut à natura neglectū in ſtomacho relinquit: vbi de-
inde magis putreſcens ardorem in illo intenſiſſimum parit. Quo-
E circa decrepiti, qui tale vinū potāt, de ſtomachi ardore perpetim
conqueruntur. Confert inſuper non ſatiari lentis, craſſiſve cibis,
vtpote cochleis, caſeo, anguilla, nuncupata tinca, & id genus alijs.
Venarum enim oſcula, quæ de vētriculo ſuccum hauriunt, occlu-
dunt, nutririque ſenem non ſinunt. Pariterque cauere potum aut
niue refrigeratum, aut alio quouis modo frigidiſſimum: quippe
hic ſenis calorem, quum valde imbecillis ſit, ſuo immenſo, & re-
petito

petito frigore,ſi non ſubito, certe paulatim extinguit. Id non animaduertitur,quoniam homines quod non eſt cauſa,pro eo,quod eſt,temere accipientes;ſimulque ſpecie illius, quod aut appetunt, aut volunt, decepti, non hinc, ſed aliunde ſequi hanc extinctionem exiſtimant. A

Salem,& ſalit a ſenibus non conuenire. Cap. VII.

MAgnæ quoque operæ pretium eſt, vitare nimium ſalem, ſalitaq. omnia; de quo tametſi ab alijs medicis me grauiter accuſari non ignorem, malo tamen hominum vtilitatem æſtimare, quàm iniuſta horum conuitia vereri. Speciatim id admonuiſſe hic volui,ne quemadmodum illi ante hac,ita poſteri cum magno ſenum detrimento in futurum hallucinentur. Quippe illi Galenum 5. de tuenda ſanitate, de ſenum victu loquentem male interpretantes, non leuem errandi cauſam cæteris præbuerunt.Galeni verba ſunt: τὰ δὲ ταριχευθέντα πάντα τῶν προσφάτων ἀμείνω· quæ ſic vertunt:Salita vero omnia,meliora recentibus. ex quibus Medici omnes, quos ego nouerim, & quorum ſcripta legerim, ſenibus Galeni auctoritate ſalita omnia meliora quàm recentia eſſe cēſent:id quod tantum abeſt à Galeni mente,tantū etiam ab experientia, & à ratione, vt oppoſitum omnino veriſſimum ſit: nempe non ſalita, ſenibus meliora,quàm ſalita eſſe. Quum enim ſalita omnia ſiccent,malum habitum afferāt, pruritum excitent;quibus omnibus ſenes (vt aph. 3. ſcribit Hipp.) obnoxij ſunt:quis mentis compos ſalitas carnes, exempli cauſa, ſenibus meliores,quàm recentes eſſe dicet? præſertim quum in ſalitorum vſu ſenes offendi, deſtillationibus affici, tuſſibus infeſtari, acres vrinas, & alia mala ſortiri quotidie videamus? Quod igitur & ratio,& experientia iſtis aduerſetur, hinc ſatis patet. B C D

Quod autem à Galeno recedant, qui Græcas litteras norit,hic apprime norit:quippe vox, ταριχευθέντα, nō modo ſalita, ſed etiā ſeruata ſignificat: hoc loco ſeruata eo magis,quàm ſalita interpretari licet, quo clarius, recentia ſeruatis, quam ſalitis reſpondent, quo item recentibus vetera, & ſalitis inſulſa, inſipidave magis recte,ac vere opponuntur, quam ſalita recentibus. Atqui nomine, ſeruata,non quæcunque ſeruantur,accipere conuenit(oua namq. ſenibus recentia, non quæ ſeruantur, conferunt)ſed ea,quæ dum ſeruantur, eiſdem & mandendo, & concoquendo, quam vbi recentia ſunt,magis idonea fiunt: quales ſunt phaſianæ carnes, & galli- E

A gallinaceæ tempore aliquo ſeruatæ. Quia enim imbecillis calor ſenibus eſt, ſæpeque dentes aut deficiunt, aut debiles ſunt; ea nomine, ſeruata, nunc à Galeno intelligi probabile eſt, quæ videlicet fraceſcunt ideſt, quæ, vt vulgo dicitur, frollia reddũtur. Talia nāq. & attritu, & coctu facilia ſenibus meliora, quàm recentia ſunt. Ita vt Galeni mens modo ſit, non ipſa ſalita, pro ſenum victu recentibus præponere; ſed ſeruata, quæ, ſcilicet, fraceſcunt, hoc eſt vocata frollia, magis quàm recentia, quę dura, & attritu, & coctu ſunt, ſe-

B nibus conſulere. Sed de his ſatis; ad propoſitum reuertamur.

De iis, quæ ſenibus proſunt. Cap. VIII.

MAxime quinetiam prodeſt, non coire: niſi fortaſſis ſponte, citraque cauſam extrinſecam, ad illud idem, & crebro, & vehementer irritetur: quod vbi non vſuuenit, tum minime coeat. Nam coitus intempeſtiuus alimentum optimum abſumit, cuius priuatio cogit innatum calidum longe ante, quam na

C tura ferat, areſcere.

Animi cogitationes ſi aſſiduæ ſint, interpoſitis relaxationibus temperare. Cibi quamplurimum, modo bene tum coquatur, tum per corpus vniuerſum digeratur, quotidie capere. Vtrumque aſſequetur, ſi exercitia, nullo die quoad fieri poteſt, intermittat. Quum enim ſenis calor imbecillus ſit, niſi exercitatione crebra commoueatur, hebeſcit, & attrahendi per corpus alimenti facultas, quæ in dies magis minuitur, niſi exercitio ſimiliter excitetur, torpida

D redditur. Quo fit vt ſenex minus alimenti ſumere cogatur: quod vbi contingit, aſſueſcit non ali; velociter tabeſcit, atq. conficitur. Contra vero exercitatione, atque hac præcipue ſub dio, caput, & thorax mutuo recentis aeris attractu, & expulſu mirabiliter expurgantur: ſpiritus puriores, alacriores, & magis incolumes reddũtur: ſimulque ſuperflua, quæ in cute detinentur, euacuantur: mox caro vniuerſa, quæ illi ſubeſt, propter motum tumida fit; tumefacta à vicinis partibus trahit, & hæ ab alijs, atque ita deinceps ad ſtoma-

E chum vſque: quo vbi deuentum eſt, fames excitatur: ſubinde plus alimenti in ſtomachum ingeritur: quod maiore quidē copia, ſed non valde immodica ſumptum, ſtomachi corpus attollit, venarũ oſcula melius hiare facit: his non connuentibus, quamquam ſenis facultas, attrahendo debilis eſt, ſuccus tamen, qui intus ineſt, tenuior factus in illa eadē, vt pote magis patētia, promptius meat: ſimulque à partibus antea propter exercitium euacuatis, dum facilius

cilius attrahitur,in vniuerſum ample diſtribuitur,ſeniſque corpus A vegetum facit,tuetur,& ſeruat. Tamquam igitur circulo quodam exercitatio cibum, & hic illam auget,adeo vt bene comedere, & ſatis exerceri,non modo ad producendam ſenectutem, ſed etiam ad ſanitatem tuendam ſe ſe mutuo iuuent, quaſi alterum alterius cauſa ſit. Si namque plurimum exerceamur, bene comeſſe; ſi bene comedamus, plurimum exerceri conducit. ſin ob temporis iniuriam, exercitium intercipi neceſſum fuerit, eius vice fri ctionibus rotundis, breuibus, & mediocribus, ieiuno vtendum.Vt enim ea,quæ quieſcunt,facile putrent:quæ vero mouen- B tur,vegeta diu durant;id patet exemplo aquæ currentis, & firmæ: hæc enim prompte putreſit;illa ſyncera perpetim fluit: ita ſenex, ſi paſſim quieſcat, & non agitetur, quum ſenectus ceu quædam putredo ſit,propter putre putri additum, impendio magis putreſcet, ſimul atque ſiccabitur, ſin exercitetur, integer longe diutius perſeuerabit.

Vtile quoque eſt,noctu dormire: aut ſi id non datur,ſaltem ho C ras nouem clauſis oculis cubare:vt areſces corpus longiore quiete aut minus reſoluatur,aut humidum aliquod acquirat ſibi. Nam ſomnus moderate longus, vt pueris,ita ſenibus mirifice prodeſt. Illis quidem quia crementum ſuppetit,his vero quia decrementũ compeſcit: illum conciliare ſine noxa poteſt, ita exerceri,vt laſſitudo quædam citra imbecillitatem ſequatur. Hæc enim deinde ſomnum inducit,à cæna item aut modicum aniſi dulcis aut amyg dalas quinque,ſeptemve,quas ambroſinas appellant,accipere.La D ctuca vero, ſomni cauſa (laudent alij quantum velint)ſeni periculoſa eſt.Frigidiſſima enim eſt (vt Hipp. aut quiuis alius antiquiſſimus inquit) antequam ſuccum habeat: debilitatem autem quandam corpori inducit,quæ vtraque ſeni maxime ſunt contraria. In cubiculis, quæ dicũtur à volta, latinè, fornicata, quia humidũ accedens non perinde atq. tabulata in ſe recipiunt, ſed intus, aut in medio,aut alibi relinquunt:niſi tabellis,aut ſtoreis iunceis, aut pannis laneis, & huiuſmodi contecta ſint,nunquam ſi fieri poteſt E dormire.Quum enim humidũ ibi redundans à muris circunſtantibus non admittatur, neque fugatur; neceſſe eſt à dormiente,qui aerem ad ſe perpetuo rapit, attrahi, & ſpiritum eius craſſiorem,ac denſiorem effici, caputque plus æquo repleri. Verum & hæc, & alia,quæ hinc peiora ſequuntur, non animaduerti,quia nocte nõ vna,ſed longa dierum ſerie contingunt.

Interdiu

A Interdiu, niſi dormire cõſueuerit, perpetuo vigilare, rarius quie
ſcere, quàm moueri; pedibus magis ſtare, quàm ſedere; vt ſuper-
flua, quæ in ſene potiſſimũ redundát, vigilia, & motu partim abſu
mi, partim per cutim, & alias vias foras extrudi facile queant: id
quod ad vegetandam, producendamque ſenectutem (vt narraui-
mus) maxime neceſſarium eſt.

Denique ab adoleſcẽtia, immo ſi fieri poteſt, ab infantia in re-
liquas vſque ætates (vt ſupra quoque monuimus) nullum, quoad
B fieri poteſt, aut animi, aut corporis exceſſum magnum committe-
re. Sicut enim duriſſima ſaxa, dum in murum aliquem adſtruun-
tur, parte qua ferramentis, aut alijs inſtrumentis premuntur, percu
tiunturve; longiſſimo dein tempore quaſi ſeneſcentia, ſponte at-
teri, atque dirumpi videntur: ſic natura errores graues prioribus
ætatibus comiſſos, veluti latẽtes plagas, in ſenectute poſt detegit.
Hæc & ſimilia qui accurate ſeruauerit, mortem quidem non ef-
fugiet, ſed vitam aliquanto firmiorem, quàm ante hac plurimi cõ-
C ſueuerunt, ſortiri, & vlterius, quàm hactenus viſum ſit, producere
vt facile poterit, ita demum potuiſſe, quum vtrumque aſſequutus
fuerit, magnopere gaudebit. Cæterum ſenex, qui edentulus eſt (vt
proxime diximus) & parum comedit, quia ſenectus, vbi cibus
nimis frugaliter ſumitur, in longũ traduci nequit: hic, ſi caput to
lerat, non aquam, non vinum aquæ valde permixtum, non etiam
pauciferum, ſed potens, & minus dilutum, inter cibos potare de-
bet, vt quod cibi paucitas demit, id vini optimi vſus reſtituat.
D Interea quoq. ſenex vel edẽtulus, vel dentatus, diſcat, oportet, an
in dextro hypochondrio prope ſterni cuſpidem, aut grauitatem,
aut puncturam, aut quid aliud vellicans perceperit. Vbi enim id
primum ſenſerit, ſtatim cogitet, quid nuper non conſuetum, aut
dicas, præter cõſuetudinẽ, magis, minuſve acceperit. Ab hoc enim
tum abſtinere, tum cibum demere, plus vero potus, vt noua mate
ria corruptæ miſceatur, aſſumere debet.

Poſteriores medici, qui ponunt inter præcipua prorogandæ ſe-
E nectutis auxilia, carnes ceruorũ quia diu viuunt, ſanguinẽ huma-
nũ (vt dicunt) ſublimatum, quoniam humanæ naturæ potiſſimũ
ſimilis eſt; nucleos pineos, quòd pingui ſuo lento, humidum pri-
migenium foueant, & inſtaurent: aurum potabile, carnes, & ſales
viperinos, theriacam, & id genus alia, nequaquam audiendi, ſed
omnino reijciendi ſunt. Ex ſola namque opinione, ſine vlla expe-
rientia, loquuntur. Id enim quod pollicentur, anticipant ratione

ſua inani perſuadere prius, quam vmquam ita fieri viderint. Profecto à principibus, ad quos ſcribebát, cogendi erant vt hæc eadé in ſe ipſis prius experirentur, quàm alijs obſeruanda præciperent. Siquidem periculum de his feciſſent, numquam vtique litteris illa tradidiſſent: quippe qui horum vſu antea perijſſent, quàm effectum, quod fruſtra ſperabant, aſſecuti fuiſſent. Nam aliqua ex his vana prorſus, aliqua periculoſa ſunt: vana quidem, vt cerui carnes, vt ſanguis humanus, vt pinei nuclei. Pari enim ratione quum lac humanum, tum coruos, tum alia animalia longæua, tum eorundé ſanguinem, & amygdalas dulces proponere debuiſſent. Præter id, quod ſanguis humanus aliam vim habet, intus in corpore, aliam foris aſſumptus: & nuclei pinei, quum craſſi ſucci, & multi ſint, ægreq. concoquantur, non niſi laborioſe dictum humidum reparabunt, ſi forte reparant. Quod vero laborioſé fit, naturale omninon non eſt: tale autem à natura nec erit, nec (vt exiſtimant) ita reficiet. Quum item humidum naturale alimẽto ſubſtineatur, quáto autem melius & proximius homini alimentum eſt, quale tum ex carnibus idoneis, tum ex ouis elicitur, tanto magis, quàm nuclei pinei huiuſmodi humidũ inſtaurabit, atque fouebit. Proinde quò magis ij & genere ab hominis natura diſtant, & difficilius in ſtomacho vincuntur, eo minus quàm alia innumera nutrimenta, humidũ naturale recuperabunt. Omitto quod reſinoſi ſint, quod velut amygdalæ in ventriculo æſtum accerſant. Si aqua infuſi (vt quibuſdam videtur) reſinam abijciunt, facultaté abſtergendi, qua potiſſimum iuuant, qua & aqueum ſuccum abſumunt, amittent. Sed hæc inania, & futilia ſunt.

Atqui periculoſum eſt aurum potabile: quoniam aurum ab homine non concoquitur, & grauitate ſua ſtomachi fundum freqūeti repetitione ita deorſum premit, vt illum ceu ſentinam ſordium retinendarum efficiat, quod deinde putredo non leuis, & contumax, temporis ſpatio ſequitur.

Periculoſę item ſunt viperinę carnes. Præter id enim quod earum cótinuus vſus cæcitatem inducit, celerem ſenectutem, & denique mortem accerſunt. Quia dum corpus veneno ſuo in tumorem attollunt, hominem recte nutriri non ſinunt. Theriaca vero ſi crebro ſumatur, nocendi ſuſpicione non caret: quippe quæ tum propter multa, quæ in ea caput replent, tum propter viperinos trochiſcos hominis mentem (quicquid inexperti prędicent) plerumque confundit: & eundem, ſi frequenter recipiatur, primò velut ebrium,

A ebrium, deinde ſomnolentum, tertiò vigilem, poſtremo delirum reddit. Sed hæc aliàs.

Huc vſque de hominis vita conſeruanda ſimul ac prorogandа. Reſtat ad pleniorem dictorum explicationem, vt via quaſi compendiaria, rurſus de aere, de motu, & quiete, de cibo, & potu, & reliquis rebus, quas non naturales medici appellant, agamus. Nonnulla inſuper addentes, quæ licet communiora ſint, quàm homines huius vrbis ſpeciatim reſpiciant, quia tamen his valde admo-
B dum conducunt, noſque illa eadem in hac vrbe obſeruauimus, legentium venia, velut breuiario complexa, ſubſcribemus.

De aere, prout medici vnam ex ſex rebus non naturalibus vocant. Cap. IX.

AEr igitur in Vrbe melior eſt, niſi ſitus aliquis obſiſtat, qui in montibus, aut in altiore domorum parte reperitur: qui
C hincinde à ventis perflatur, qui ad Septentrionem potiſſimum vergit, non tamen impedita via, quo minus in Auſtrum erumpere queat, alioqui occluſus, hoc eſt exitum non habens, etſi natura ſalubris eſt, temporis ſpatio corrumpitur, & morboſus fit, niſi forte à Sole ſæpius illuſtretur, quippe quem ſolis præſentia paſſim innouat, atque purificat. Contra vbi peruius eſt, tum purior, & tenuior fit, caput minus replet, corpus graue non efficit, non vertiginem, non aurium hebetationem, non pigritiam cum laſſitu-
D dine parit. Ab alto recedens, quanto inferior, tanto deterior eſt, prædicta mala omnia craſſitie, & denſitate ſua mouet, & auget. Quam quoque ob rem caliginoſus quũ in ima cadit, plurimum obeſt: vtpote qui auditum obtundit, caput implet, vertiginem, & deſtillationes excitat. Siquidem in hac vrbe, aer, qui imum locum obtinet, quaſi totus auſtrinus: qui vero ſupremũ, velut aquilonius plurimum eſt. Quantum vero Aquilo bonitate differt ab Auſtro, tanto aer ſupernus in hac vrbe, inferno pręſtantior eſt. Ad-
E de quod vt editis locis aer, vndique afflante ſpiritu, agitatur, ita cauis, & imis manet immotus. Putret autem quod quieſcit: nullò modo, aut minus ita afficitur, quod mouetur: vt aqua profluens, & cõcluſa. Quare quum aer in ſuperioribus locis incolumior, quàm in imis ſit, perſpicuum eſt, ſupernum inferno præſtantiorem eſſe, ideoque loca prope terram habitare hic malum eſt, tum quia craſſior aer ibi reſidet, tum quia terra valde humida eſt. Hac ratione

malum quoq. eſt, cubicula eleuata prope hortos penſiles colere: A
horti namque idem præſtant, quod terra. Veſpertinus item aer,
hieme quàm æſtate periculoſior:quippe qui frigidior, ac denſior
exiſtens,caput & thoracem immodice implere, ſubinde obſtrue-
re,poſtea deſtillationem,& tuſſim excitare ſolet;alioqui tam hye-
me quàm æſtate,occidente Sole,ſi cælum totum aut nubilum,aut
quaſi pluuium cum frigore ſit,valde malus eſt:& æſtate ſpeciatim
prope Tyberim,eo peior, quo magis repentina mutatio fit,ab ae
re calido,& rariore,ad veſpertinum,ob algidos,& crebros è re na- B
ta fluuij vapores, frigidum & ſpiſſum: corpore adhuc etiam ferè
nudo,aut leuiſſima veſtimenta pariter induto.Quo caſu nunc ocu
li,nunc aures,ab huius aeris denſitate, atque craſſitie dum oppri-
muntur,illi cæcitate,hæ ſurditate interdum periclitantur. Ad hæc
hyeme,veſpertinus;æſtate matutinus,propter intenſius,& grauius
frigidum,capiti vulnerato, ſi tum medicetur, magis quàm in alijs
horis obeſt:hominique hoc eodem tempore è cubiculo conclu-
ſo calenti foras exeunti, ſi ſtatim occurrat,cutim extimam ob con C
tractum calorem nimis rarefactam conſtipat; cerebrum; pulmo-
neſque lædit: & mala,quæ hinc ſequi conſueuerunt, ſæpius vero
deſtillationem,inducit. Quod qui cauere voluerit, is antequam
in aerem apertum prodeat, in loco altero, tamdiu immoretur,
quoad cutis ipſa ſenſim refrigerata, in ſuum priſtinum habitum
reſtituatur:ſubinde quia pectus,& caput ſimiliter calent,neq. cur-
ſitans,neque loquens moueatur, plus namque inſenſi aeris in ſe
arripiunt; ſed lente, & tacite incedat,quominus ad ſe attrahant. D
Vt autem æſtate frigus, & matutinum, præſertim,ante Solis ortū,
& veſpertinum præcipue poſt occaſum, & auras magni Tyberis
obſeruare oportet:ſic interdiu nubilo cælo,Soli aperienti ſe com-
mittere aliquis nō fidat,ne modo calorē (vt ſupra quoq. diximus)
modo frigus moueat;quæ res maxime grauedines,deſtillationeſq.
in Vrbe pręcipue concitat: ſic etiam,æſtate præſertim, vitare ſolis
ardorem,maximeque poſt cibum,& vinum, neque non & Lunā,
hyeme potiſſimum,ante ipſum eius,& Solis concurſum. Qui ve- E
ro vel ante,vel poſt cibum inſolationes timet,hunc ſi ſolidum ali-
mentum abunde ſumit,non vinum, ſed aquam bibere. Multus
enim cibus vnà cum Solis calore caput quidem replet, cum vino
autem non modo inſignem in illo dolorem,ſed etiam febrem in-
terdum excitat. Quin etiam æſtate,toto die ſereno,flatu nullo ſpi-
rante,quia Sole occidente, aer cito non refrigeratur, ſed propter
ſuam

A ſuam craſſitiem, ac denſitatem, accedentibus è terra quaſi feruentẽ vaporibus,calorem diu retinet,ad noctis vſque inclinationem. Interea dum ſpiritus vllus non flauerit,neque per Vrbem recreandi animi cauſa (vt ſolent) ſpatiandum; neque foris per vicina loca,ſi fieri poteſt,vel equitandum,vel ambulandum:tum quia iniucundum eſt,tum etiam quia infenſus æſtus,anguſtiam,& aut vertiginem,aut anhelationem,aut huiuſmodi aliqua,in his,qui hæc pati ſolent,irritat. Cæterum appetente aurora,quia calor infeſtus re-

B ceſſit,& frigus illius vicem ſubit,ex iniucundo iucundus ſentitur. Sicut etiam veſpere ſi flatus aliquis,præcipue Fauonius, aut Iapyx ſpirauerit,ſuauis,& non inſalubris eſt. Neque ignorandum eſt,in domibus feneſtras habentibus ſibi ipſis inuicem reſpõdentibus, ſiue ab Aquilone ad Auſtrum; ſiue ab Oriente, ad Occidentem; vtilius eſſe,vbi homo mane ſurgit,ſi orto iam Sole, altera tantum ante patefacta feneſtra, ſe ſe illic Aquiloni, hic Subſolano primum oſtendat. Sic enim quum per id tempus apertos habeat vn-

C dique poros, puriorem aerem attrahet.

Præterea ſi nullus flatus ſpirauerit, aerem ruris, ac vinearum, quàm Vrbis,periculi plus afferre. Illic enim craſſus,denſus, velut aqua lacuſtris manet:hic ab ignibus domorum purificatur,à campanarum ſonitibus,ab hominum,ab equorum,atque aliorum animalium frequentia dirumpitur,ac attenuatur. Verum æſtate ſi aut Aquilo, aut Fauonius flauerit, vinearum aerem non inſalubrẽ eſſe: ſępe tamẽ nocere cõſueuit,quia homines conſuetudinem in

D omni victu mutant. Nam Soli ſe ſe citra tempus exponunt: intempeſtiue,multumque,atq. non ſolita comedunt,bibunt,aguntque: crepuſculo ſub dio cænant,ſubinde plerumque ſudantes vineam perambulant, poſtea noctu domum reuertuntur. Ita non aer, ſed hæc,quæ committuntur,obſunt. Quouis autem anni tempore cõſtitutio Aquilonia fuerit,ſalubriorem & omnino poſtridie, quàm Septentrio flauerit,tutiorem eſſe. vbi tamen aer vel nebuloſus vel caliginoſus eſt,expedit,aut vino penitus abſtinere,aut maxime di-

E lutũ bibere. Craſſus enim aer,ſpiritus in cerebro ſibi ſimiles, ęque videlicet craſſos efficit,eoſdem interturbat,caputque replet: vinũ autem vapore ſuo hæc omnia ſimul auget.

Maritima loca Vrbi vicina, nempe Oſtiã,Portum, Mallianam, Palum,Centũcellas,vulgo,Ciuitauecchia, æſtate cauere. Aer enim valde craſſus,denſus ſimul,ac æſtuoſus,ibi exiſtens,caput eorum, qui illuc per id tempus accedunt, inſigniter implet, circulum ſecundum

cundum vtramque autem,& frontem,& occiput vndequaq. permeantem cum dolore ſæpenumero inducit; ſubinde febrem, & non raro mortis periculum affert.Craſſus quidem, & dēſus eſt,ob mare propinquum,quod in ampliſſimam dictorum locorum planitiem ad vſque ſuperficiem,ſub terram fuſiſſime ſubit,& cum illa miſcetur, vnde aer emanans tanto deterior eſt, quanto ex maris,& terrę mixtura denſior,atque craſſior emergit. Quamobrem terra tota ferè ſemper humida,& quaſi paluſtris eſſe videtur.Non A
enim ibi paulo infra terram glarea,ceu calce incruſtata,ruderis inſtar, aut aliquid ſimile, vt in pleriſque locis vbique ſubſiſtit; quæ ingreſſum mari prohibeat;non montes vlli ibidem ſunt,qui mari vt latiſſime non ſubterlabatur,obſiſtant: ſecus quàm Genuæ, & Neapoli contingit, in quibus proxime obiecti montes, ſuis radicibus impediunt,quominus immenſum pelagus, ſubtus in terrā citerius ingrediatur. Sanè terra vſque adeo madida exiſtente tamquàm ſub ea ſtagnantibus marinis aquis,non autem vltra, citraq; B
(vt in fluxu,refluxuque dicunt)recurrentibus, ſed permanētibus, cum ipſa quoque terra permixtis,ac ferme corrūptis.Sol huiuſmodi quidem vapores ſurſum hinc elicit, ſed neq. eos reſoluere, neque purificare valet;quia quo magis attrahūtur,eo plures,ob aquę marinæ(vt diximus)perpetuo influentis copiam,ſuboriuntur,atq; multiplicantur. Qua de re quum prope terram conferti ſubſidant; mirum non eſt vbi deorſum in ſe ipſos labuntur, ſi denſentur, ſi craſſeſcant, ſi denique grauiores fiant. Non ſolum enim quia de C
terra prodeunt,ſed quoniam in ſuperiore medio,non purificātur, vixque attracti ferè confeſtim in terram concidunt, ſe ipſos comprimunt, denſant, ponderoſique fiunt. Vnde deinceps niſi flatus aliquis agitet, & diſcutiat, aer denſus, craſſus,& grauis efficitur: quemadmodum aqua vel tenuis, dum in vaſe firma continetur, euadit;partes enim ſupernæ ſemper infernas premunt,cogūtque. D

Talis igitur aer, quoniam in vallibus ipſis plerumque non cōmouetur,ſed manet;ſi ei calor addatur,vt ferrum, magis quàm ſtupa,ignem retinet,vtrique intēſius:ita magis infeſtat, ferè ſuffocat, & malis proxime dictis hominem afficit. At in ſeptemtrionalibus plagis, & alijs huiuſmodi nō perinde lædit,quia propter Solis diſtantiam,obliquamque radiorum reflexionem, aut nō adeo caleſcit,vt impēſe calefacere poſſit, aut à flatibus vehemētibus hinc inde propulſus,caloris impreſſionē noua perpetim exorta mutatione,in ſuis partibus cito accedētibus,&recedētibus nō admittit. E

Hyeme

A Hyeme tanto minus eſt periculoſus, quanto plus frigoris eſt
adiunctum illi. Quippe frigus, vt calori opponitur, ita vi contra-
ria prohibet, quo minus putredinem, & mala proxime dicta, pro-
creet. Flante tamen Aquilone præſertim miti, ſalubris & iucundus
eſt: ſalubris quidem, quoniam ab illo purificatur. Iucundus vero
quia ſine frigoris aſperitate propter locum natura calidum, ſere-
nus etiam efficitur.

Cæterum aquæ ex his locis ſcatutientes, quia crudæ ſunt: quæ
B autem ex medio cęlo in ciſternis recipiuntur, quia fieri vix poteſt,
quin huius aeris craſſi, & denſi, vnde naſcuntur, naturam præſefe-
rant, melius vtique ſuccedet his, qui hyeme vt ſolatij, aut alterius
rei gratia huc ſe conferunt, vbi cõmoditas datur, aquas ipſas aliun
de huc aduehere, quàm hic aut naſcentes, aut collectas bibere.
Siquidem longus harum vſus non minuſquàm aeris, iecur, & lie-
nem obſtruit, in tumorem attollit, dyſenterias, alui profluuia, & hę
morrhoidas accerſit; homines decolores, collo, brachijs & facie
C interdum extenuatos reddit.

Quia etiã æſtate media, ex Vrbe in alia loca ſimilis aeris, aut for
te melioris, migrare nihil intereſt, ſi perbreue ſit iter, in quo pera-
gendo nihil fatigetur homo: ſin longum ſit interuallũ, vtpote Ro
ma Neapolim & cõtra plurimũ refert, vel enim morbũ aliquẽ, vel
perniciem afferre ſolet, ſcire licet id non propter loci, & aeris mu
tationẽ, quoniã interdũ ad meliorẽ itur: ſed propter eius, qui illuc
meat laſſitudinem, atq. laborem, quippe qui dierum quatuor, aut
D quinq. iter faciens, quo magis feſtinat, eo minus dormit, magis in-
tẽpeſtiue cænat, ac prandet, intẽperantius calet. Ab his cruditate,
ſitim, ſpirationem crebram, denſamque concipit, deinde locum,
quo tendit, æquè ferè aut paulo minus calentem reperiens, præexi
ſtente laſſitudine & ſpiratione, propter iter longum, & motus ve-
locitatem frequenti, geminatur in pulmonibus anguſtia, ſitis au-
getur, immodice potatur, non dormitur, male concoquitur, po-
ſtea morbi, febreſque, & interdum cum morte ſequuntur. Ideo
E plerique nunc affirmãt, ſi quis Roma Neapolim, aut illinc Romã
naui vehatur, nullum vitę diſcrimen quoad hoc eſſe: ita non aeris
mutationem, ſed incommoda, quæ longius iter, & celerius ac mo
leſtior motus efficit, vitæ diſcrimen, & morbos apportare.

Cæterum, etſi de anni temporibus, ac tempeſtatibus, & ventis
ſupra latiſſime dictum eſt; nihil minus qua communiter aerem re-
ſpiciunt, non ineptum eſt, aliqua hic tamquam compendio repe-
tere.

tere. Itaque in hac vrbe, quemadmodum in pleriſque alijs locis, ſa- A
lubertimum ver eſt; proxime deinde ab hoc, hyems: periculoſior
æſtas, præſertim ſi calor intenſior ſit, quàm conſueuerit. Id quod
multos aliter opinantes non parum decipit: quippe qui & pluri-
mum bibere, & nihil ferè dormire nos cogit: vtrumque cruditas,
hanc putrefactio, ſubinde febris comitatur, longe tamen pericu-
loſiſſimus autumnus eſt. Ferè namque meridianis temporibus, ca-
lor: nocturnis, atque matutinis, ſimulque etiam veſpertinis frigus
eſt. Corpus ergo & æſtate, & ſubinde meridianis caloribus relaxa- B
tum, ſubito frigore excipitur; quo fit vt autumnus plurimos op-
primat. Sed vt hoc tempore id maxime fit, ſic quandocunq. eue-
nit, noxium eſt. Ex tempeſtatibus vero optimæ ſunt æquales, ſiue
frigidæ, ſiue calidæ: peſſimæ, quæ maxime variant.

Vbi ergo æqualitas eſt, ſaluberrimi ſunt, pro ratione tum aeris,
tum flatus; ſereni dies præterquam (vt ante narratum eſt) auſtrini:
meliores pluuij, qui frigus ſecum ferunt, quàm tantum aut nebu-
loſi, aut nubili: optimique hyeme, qui omni vento vacant: æſtate C
quibus fauonij perflant: ſi genus aliud ventorum eſt, ſalubriores
ſeptemtrionales, quàm ſubſolani, vel auſtri ſunt. Denique præter-
mittendum non eſt, æſtate, auſtro flante, loca ſeptentrioni paten-
tia, hieme autem, aquilone, ea quæ meridiei expoſita ſunt, ſalu-
briora eſſe. Hactenus de aere.

De motu & quiete. Cap. X.

Motus, de quo nunc potiſſimum agitur, non omnis eſt, ſed D
loci mutatio: neque item hæc omnis, ſed corporis dum lo-
co mouetur, exercitatio: non vltra modum quidem (vt in
gymnaſticis) ſed intra. Quies vero, id quod huic opponitur, nem-
pe manſio in loco, neque iſta omnis ſed exercitationis prædictæ,
vbi ea opus eſt, vacatio. Illa igitur (vt ſupra diximus) aut natura aut
arte fit: natura quidem, quoad crementi manifeſti tempus durat,
id quod annum vigeſimumprimum raro excedit: arte autem in
decremento: ſanè altera, fieri natura dicitur, quia ſponte ſine vllo E
præceptore vſque ad pubertatis vltimum, loco mouemur ac exer-
citamur: altera vero, arte: quia poſt adoleſcentiam, non æquè ſpon
te ad motum incitamur: quo vlterius ætate progredimur, eo ma-
gis & ſæpius admonitore indigemus.

Vtriuſque vna communis ratio eſt: primum vt innatum calidũ
excitet, ſimulque alimentum, ſi ægre per corpus funditur, vt facile
diſtribu-

A diſtribuatur:deinde naturalia,conſuetave recrementa,ſi lente,tardeve prodeant,vt prompte vacuentur. Quemadmodũ enim Sol, aerem nebuloſum,ita exercitatio,animalis corpus purificat.In his ergo qui palam augentur,quia calor illorum perpetuo vegetatur, non ita multum: in his, qui non adeo palam, aliquanto magis: in his qui decreſcunt, maxime neceſſaria eſt. In illis enim inſitus calor, vna cum circumfuſo aere plerumque ſatis ex ſe ipſo eſt ad alimentum digerendum,& eius excrementa pellendum:in alijs qui B clam augeſcunt, quod ſummum (vt aliqui arbitrantur) eſt ad annos vſq. nouem & quadraginta,paulo prius,aut poſterius,raro: in alijs,qui deinceps ſunt,quia ſenſim deficiunt, numquam ſufficit. Hic ergo innatus hominis calor adoleſcentia finita, quum iſthæc abſoluere per ſe nõ poſſit,alterius opem poſtulat: hæc autem dicta exercitatio eſt: quæ niſi fames vrgeat, niſi præter naturam aliqua debilitas adſit,niſi corporis inanitio extenuatiove præceſſerit,ſemper antecedere cibum debet:ita tamen vt eius,qui natura imbecil C lus eſt,imbecilla ſit:validi valida:conſueti,conſueta: in his qui durioribus cibis veſcuntur,fortior,in his qui mollioribus,lenior: in eis item qui bene concoxerunt, & tardius fatigantur,amplior: in eis qui minus cõcoxerunt,& citius laborant,remiſſior: minus etiã plana, quàm inæqualis commoda eſt: ſiquidem melius aſcenſus, & deſcẽſus cum quadam varietate corpus moueat: melior item in Vrbe per edita loca,vbi aer apertus eſt, quàm per ima: melior ſub dio,quàm in porticu:melior,ſi caput tolerat,in Sole,quàm in vm- D bra melior in vmbra,quàm parietes aut viridaria faciũt,quàm quę tecto ſubeſt;melior recta,quàm flexuoſa: melior mane paulo poſt ſolis ortum,modo intempeſtiuus eius calor ſedulo vitetur, quàm ante cęnã. ¶ Hieme quinetiã intenſior & longior, ęſtate remiſſior & breuior:quod etiam vbi flatus ingentes ſunt,ne nimiũ attrahantur, nõ ſolum æſtate, ſed quouis tempore maxime obſeruandum eſt. Nam aucto inſigniter motu,natura celerius attrahit,flatus impenſius irruit,nimis cito repletur corpus,præcipue vero caput.

E Cælo præterea vel nubilo,vel caliginoſo; pluat, aut non pluat, ſi frigus eſt,minus inſalubris:ſin calor,magis.In hoc enim caſu,hic corpus frangit,illud roborat.

Eo autem Romæ magis neceſſaria eſt exercitatio, quanto craſſior & denſior eſt illius aer,& quanto cibi, quia parum nutriunt copioſius(vt ante quoque narrauimus) aſſumi debent. Niſi enim expulſionum,& diſtributionum viæ ſemper pateant,ſemper peri-

culoſe viuitur ab his, qui nolunt non impleri. Sunt autem hi, na- A
tura quàmplurimi, & pene omnes.

Neq. audiendi ſunt, qui mane, priuſquã exercitatio incohetur,
aluũ antea ductam ſemper eſſe oportere, præcipiũt. Sæpe nàq. nu
mero dũ id expectatur, tempus eius faciendæ præterit. Sane gym-
naſticis, quia non ſolum exercebantur, ſed immoderate labora-
bant, id quidem neceſſarium erat. Nos vero quia nunc modera-
tius exercemur, id ita mordicus obſeruare, nihil cogit. Nam inter
exercendum, cibi excrementa plerumque deſcendunt, & finita B
exercitatione, aluus quaſi ſponte mouetur. Neque crudorum hu-
morum (vt quidam dicunt) ad cutim transfuſio timenda eſt: quia
quum intra modum fiat, vt ſenſim quod cuti ſubeſt, euacuatur;
ita quod in inteſtinis & ſtomacho forte redundat, deorſum fer-
tur: nec vi aliqua, quoniam non eſt, ad cutim pellitur. Intra modũ
eſt, ſi bona coctio præceſſerit: id cognoſcitur, ſi homo poſtquam
noctu dormiuit, mane ſurgit corpore agili, & facie non triſti, ſed
hilari, atque iucunda, prout eius natura poſtulat. C

Cæterum ſi quis ante vẽtrem exonerare, quàm exerceri ſolitus
ſit: is certe ſi prius nõ egeſſerit, quia ſignum in eo priuatim eſt nõ
bene concoxiſſe, tamdiu dum aluum exoneret, immorari debet;
qui vero non conſueuerit, hunc ad id adſtringere ſæpe vanum,
non raro noxium eſt. Ergo qui bene concoxit, hic mane vt hila-
riter ſurgit, ita ſe ſe exercitationi tuto dedat: qui parum, hic quoad
illa perficiatur, quieſcat: aut ſi mane ſurgendi neceſſitas eandem
impediuerit, ante redormiat. Qui non concoxit, ex toto conquie D
ſcere debet, ac neque labori ſe, neque exercitationi credere.

Neq. ſilentio prætereundũ eſt, exercitio pingue quidẽ cõſumi,
carnes vero nequaquã: proinde vẽtrẽ carneas inter partes, quæ
viſui ſubijciuntur, quia pinguior eſt, attenuari: reliquas vero non
minui, ſed pleniores fieri. ¶ Quinetiã ambulationes prolixas per
plana magis laborioſas, quàm per incompta, & inæqualia eſſe.
Quippe illæ, quia ſimiles ſemper ſunt, in eaſdem partes laborem
incutiunt: hæ vero contra faciunt. Per omnes enim corporis par- E
tes illum diuidunt, atque diſpertiunt: quo fit, ille vnus, idemque
perſeuerans, vt magis: hic tamquam diuiſus, & diſperſus, vt mi-
nus lædat. Sed interim neque ignorandum, quanto prolixæ per
plana de ambulationes ſunt operoſiores, tanto breues, quia mo-
tus idem non ita diu, ſicut in longis durat, leuiores eſſe. Contra ve
ro, rectas quæ viciſſim à loco altero ad alterum ſiunt, quo breuio-

A res,quia de contrario in contrarium celerius mutari contingit,eo moleſtiores exiſtere.

Omnino autem accliues magis laborioſas,quam decliues,& magis extenuare. Quum enim aſcendendo ſurſum præter naturam efferamur, nec ſine calido (id enim ad molem eleuandam naturæ ſubſeruit) ſic efferri poſſimus(indicio ſunt qui minus habēt innati calidi: difficilius enim ſurſum mouentur)corpus noſtrum maiorem in modum caleſcat opotter, Quo fit vt arduum ſit id exer-

B cendi genus, atque ob id ſudores moueat: & vt ſpiritum ſæpe ſuſpendit,ita ſępe quoque internum alimentum quominus prompte nos alat, intercipit,nec facile diſtribui ſinit. Dum enim in altū nos attollere conamur, expulſioni magis quàm attractioni ſtudemus:quo enim magis corpus noſtrum in ſublime iactare nitimur, eo copioſius ipſi ſudamus: quāto autem minus attrahere interim cogimur,tanto parcius poſtea nutrimur,vnde labor & extenuatio ſequitur. Hinc etiam monticolæ,quia ſurſum ſæpius feruntur,ma

C gna ex parte graciliores ſunt,quàm qui in vallibus degunt.

Faciunt item accliues, vt lumbi, vt genua,vt crura;decliues,vt femora potiſſimum laborent. Quamquam enim totum corpus femoribus incūbit,quod ceu pergraue pondus ſuper illa ſe ſe deorſum premit: vbi tamen aſcendimus, quia dorſo aliquantulum incuruato, & capite in anteriora propenſo,mouemur,ſimulque femora,genua, & crura in anteriora quoq. eleuamus, quaſi conuerſo in arcum corpore toto,lumbos ipſos inflectimus,frangimus,&

D euellimus.Quamobrem quando montē altū ſcandendo ſuperauimus,lumbi ſæpenumero dolent.At vero ſi aſcendamus,genua, & crura;ſin deſcēdamus,femora labor mēbratim exercet: quia ſecūdū naturā eſt genibus ante, femoribus retro, flecti. Surſum igitur gradientes, quū genua retro, quàm ante, interea dū erigimur, magis tendamus,neceſſe eſt & illa, & crura,in quibus aſcenſus ſingulatim firmatur,magis pati:quemadmodum contra,quum deſcendimus, femora, quoniam non retro vertimus, ſed potius ante diſ-

E ſtendimus,magis quàm aſcendendo,laborare. Nam ceruice quaſi repanda,dorſo ferè intro retracto, tamquam ſupini, ac pectoroſi deſcendimus:quod niſi femorum articulos præter naturam introrſum pellamus,fieri nullo modo poteſt.

Per loca vero dura,& renitentia,vt per plana tum marmora,tū ſilices, ambulationes: crurium muſculis & tendonibus laborem inferre: quippe quæ tam his, quàm illis contentionem mouent.

Violento enim nixu,quia propter duritiem non cedunt, veſtigia grauiter impingi,& læſionem his partibus induci neceſſe eſt. A

Per vias autem vtpote terrenas,firmas quidem,ſed non omnino reſiſtentes, immo quæ pedibus facile cedunt,potius articulis quàm muſculis operoſas eſſe. Licet enim frequens tam in articulis flexus, quàm in pedibus ad terram percuſſio ſit, quia tamen terra cedit, articuli vero iugiter ſe ſe mutuo collidunt, tibiarum muſculi,tendoneſque minuſquam articuli laborent,oportet.

Neque obliuioni tradendum eſt,deambulationes validas,calidis temporibus carnem magis extenuare, quàm frigidis: illæ námque partibus externis laboris plus afferũt,qua de re ſudorem euocando,carnem imminuunt: hæ contra reddunt eam conſtantiorẽ, ſtomachum excitant,ciborum faciunt auidiorẽ. In partibus enim internis calorem augent, membriſque ad frigoris appulſum torpentibus,locum intimum calore amplificato, efficacius purgant. Carnem vero ſolidiorem efficiunt, vtpote quæ in eam totam nequeant,vt in calidis,permeare. B

Demum in multa deambulatione,femora præſertim in medio magis quàm tibias,fatigationem ſentire, non modo quoniam in femoribus totum ſupernum corpus rotatur, & ante & retro vertitur,ſed quia inter tibias,& corpus reliquum exiſtentia ſuſque deque vehementius, & magis, quàm cætera,mouentur. Qua de re in eis muſculi ſæpins extenſi,& retracti, quoniam hoc opere ad mediũ, & à medio potiſſimum agitantur, vbi nimium laborarint, in medio dolorem,& laſſitudinem ſentiunt. C

Atqui exercitium neq. immodico labore,neque certa lege definiri poteſt: ſed pro natura corporis modo minus, modo magis faciendum eſt. Nam vt cibi, & potus, ita exercitij terminata & exquiſita ratio periculoſa eſt. Finis ergo, qui ab illo ceſſandum eſſe docet,non vnus eſt: ſed tum ab eo recedendum, vbi aut fames nõ leuis oritur,aut rubor ſubortus tabeſcit,aut carnes, quæ tumeſcũt, iam cõcidere incipiunt: aut vox longe minor efficitur, aut corpus ſegne ad motum ſe præbet, & vigor labitur,aut ſi ſudor apparet, tum vel minus eſt,vel ſine manifeſta cauſa deſinit,aut denique laſſitudo, quæ citra fatigationem ſubit. D E

Scireque interim licet, exercitatione, quam fames comitatur, deinde hęc abſque vllo nutrimento,quod acceptum ſit,ex ſe ipſa deſinit,obeſos quidem iuuari, ſed graciles maxime lædi: ſemper enim extenuat. In eo vero,quam anhelatio ſequitur, interea dum

hæc

A hæc perſeuerat, ſiue his, ſiue illis cibum aut potum dare noxium eſſe. ſi namque detur, ſæpeque id contingat, ſæpe rabem excitari: quippe nutrimenta per id tempus aſſumpta, quoniam à corpore, quū expulſioni ferè totum incumbat, nõ attrahuntur, intus in vẽtre relicta, multo magis quàm par eſt, putreſcunt, & iniucũda fiũt: adeo non ſolũ in anhelatione ſed quoque in ipſa quiete, quæ poſt accedit, quia diutius in ſtomacho moratur, vt magis ingrata ſunt, ſic à partibus non facile ſuguntur, ſed potius reſpuuntur. Proin-B de hos male nutriri, & aſſueſcere non ali, ſubinde tabeſcere neceſſum eſſe.

Cæterum à prandio, ſiue à cæna, moderate, placide, & lente vel incedere, vel equo, aut lectica vehi, nihil obeſt: multum vero exerceri, malum.

Adeo qui pleno ventriculo, plurimum, & crebro, ſed per interualla exercentur, his vlcera exoriuntur: non modo quia nutrimentum crudum, ſed quia plus æquo ad cutim pellitur, vbi ceſſante C motu, quoniam amplius neque agitatur, neq. diſcutitur, ſed quieſcit, & retinetur, ob longiorem moram valde putreſcit. Ita putrefactum acrimonia, ſalſedineve ſua carnes vellicat, pungit, & mordet; deinde propter copiam puſtulas accerſit, & vlcera gignit.

Si quis autem vitiato ſucco refertus, vlceribus ſcatet, ſed ventriculo inanito, vehementer ac ſæpe laborat, & ſudat; hic à præexiſtentibus vlceribus liberatur, & ſanus fit; vt his qui venerea lue affecti ſunt (quemadmodum lib. de morbo Gallico docuimus) vſu veni-D re ſolet.

Nec ignorandum eſt, quemadmodum candela vel ex cera, vel ex ſeuo dũ accenſa fuerit, ſi flatui exponatur, citius conſumitur: intra cubiculum vero, citra flatum, diutius durat: ita corpus noſtrũ nimis exercitatum, non diu viuere, ſed breui conſumi: moderato vero, diutius perſeuerare, magiſque longæuum eſſe.

Quinetiam quemadmodum Aquilone per hiemem vehementer ſpirante, lutum valde conſtringitur, intro autem eius humidũ E coercetur, deinde Solis ardere liquatur: corpora item noſtra foris exiccantur, intus vero maiori ex parte retinentur ſucci, qui poſtea quaſi vi quadam ante compreſſi, ſuperueniente calore, magis funduntur: ita tum vere, tum æſtate, ſi vehemens Aquilo flauerit, atque talis conſtitutio fuerit, quia Sol accedens quàm hieme validior eſt, per hæc tempora, neque ſe Soli diu exponere, neque nimium exerceri, tutum eſſe.

Interim

Interim quoque noſſe oportet, exercitationem (magis communiter, quàm ſupra dixerimus, eius voce recepta) non ſolum noſtri corporis motu, ſed etiam in ipſa quiete, crebro aeris noui, purique tum attractu, tum expulſu perfici. Atque eum, qui toto die vel in vehiculo, vel in ſpectaculis, aut aliter ſedit: vehementer nec exerceri, nec omnino currere (vt aliqui ſolent) debere (magnam enim ſubitamq. mutationẽ natura nõ tolerat) ſed lẽte ambulare, cęnamque frugaliter, ac perparce ſumere. Illud quidem vt ſenſim à quiete ad motum tranſitus fiat, hoc verò vt leuiter exercitato, leuis cæna proportione reſpondeat. A B

De lauacro & quiete. Cap. XI.

HActenus de exercitatione, ad quam ſimilitudine rationis reduci poſſunt arma, pila, curſus, equitatio, clara lectio, frictio, balneum, & id genus alia.

Sequitur quies; ſed ſi prius de balneo dulcis aquæ paucula quædam ſubſcripſerimus. Sane id apud antiquos inuentum fuiſſe, primum vt ſe à ſordibus cutim vniuerſam quotidie inficientibus abſtergerent, deinde vero in luxum deueniſſe veriſimile eſt. Quum enim ſubuculis lineis, quas camiſias vocamus, aut carerent, aut nõ æque crebro, vt nos, vterentur; immunda fæditate referti, ſe ſe balneo expurgare in dies cogebantur. Nunc vero quoniam dictarũ ſubucularum magna copia paſſim habetur, ita vt nulli vel pauperrimo deficiant, mirum non eſt, ſi tam frequẽs, & aſſiduus olim huius balnei vſus, ferè nunc obſoleuerit. Cæterum id æſtate ſæpius, & potius, quàm hieme (vt Hipp. ſiue Polyb. de ſalubri diæta.) adhibendum eſt; ſed ſi opportune adhibeatur, extenuatis, qui ſine vlla peculiari viſcerum læſione, non appetunt, valde conducit: carnes enim in tumorem attollit, hæ tamquam cucurbitulæ tum à venis ſugunt, venæ ab hepate, id à ſtomacho, qui denique famem excitat. Sed vt hoc ante cibum, & non prius, quàm aluus exonerata ſit, vtendum; ſic ab eodem, poſtquam carnes tumuerunt, antequam concidant, deſiſtendum. Longa enim in eo mora, mentem cõfundit, vires diſſoluit: nauſeam, vomitum, & ſyncopen mouet. In tempore quoque ſi adminiſtretur, cutim detergit, eiuſdem meatus aperit, nutrimentum ad eam euocat, corpus humectat, cibis aptũ reddit, ſuccos attenuat, horum nimietatem imminuit, flatum diſcutit, laſſitudinem tollit, dolores mitigat, ſomnum conciliat, ventrem aſtringit. Succiplenis officit, humores enim liquat, qui quoniam C D E

A niam maiorem locum exigunt,corpus diſtendunt,deinde aut im-
portuna aliqua vacuatione,aut abſceſſu quopiam afficiunt. Iccir-
co Hipp.acutorum 3. lauacro (inquit) cõmittendus non eſt, qui
nuper vel ſorbitionem, vel potionem ſumpſit, ac ne à lauacro
quidem illico vel ſorbere, vel bibere conuenit. Lateris, pectoris,
& dorſi dolorem mulcet;ſputum maturat & educit;ſpiritum facilẽ
reddit,laſſitudinem tollit,articulos,& ambientem cutim emollit;
vrinam ciet,capitis grauitatẽ ſoluit,nares humectat.Qui per mor-
B bos citatiore ſunt aluo quam fuerit opportunũ, aut quibus ſupra
modum aluus aſtricta non ducitur, ij lauacro committi non de-
bent:ac neque ij, quibus imbecillæ ſunt vires, aut qui faſtidio,
aut vomitione affecti ſunt, aut qui billioſa ructant,aut quibus ſan-
guis è naribus profluit,niſi minus, quam occaſio expetit, effluat.
Hæc Hipp.

Sed interim admonere conducit, prædictum balneum ex te-
pentibus aquis dulcibus fieri debere. Nam ſi iuſto calidiores fue-
C rint,horrere corpora,contrahique,exiles eorum meatus ſubigunt
ita vt nec madeſcere ab extrinſecus accedente humore, poſſint,
nec excrementi, quod intus latet, quicquam emittere. Verum ad
quietem redeamus.

Hæc,vt exercitationi (de qua ſermo nunc eſt) opponitur,ita cõ-
traria potiſſimum facit. In his enim, qui non euidenter creſcunt,
vtpote annum ſupra vigeſimumprimum:tantum abeſt, vt innatũ
calidum excitet,vt nimis impedito per ocium ventilabro, quod
D calido cuiuſque viuentis neceſſarium eſſe videtur, illud quaſi ex-
tinguat. Nec alimentum per corpus digerit, ſed in vaſis primis
quoniam à motu nõ funditur, inculcat,& ſupprimit:vnde obſtru-
ctio,deinde exigua nutritio, poſtea extenuatio contingit. Nec ad
excrementorum expulſionem,ſed, quia ſegnitiem partibus affert,
ad retentionem conducit. Denique præter naturam tum alimen-
ta in primis vaſis, tum excrementa in alijs locis immorari, & non
excerni prohibens,vtraque intenſius putrefieri,& hominẽ aſſue-
E ſcere non ali,postremo tabeſcere cogit.

Obijciet aliquis:cur gallinę,capi,ſues, dũ loco clauſi manent ſi
alimentũ offeratur, valde pingueſcunt; homines vero graciliores
fiunt? Et contrà,cur aliqui tũ viri,tũ mulieres qui vitã agunt ſeden-
tariã,bene habent,nec extenuantur,ſed pleniores fiũt? Huic reſpõ-
dendum, animalia, quæ indifferenter tum in ipſa quiete, tum in
motu,ſua nutrimenta per corpus digerunt, & excrementa per cor-

pus

pus digerunt,& excrementa reddunt,nihil impedire, dum quieſcunt, quominus obeſa fiant. Tales eſſe ſues, capos, gallinas. Quæ vero nō quiete perinde,ac motu bene tum nutriuntur,tum excernunt;ſed motu potiſſimum ad id vtrumq. peragendum indigent; hæc quieſcentia lædi, extenuari & tabeſcere. Huiuſmodi exiſtere homines ipſos, non tamen omnes,ſed plurimos, vtpote qui ſatis creuerunt,& motum ipſum ad alimentum diſtribuendū, & excrementa pellendum requirunt. Sic equos loco diu detētos, vel ſemper parato pabulo,etiam extenuari.Cęterū exemplo quod à viris,& mulieribus per quietem pingueſcētibus, accipitur, prædictam ſententiam non deſtrui: quoniā ij pauci ſunt, & aut breui pingueſcunt, poſtea extenuantur, aut forſan in quiete non minus,quàm in motu ad coquendum, & excernendum æqualiter ſe habent. Artium vero,& ſcientiarum documenta, non ex paucis; ſed aut ex omnibus,aut ex pluribus conflari. A B

Denique dicendum,de quiete nos loqui,quæ(vt diximus)exercitationi opponitur. Ita ſi homo exercitatione nutrimentum cōmode coquit,digerit,excernit, & melioris habitus fit;hunc eundē quiete,quæ huic aduerſatur,contraria ſortiri,& extenuari. C

Verum in huiuſmodi quiete,non inquam in ea,quæ cum ſomnus nocte cōciliatur,extenuatio contingit:quoniam illa,quæ propter exercitationem, per corpus aut diſtribuuntur, aut expelluntur,intus retinentur, valde putreſcunt; ingrata internis partibus fiunt.Quamobrem hominem ali aut non ſinunt,aut ægre permittunt:præter id quod(vt quidam opinantur)refrigeratur corpus, cumulata cruditate plurima, quæ ſubinde calorē innatū extinguit. D

Sed interim admonēdi ſumus,vbi aliqua de cauſa impediti,nequaquam exerceri poſſumus, ſed loco quieſcere cogimur, tum conducere,cibis non grauibus,non liquatu difficilibus,modo natura toleret; ſed leuioribus,atq. his iurulentis vti,quo promptius, abſq.vllo negocio,tum in venas,& in corpus vniuerſum ſubeant, tum aluo ſecedant,ſimulque breui,& raro decumbere: ſæpius ſtare,quo melius tum diſtribuantur, tum eorū ſuperflua excernātur. E

De cibo & potu. Cap. XII.

VT oleo deſinente,lumen;ita nutrimento deficiente,innatus calor abſumitur. Quocirca ne deſit alimentum, expedit, naturalem tum famem, tum ſitim, diu non pati: quin immo ſtomachum ſæpius plenum, quàm vacuum habere.

Non

A Nō enim (vt quidam exiſtimant) illum penitus expurgari antequā comedatur, oportet: vbi namque id euenit, tum illius partes conci dunt, nec iterum amplificari, nec alimētum rurſus recipere, vt antea vſus erat, poſſunt: quemadmodum his accidit, qui prandere, & cænare ſolent, ſi mane fameſcant, pranſi vero non ſint, veſpere cœnare minus queunt. Sed ſatis eſſe, ſi quid inutile inſit, id tamquam naturæ alienum prius excerni, ſubinde aliud nouum in eius vicē aſſumi: atque ſtomachum ipſum ita nutrimento refertum perpe-
B tim ſubſtinere; quod alioqui niſi ſua vel copia grauaret, vel qualitate vitiata nutrire amplius nequiret, nec totas expelli, nec aliud vnquam inquirere neceſſarium foret, ſed hoc eodem quoad intus eſt, frui ſufficeret.

Cæterum bis die, ac ſæpius cibum capere cogimur: non quo tempus, & ſpatium concoctioni (vt omnes hactenus opinati ſunt) in ſtomacho relinquatur (nam plantæ quoque nutriuntur, non ta men à terra nutrimenti coctionem, vt nutriantur, terminatis ho-
C ris, quemadmodum nobis euenire putatur, expectant: quod etiā de brutis, de pueris, qui toto die comedunt, ſimiliter aſſerendum videtur) ſed quo alimentum alternatim ingeſtum, ferè numquam intermittat, quominus internis partibus appatatum in eodē ſemper inſit. Quod quum vnico nutricatu fieri facile non poſſit, id iuxta robur, & molem recipientis vaſis, crebra repetitione compēſatur. Ideo qui naturaliter paruo ſunt ſtomacho, vt pueri, frequentius comedunt; qui ampliore, vt ij etiam quum valde adulti ſunt,
D minus ſæpe.

Neq. ob iſta ſequitur, vt exercitatio dimitti debeat, vtpote quæ famem, quam eſſe fugiendam præcepimus, excitet. Non enim illa, quod fames diu toleretur, efficit: ſed quod vetuſtum intus eſt, neque probe alere poteſt, foras expelli cogit, & in eius vicem, illico nouum aſſumi compellit. Id vbi contingit, ſtomachū diutius refertum alimento, quàm vacuum, huiuſmodi fames ob exercitium commota reddit, contra quàm quis obijceret.

E Atqui melius eſt cibum ſæpius, quàm ſemel, ſi natura ferat, aſſumere; tum quia pulchriore, & amœniore habitu ſunt, qui crebro ſumunt, vt pueri, & nutrices lactantes: tum etiam, quia noua nutrimenta frequentius ingeſta, dum ſibi mutuo ſuccedunt, atque ſecedunt, minus diu putreſcunt in corpore, atque ob id minus ſiccant, vitamque magis producunt.

Melius quoque eſt, ea, quæ facile, quàm quæ difficile vincun-

malum quoq. eſt, cubicula eleuata prope hortos penſiles colere: A
horti namque idem præſtant, quod terra. Veſpertinus item aer,
hieme quàm æſtate periculoſior:quippe qui frigidior, ac denſior
exiſtens,caput & thoracem immodice implere, ſubinde obſtrue-
re,poſtea deſtillationem,& tuſſim excitare ſolet;alioqui tam hye-
me quàm æſtate,occidente Sole,ſi cælum totum aut nubilum,aut
quaſi pluuium cum frigore ſit,valde malus eſt:& æſtate ſpeciatim
prope Tyberim,eo peior, quo magis repentina mutatio fit,ab ae
re calido,& rariore,ad veſpertinum,ob algidos,& crebros è re na- B
ta fluuij vapores, frigidum & ſpiſſum: corpore adhuc etiam ferè
nudo,aut leuiſſima veſtimenta pariter induto.Quo caſu nunc ocu
li,nunc aures,ab huius aeris denſitate, atque craſſitie dum oppri-
muntur,illi cæcitate,hæ ſurditate interdum periclitantur. Ad hæc
hyeme,veſpertinus;æſtate matutinus,propter intenſius,& grauius
frigidum,capiti vulnerato, ſi cùm medicetur, magis quàm in alijs
horis obeſt:hominique hoc eodem tempore è cubiculo conclu-
ſo calenti foras exeunti, ſi ſtatim occurrat,cutim extimam ob con C
tractum calorem nimis rarefactam conſtipat; cerebrum, pulmo-
neſque lædit: & mala,quæ hinc ſequi conſueuerunt, ſæpius vero
deſtillationem,inducit. Quod qui cauere voluerit, is antequam
in aerem apertum prodeat, in loco altero, tamdiu immoretur,
quoad cutis ipſa ſenſim refrigerata, in ſuum priſtinum habitum
reſtituatur:ſubinde quia pectus,& caput ſimiliter calent,neq. cur-
ſitans,neque loquens moueatur, plus namque infenſi aeris in ſe
arripiunt; ſed lente, & tacite incedat,quominus ad ſe attrahant. D
Vt autem æſtate frigus, & matutinum, præſertim,ante Solis ortū,
& veſpertinum præcipue poſt occaſum, & auras magni Tyberis
obſeruare oportet:ſic interdiu nubilo cælo,Soli aperienti ſe com-
mittere aliquis nō fidat,ne modo calorē (vt ſupra quoq. diximus)
modo frigus moueat;quæ res maxime grauedines,deſtillationeſq.
in Vrbe præcipue concitat: ſic etiam,æſtate præſertim, vitare ſolis
ardorem,maximeque poſt cibum,& vinum, neque non & Lunā,
hyeme potiſſimum,ante ipſum eius,& Solis concurſum. Qui ve- E
ro vel ante,vel poſt cibum inſolationes timet,hunc ſi ſolidum ali-
mentum abunde ſumit,non vinum, ſed aquam bibere. Multus
enim cibus vnà cum Solis calore caput quidem replet, cum vino
autem non modo inſignem in illo dolorem,ſed etiam febrem in-
terdum excitat. Quin etiam æſtate,toto die ſereno,flatu nullo ſpi-
rante,quia Sole occidente, aer cito non refrigeratur, ſed propter
ſuam

A ſuam craſſitiem, ac denſitatem, accedentibus è terra quaſi feruente, vaporibus, calorem diu retinet, ad noctis vſque inclinationem. Interea dum ſpiritus vllus non flauerit, neque per Vrbem recreandi animi cauſa (vt ſolent) ſpatiandum: neque foris per vicina loca, ſi fieri poteſt, vel equitandum, vel ambulandum: tum quia iniucundum eſt, tum etiam quia infenſus æſtus, anguſtiam, & aut vertiginem, aut anhelationem, aut huiuſmodi aliqua, in his, qui hæc pati ſolent, irritat. Cæterum appetente aurora, quia calor infeſtus re-
B ceſſit, & frigus illius vicem ſubit, ex iniucundo iucundus ſentitur. Sicut etiam veſpere ſi flatus aliquis, præcipue Fauonius, aut Iapyx ſpirauerit, ſuauis, & non inſalubris eſt. Neque ignorandum eſt, in domibus feneſtras habentibus ſibi ipſis inuicem reſpōdentibus, ſiue ab Aquilone ad Auſtrum; ſiue ab Oriente, ad Occidentem, vtilius eſſe, vbi homo mane ſurgit, ſi orto iam Sole, altera tantum ante patefacta feneſtra, ſe ſe illic Aquiloni, hic Subſolano primum oſtendat. Sic enim quum per id tempus apertos habeat vn-
C dique poros, puriorem aerem attrahet.

Præterea ſi nullus flatus ſpirauerit, aerem ruris, ac vinearum, quàm Vrbis, periculi plus afferre. Illic enim craſſus, denſus, velut aqua lacuſtris manet: hic ab ignibus domorum purificatur, à campanarum ſonitibus, ab hominum, ab equorum, atque aliorum animalium frequentia dirumpitur, ac attenuatur. Verum æſtate ſi aut Aquilo, aut Fauonius flauerit, vinearum aerem non inſalubrem eſſe: ſępe tamē nocere cōſueuit, quia homines conſuetudinem in
D omni victu mutant. Nam Soli ſe ſe citra tempus exponunt: intempeſtiue, multumque, atq. non ſolita comedunt, bibunt, aguntque: crepuſculo ſub dio cænant, ſubinde plerumque ſudantes vineam perambulant, poſtea noctu domum reuertuntur. Ita non aer, ſed hæc, quæ committuntur, obſunt. Quouis autem anni tempore cōſtitutio Aquilonia fuerit, ſalubriorem & omnino poſtridie, quàm Septentrio flauerit, tutiorem eſſe. vbi tamen aer vel nebuloſus vel caliginoſus eſt, expedit, aut vino penitus abſtinere, aut maxime di-
E lutū bibere. Craſſus enim aer, ſpiritus in cerebro ſibi ſimiles, ęque videlicet craſſos efficit, eoſdem interturbat, caputque replet: vinū autem vapore ſuo hæc omnia ſimul auget.

Maritima loca Vrbi vicina, nempe Oſtiā, Portum, Mallianam, Palum, Centūcellas, vulgo, Ciuitauecchia, æſtate cauere. Aer enim valde craſſus, denſus ſimul, ac æſtuoſus, ibi exiſtens, caput eorum, qui illuc per id tempus accedunt, inſigniter implet, circulum ſe-

cundum

cundum vttamque autem,& frontem,& occiput vndequaq. permeantem cum dolore ſæpenumero inducit; ſubinde febrem; & non raro mortis periculum affert. Craſſus quidem, & ſuſus eſt, ob mare propinquum, quod in ampliſſimam dictorum locorum planitiem ad vſque ſuperficiem, ſub terram fuſiſſime ſubit, & cum illa miſcetur, vnde aer emanans tanto deterior eſt, quanto ex maris, & terrę mixtura denſior, atque craſſior emergit. Quamobrem terra tota ferè ſemper humida, & quaſi paluſtris eſſe videtur. Non enim ibi paulo infra terram glarea, ceu calce incruſtata, tuderis inſtar, aut aliquid ſimile, vt in pleriſque locis vbique ſubſiſtit, quæ ingreſſum mari prohibeat; non montes vlli ibidem ſunt, qui mari vt latiſſime non ſubterlabatur, obſiſtant: ſecus quàm Genuæ, & Neapoli contingit, in quibus proxime obiecti montes, ſuis radicibus impediunt, quominus immenſum pelagus, ſubtus in terrã citerius ingrediatur. Sanè terra vſque adeo madida exiſtente tamquàm ſub ea ſtagnantibus marinis aquis, non autem vltra, citraq; (vt in fluxu, refluxuque dicunt) recurrentibus, ſed permanẽtibus, cum ipſa quoque terra permixtis, ac ferme corrũptis. Sol huiuſmodi quidem vapores ſurſum hinc elicit, ſed neq. eos reſoluere, neque purificare valet: quia quo magis attrahũtur, eo plures, ob aquę marinæ (vt diximus) perpetuo influentis copiam, ſuboriuntur, atq; multiplicantur. Qua de re quum prope terram conferti ſubſidant; mirum non eſt vbi deorſum in ſe ipſos labuntur, ſi denſentur, ſi craſſeſcant, ſi denique grauiores fiant. Non ſolum enim quia de terra prodeunt, ſed quoniam in ſuperiore medio, non purificãtur, vixque attracti ferè confeſtim in terram concidunt, ſe ipſos comprimunt, denſant, ponderoſique fiunt. Vnde deinceps niſi flatus aliquis agitet, & diſcutiat, aer denſus, craſſus, & grauis efficitur: quemadmodum aqua vel tenuis, dum in vaſe firma continetur, euadit; partes enim ſupernæ ſemper infernas premunt, cogũtque.

Talis igitur aer, quoniam in vallibus ipſis plerumque non cõmouetur, ſed manet; ſi ei calor addatur, vt ferrum, magis quàm ſtupa, ignem retinet, vritque intẽſius: ita magis infeſtat, ferè ſuffocat, & malis proxime dictis hominem afficit. At in ſeptemtrionalibus plagis, & alijs huiuſmodi nõ perinde lædit, quia propter Solis diſtantiam, obliquamque radiorum reflexionem, aut nõ adeo calescit, vt impẽſe calefacere poſſit, aut à flatibus vehemẽtibus hincinde propulſus, caloris impreſſionẽ noua perpetim exorta mutatione, in ſuis partibus cito accedẽtibus, & recedẽtibus nõ admittit.

A Hyeme tanto minus eſt periculoſus, quanto plus frigoris eſt
adiunctum illi. Quippe frigus, vt calori opponitur, ita vi contra-
ria prohibet, quo minus putredinem, & mala proxime dicta, pro-
creet. Flante tamen Aquilone præſertim miti, ſalubris & iucundus
eſt: ſalubris quidem, quoniam ab illo purificatur. Iucundus vero
quia ſine frigoris aſperitate propter locum natura calidum, ſere-
nus etiam efficitur.

Cæterum aquæ ex his locis ſcatutientes, quia crudæ ſunt: quæ
B autem ex medio cęlo in ciſternis recipiuntur, quia fieri vix poteſt,
quin huius aeris craſſi, & denſi, vnde naſcuntur, naturam præſefe-
rant, melius vtique ſuccedet his, qui hyemo vt ſolatij, aut alterius
rei gratia huc ſe conferunt, vbi cõmoditas datur, aquas ipſas aliun
de huc aduehere, quàm hic aut naſcentes, aut collectas bibere.
Siquidem longus harum vſus non minuſquàm aeris, iecur, & lie-
nem obſtruit, in tumorem attollit, dyſenterias, alui profluuia, & hę
morrhoidas accerſit; homines decolores, collo, brachijs & facie
C interdum extenuatos reddit.

Quia etiã æſtate media, ex Vrbe in alia loca ſimilis aeris, aut for
te melioris, migrare nihil intereſt, ſi perbreue ſit iter, in quo pera-
gendo nihil fatigetur homo: ſin longum ſit interuallũ, vtpote Ro
ma Neapolim & cõtra plurimũ refert, vel enim morbũ aliquõ, vel
perniciem afferre ſolet, ſcire licet id non propter loci, & aeris mu
tationẽ, quoniã interdũ ad meliorẽ itur: ſed propter eius, qui illuc
meat laſſitudinem, atq. laborem, quippe qui dierum quatuor, aut
D quinq. iter faciens, quo magis feſtinat, eo minus dormit, magis in-
tẽpeſtiue cænat, ac prandet, intẽperantius calet. Ab his cruditate,
ſitim, ſpirationem crebram, denſamque concipit, deinde locum,
quo tendit, æquè ferè aut paulo minus calentem reperiens, præexi
ſtente laſſitudine & ſpiratione, propter iter longum, & motus ve-
locitatem frequenti, geminatur in pulmonibus anguſtia, ſitis au-
getur, immodice potatur, non dormitur, male concoquitur, po-
ſtea morbi, febreſque, & interdum cum morte ſequuntur. Ideo
E plerique nunc affirmãt, ſi quis Roma Neapolim, aut illinc Romã
naui vehatur, nullum vitę diſcrimen quoad hoc eſſe: ita non aeris
mutationem, ſed incommoda, quæ longius iter, & celerius ac mo
leſtior motus efficit, vitæ diſcrimen, & morbos apportare.

Cæterum, etſi de anni temporibus, ac tempeſtatibus, & ventis
ſupra latiſſime dictum eſt; nihil minus qua communiter aerem re-
ſpiciunt, non ineptum eſt, aliqua hic tamquam compendio repe-
tere.

tere. Itaque in hac vrbe, quemadmodum in pleriſque alijs locis, ſa- A
luberrimum ver eſt; proxime deinde ab hoc, hyems: periculoſior
æſtas, præſertim ſi calor intenſior ſit, quàm conſueuerit. Id quod
multos aliter opinantes non parum decipit: quippe qui & pluri-
mum bibere, & nihil ferè dormire nos cogit: vtrumque cruditas,
hanc putrefactio, ſubinde febris comitatur, longe tamen pericu-
loſiſſimus autumnus eſt. Ferè namque meridianis temporibus, ca-
lor: nocturnis, atque matutinis, ſimulque etiam veſpertinis frigus
eſt. Corpus ergo & æſtate, & ſubinde meridianis caloribus relaxa- B
tum, ſubito frigore excipitur, quo fit vt autumnus plurimos op-
primat. Sed vt hoc tempore id maxime fit, ſic quandocunq. eue-
nit, noxium eſt. Ex tempeſtatibus vero optimæ ſunt æquales, ſiue
frigidæ, ſiue calidæ: peſſimæ, quæ maxime variant.

Vbi ergo æqualitas eſt, ſaluberrimi ſunt, pro ratione tum aeris,
tum flatus; ſereni dies præterquam (vt ante narratum eſt) auſtrini:
meliores pluuij, qui frigus ſecum ferunt, quàm tantum aut nebu-
loſi, aut nubili: optimique hyeme, qui omni vento vacant: æſtate C
quibus fauonij perflant: ſi genus aliud ventorum eſt, ſalubriores
ſeptemtrionales, quàm ſubſolani, vel auſtri ſunt. Denique præter-
mittendum non eſt, æſtate, auſtro flante, loca ſeptentrioni paten-
tia, hieme autem, aquilone, ea quæ meridiei expoſita ſunt, ſalu-
briora eſſe. Hactenus de aere.

De motu & quiete. Cap. X.

MOtus, de quo nunc potiſſimum agitur, non omnis eſt, ſed D
loci mutatio: neque item hæc omnis, ſed corporis dum lo-
co mouetur, exercitatio: non vltra modum quidem (vt in
gymnaſticis) ſed intra. Quies vero, id quod huic opponitur, nem-
pe manſio in loco, neque iſta omnis ſed exercitationis prædictæ,
vbi ea opus eſt, vacatio. Illa igitur (vt ſupra diximus) aut natura aut
arte fit: natura quidem, quoad crementi manifeſti tempus durat,
id quod annum vigeſimumprimum raro excedit: arte autem in
decremento: ſanè altera, fieri natura dicitur, quia ſponte ſine vllo E
præceptore vſque ad pubertatis vltimum, loco mouemur ac exer-
citamur: altera vero, arte: quia poſt adoleſcentiam, non æquè ſpon
te ad motum incitamur: quo vlterius ętate progredimur, eo ma-
gis & ſæpius admonitore indigemus.

Vtriuſque vna communis ratio eſt: primum vt innatum calidũ
excitet, ſimulque alimentum, ſi ægre per corpus funditur, vt facile

diſtribu-

A diſtribuarur:deinde naruralia,conſuetave recrementa,ſi lenre,tardeve prodeant,vt prompte vacuenrur. Quemadmodũ enim Sol, aerem nebuloſum,ita exercitatio,animalis corpus purificat.In his ergo qui palam augenrur,quia calor illorum perpetuo vegetatur, non ita multum: in his, qui non adeo palam, aliquanto magis: in his qui decreſcunt, maxime neceſſaria eſt. In illis enim inſitus calor, vna cum circumfuſo aere plerumque ſatis ex ſe ipſo eſt ad alimentum digerendum,& eius excrementa pellendum:in alijs qui B clam augeſcunr, quod ſummum (vt aliqui arbitrantur) eſt ad annos vſq. nouem & quadraginta,paulo prius,aur poſterius,raro: in alijs,qui deinceps ſunr,quia ſenſim deficiunt, numquam ſufficit. Hic ergo innatus hominis calor adoleſcentia finita, quum iſthæc abſoluere per ſe nõ poſſit,alrerius opem poſtulat: hæc autem dicta exercitatio eſt: quæ niſi fames vrgeat, niſi præter naturam aliqua debilitas adſit,niſi corporis inanitio extenuatiove prӕceſſerit,ſemper antecedere cibum debet:ita tamen vt eius,qui natura imbecil C lus eſt,imbecilla ſit:validi valida:conſueti,conſueta: in his qui durioribus cibis veſcunrur,fortior,in his qui mollioribus,lenior: in eis item qui bene concoxerunr, & tardius fatigantur,amplior: in eis qui minus cõcoxerunr,& citius laboranr,remiſſior: minus etiã plana, quàm inæqualis commoda eſt: ſiquidem melius aſcenſus, & deſcẽſus cum quadam varietate corpus moueat: melior irem in Vrbe per edita loca,vbi aer apertus eſt, quàm per ima: melior ſub dio,quàm in porticu:melior,ſi caput tolerat,in Sole,quàm in vm- D bra melior in vmbra,quàm parietes aut viridaria faciũt,quàm quӕ tecto ſubeſt,melior recta,quàm flexuoſa: melior mane paulo poſt ſolis ortum,modo intempeſtiuus eius calor ſedulo vitetur, quàm ante cęnã. ¶ Hieme quinetiã intenſior & longior, ęſtare remiſſior & breuior:quod etiam vbi flatus ingentes ſunr,ne nimiũ attrahantur, nõ ſolum æſtare, ſed quouis tempore maxime obſeruandum eſt. Nam aucto inſigniter motu,natura celerius attrahit,flatus impenſius irruit,nimis cito repletur corpus,præcipue vero caput.

E Cælo præterea vel nubilo,vel caliginoſo; pluat, aut non pluat, ſi frigus eſt,minus inſalubris:ſin calor,magis.In hoc enim caſu,hic corpus frangit,illud roborat.

Eo autem Romæ magis neceſſaria eſt exercitatio, quanto craſſior & denſior eſt illius aer,& quanto cibi, quia parum nutriunt copioſius(vt ante quoque narrauimus) aſſumi debent. Niſi enim expulſionum,& diſtributionum viæ ſemper pateant,ſemper peri-

culoſe viuitur ab his, qui nolunt non impleri. Sunt autem hi, natura quàmplurimi, & pene omnes. A

Neq. audiendi ſunt, qui mane, priuſquá exercitatio incohetur, aluũ antea ductam ſemper eſſe oportere, præcipiũt. Sæpe náq. numero dũ id expectatur, tempus eius faciendæ præterit. Sane gymnaſticis, quia non ſolum exercebantur, ſed immoderate laborabant, id quidem neceſſarium erat. Nos vero quia nunc moderatius exercemur, id ita mordicus obſeruare, nihil cogit. Nam inter exercendum, cibi excrementa plerumque deſcendunt, & finita B exercitatione, aluus quaſi ſponte mouetur. Neque crudorum humorum (vt quidam dicunt) ad cutim transfuſio timenda eſt: quia quum intra modum fiat, vt ſenſim quod cuti ſubeſt, euacuatur; ita quod in inteſtinis & ſtomacho forte redundat, deorſum fertur: nec vi aliqua, quoniam non eſt, ad cutim pellitur. Intra modũ eſt, ſi bona coctio præceſſerit: id cognoſcitur, ſi homo poſtquam noctu dormiuit, mane ſurgit corpore agili, & facie non triſti, ſed hilari, atque iucunda, prout eius natura poſtulat. C

Cæterum ſi quis ante ventrem exonerare, quàm exerceri ſolitus ſit: is certe ſi prius nõ egeſſerit, quia ſignum in eo priuatim eſt nõ bene concoxiſſe, tamdiu dum aluum exoneret, immorari debet; qui vero non conſueuerit, hunc ad id adſtringere ſæpe vanum, non raro noxium eſt. Ergo qui bene concoxit, hic mane vt hilariter ſurgit, ita ſe ſe exercitationi tuto dedat: qui parum, hic quoad illa perficiatur, quieſcat: aut ſi mane ſurgendi neceſſitas eandem impediuerit, ante redormiat. Qui non concoxit, ex toto conquieſcere debet, ac neque labori ſe, neque exercitationi credere. D

Neq. ſilentio prætereundũ eſt, exercitio pingue quidẽ cõſumi, carnes vero nequaquá: proinde ventrẽ carneas inter partes, quæ viſui ſubijciuntur, quia pinguior eſt, attenuari: reliquas vero non minui, ſed pleniores fieri. ¶ Quinetiá ambulationes prolixas per plana magis laborioſas, quàm per incompta, & inæqualia eſſe. Quippe illæ, quia ſimiles ſemper ſunt, in eaſdem partes laborem incutiunt: hæ vero contra faciunt. Per omnes enim corporis partes illum diuidunt, atque diſpertiunt: quo fit, ille vnus, idemque perſeuerans, vt magis: hic tamquam diuiſus, & diſperſus, vt minus lædat. Sed interim neque ignorandum, quanto prolixæ per plana deambulationes ſunt operoſiores, tanto breues, quia motus idem non ita diu, ſicut in longis durat, leuiores eſſe. Contra vero, rectas quæ viciſſim à loco altero ad alterum ſunt, quo breuiores, E

res,

A res,quia de contrario in contrarium celerius mutari contingit,eo moleſtiores exiſtere.

Omnino autem accliues magis laborioſas,quam decliues,& magis extenuare. Quum enim aſcendendo ſurſum præter naturam efferamur, nec ſine calido (id enim ad molem eleuandam naturæ ſubſeruit) ſic efferri poſſimus(indicio ſunt qui minus habẽt innati calidi: difficilius enim ſurſum mouentur)corpus noſtrum maiorem in modum caleſcat oportet, Quo fit vt arduum ſit id exer-B cendi genus, atque ob id ſudores moueat: & vt ſpiritum ſæpe ſuſpendit,ita ſępe quoque internum alimentum quominus prompte nos alat, intercipit,nec facile diſtribui ſinit. Dum enim in altũ nos attollere conamur, expulſioni magis quàm attractioni ſtudemus:quo enim magis corpus noſtrum in ſublime iactare nitimur, eo copioſius ipſi ſudamus: quãto autem minus attrahere interim cogimur,tanto parcius poſtea nutrimur,vnde labor & extenuatio ſequitur. Hinc etiam monticolæ,quia ſurſum ſæpius feruntur,ma-C gna ex parte graciliores ſunt,quàm qui in vallibus degunt.

Faciunt item accliues, vt lumbi, vt genua,vt crura;decliues,vt femora potiſſimum laborent. Quamquam enim totum corpus femoribus incũbit,quod ceu pergraue pondus ſuper illa ſe ſe deorſum premit: vbi tamen aſcendimus, quia dorſo aliquantulum incuruato, & capite in anteriora propenſo,mouemur;ſimulque femora,genua, & crura in anteriora quoq. eleuamus, quaſi conuerſo in arcum corpore toto,lumbos ipſos inflectimus,frangimus,& D euellimus.Quamobrem quando montẽ altũ ſcandendo ſuperauimus,lumbi ſæpenumero dolent.At vero ſi aſcendamus,genua, & crura;ſin deſcẽdamus,femora labor mẽbratim exercet: quia ſecũdũ naturã eſt genibus ante, femoribus retro, flecti. Surſum igitur gradientes, quũ genua retro, quàm ante, interea dũ erigimur, magis tendamus,neceſſe eſt & illa, & crura,in quibus aſcenſus ſingulatim firmatur,magis pati:quemadmodum contra,quum deſcendimus, femora, quoniam non retro vertimus, ſed potius ante di-E ſtendimus,magis quàm aſcendendo,laborare. Nam ceruice quaſi repanda,dorſo fere intro retracto, tamquam ſupini, ac pectoroſi deſcendimus:quod niſi femorum articulos præter naturam introrſum pellamus,fieri nullo modo poteſt.

Per loca vero dura,& renitentia,vt per plana tum marmora,tũ ſilices, ambulationes: crurium muſculis & tendonibus laborem inferre: quippe quæ tam his, quàm illis contentionem mouent

Violento enim nixu, quia propter duritiem non cedunt, veſtigia grauiter impingi, & lęſionem his partibus induci neceſſe eſt. A

Per vias autem vtpote terrenas, firmas quidem, ſed non omnino reſiſtentes, immo quæ pedibus facile cedunt, potius articulis quàm muſculis operoſas eſſe. Licet enim frequens tam in articulis flexus, quàm in pedibus ad terram percuſſio ſit; quia tamen terra cedit, articuli vero iugiter ſe ſe mutuo collidunt, tibiarum muſculi, tendoneſque minuſquam articuli laborent, oportet.

Neque obliuioni tradendum eſt, deambulationes validas, calidis temporibus carnem magis extenuare, quàm frigidis: illæ nàque partibus externis laboris plus afferũt, qua de re ſudorem euocando, carnem imminuunt: hæ contra reddunt eam conſtantiorẽ, ſtomachum excitant, ciborum faciunt auidiorẽ. In partibus enim internis calorem augent, membriſque ad frigoris appulſum torpentibus, locum intimum calore amplificato, efficacius purgant. Carnem vero ſolidiorem efficiunt, vtpote quæ in eam tetam nequeant, vt in calidis, permeare. B C

Demum in multa deambulatione, femora præſertim in medio magis quàm tibias, fatigationem ſentire, non modo quoniam in femoribus totum ſupernum corpus rotatur, & ante & retro vertitur; ſed quia inter tibias, & corpus reliquum exiſtentia ſuſque deq; vehementius, & magis, quàm cætera, mouentur. Qua de re in eis muſculi ſæpius extenſi, & retracti, quoniam hoc opere ad mediũ, & à medio potiſſimum agitantur, vbi nimium laborarint, in medio dolorem, & laſſitudinem ſentiunt. D

Atqui exercitium neq. immodico labore, neque certa lege definiri poteſt: ſed pro natura corporis modo minus, modo magis faciendum eſt. Nam vt cibi, & potus, ita exercitij terminata & exquiſita ratio periculoſa eſt. Finis ergo, qui ab illo ceſſandum eſſe docet, non vnus eſt: ſed tum ab eo recedendum, vbi aut fames nõ leuis oritur; aut rubor ſubortus tabeſcit; aut carnes, quæ tumeſcũt, iam cõcidere incipiunt; aut vox longe minor efficitur, aut corpus ſegne ad motum ſe præbet, & vigor labitur, aut ſi ſudor apparet, tum vel minus eſt, vel ſine manifeſta cauſa deſinit; aut denique laſſitudo, quæ citra fatigationem ſubit. E

Sciréque interim licet, exercitatione, quam fames comitatur, deinde hęc abſque vllo nutrimento, quod acceptum ſit, ex ſe ipſa deſinit, obeſos quidem iuuari, ſed graciles maxime lædi: ſemper enim extenuat. In eo vero, quam anhelatio ſequitur, interea dum

hæc

A hæc perſeuerat, ſiue his, ſiue illis cibum aut potum dare noxium eſſe. ſi namque detur, ſæpeque id contingat, ſæpe rabem excitari: quippe nutrimenta per id tempus aſſumpta, quoniam à corpore, quũ expulſioni ferè totum incumbat, nõ attrahuntur, intus in vẽtre relicta, multo magis quàm par eſt, putreſcunt, & iniucũda fiũt: adeo non ſolũ in anhelatione ſed quoque in ipſa quiete, quæ poſt accedit, quia diutius in ſtomacho moratur, vt magis ingrata ſunt, ſic à partibus non facile ſuguntur, ſed potius reſpuuntur. Proin-B de hos male nuttiri, & aſſueſcere non ali, ſubinde tabeſcere neceſſum eſſe.

Cæterum à prandio, ſiue à cæna, moderate, placide, & lente vel incedere, vel equo, aut lectica vehi, nihil obeſt: multum vero exerceri, malum.

Adeo qui pleno ventriculo, plurimum, & crebro, ſed per interualla exercentur, his vlcera exoriuntur: non modo quia nutrimentum crudum, ſed quia plus æquo ad cutim pellitur, vbi ceſſante C motu, quoniam amplius neque agitatur, neq. diſcutitur, ſed quieſcit, & retinetur, ob longiorem moram valde putreſcit. Ita putrefactum acrimonia, ſalſedineve ſua carnes vellicat, pungit, & mordet; deinde propter copiam puſtulas accerſit, & vlcera gignit.

Si quis autem vitiato ſucco refertus, vlceribus ſcatet, ſed ventriculo inanito, vehementer ac ſæpe laborat, & ſudat; hic à præexiſtentibus vlceribus liberatur, & ſanus fit; vt his qui venerea lue affecti ſunt (quemadmodum lib. de morbo Gallico docuimus) vſu veni-D re ſolet.

Nec ignorandum eſt, quemadmodum candela vel ex cera, vel ex ſeuo dũ accenſa fuerit, ſi flatui exponatur, citius conſumitur: intra cubiculum vero, citra flatum, diutius durat: ita corpus noſtrũ nimis exercitatum, non diu viuere, ſed breui conſumi: moderate vero, diutius perſeuerare, magiſque longæuum eſſe.

Quinetiam quemadmodum Aquilone per hiemem vehementer ſpirante, lutum valde conſtringitur, intro autem eius humidũ E coercetur, deinde Solis ardere liquatur: corpora item noſtra foris exiccantur, intus vero maiori ex parte retinentur ſucci, qui poſtea quaſi vi quadam ante compreſſi, ſuperueniente calore, magis funduntur: ita tum vere, tum æſtate, ſi vehemens Aquilo flauerit, atque talis conſtitutio fuerit, quia Sol accedens quàm hieme validior eſt, per hæc tempora, neque ſe Soli diu exponere, neque nimium exerceri, tutum eſſe.

Interim quoque noſſe oportet, exercitationem (magis communiter, quàm ſupra dixerimus,eius voce recepta)non ſolum noſtri corporis motu,ſed etiam in ipſa quiete,crebro aeris noui,purique tum attractu , tum expulſu perfici . Atque eum , qui toto die vel in vehiculo,vel in ſpectaculis,aut aliter ſedit: vehementer nec exerceri , nec omnino currere (vt aliqui ſolent) debere (magnam enim ſubitamq. mutationẽ natura nõ tolerat) ſed lẽte ambulare, cęnamque frugaliter,ac perparce ſumere . Illud quidem vt ſenſim à quiete ad motum tranſitus fiat,hoc verò vt leuiter exercitato,leuis cœna proportione reſpondeat. A B

De lauacro & quiete. *Cap. XI.*

HActenus de exercitatione, ad quam ſimilitudine rationis reduci poſſunt arma,pila,curſus,equitatio,clara lectio,frictio,balneum , & id genus alia.

Sequitur quies;ſed ſi prius de balneo dulcis aquæ paucula quædam ſubſcripſerimus.Sane id apud antiquos inuentum fuiſſe, primum vt ſe à ſordibus cutim vniuerſam quotidie inficientibus abſtergerent,deinde vero in luxum deueniſſe veriſimile eſt. Quum enim ſubuculis lineis,quas camiſias vocamus,aut carerent,aut nõ æque crebro,vt nos,vterentur;immunda fœditate referti,ſe ſe balneo expurgare in dies cogebantur. Nunc vero quoniam dictarũ ſubucularum magna copia paſſim habetur, ita vt nulli vel paupeṙrimo deficiant,mirum non eſt,ſi tam frequẽs,& aſſiduus olim huius balnei vſus , ferè nunc obſoleuerit.Cæterum id æſtate ſæpius, & potius , quàm hieme(vt Hipp.ſiue Polyb.de ſalubri diæta.)adhibendum eſt;ſed ſi opportune adhibeatur,extenuatis, qui ſine vlla peculiari viſcerum læſione, non appetunt,valde conducit: carnes enim in tumorem attollit,hæ tamquam cucurbitulæ tum à venis ſugunt, venæ ab hepate, id à ſtomacho, qui denique famem excitat. Sed vt hoc ante cibum,& non prius,quàm aluus exonerata ſit, vtendum ; ſic ab eodem, poſtquam carnes tumuerunt, antequam concidant,deſiſtendum.Longa enim in eo mora,mentem cõfundit,vires diſſoluit:nauſeam,vomitum,& ſyncopen mouet.In tempore quoque ſi adminiſtretur, cutim detergit , eiuſdem meatus aperit,nutrimentum ad eam euocat, corpus humectat , cibis aptũ reddit, ſuccos attenuat, horum nimietatem imminuit, flatum diſcutit,laſſitudinem tollit,dolores mitigat,ſomnum conciliat,ventrem aſtringit. Succiplenis officit, humores enim liquat,qui quo- C D E

A niam maiorem locum exigunt, corpus diſtendunt, deinde aut im-
portuna aliqua vacuatione, aut abſceſſu quopiam afficiunt. Iccir-
co Hipp. acutorum 3. lauacro (inquit) cõmittendus non eſt, qui
nuper vel ſorbitionem, vel potionem ſumpſit, ac ne à lauacro
quidem illico vel ſorbere, vel bibere conuenit. Lateris, pectoris,
& dorſi dolorem mulcet; ſputum maturat & educit; ſpiritum facilẽ
reddit, laſſitudinem tollit, articulos, & ambiẽtem cutim emollit;
vrinam ciet, capitis grauitatẽ ſoluit, nares hũmectat. Qui per mor-
B bos citatiore ſunt aluo quam fuerit opportunũ, aut quibus ſupra
modum aluus aſtricta non ducitur, ij lauacro committi non de-
bent: ac neque ij, quibus imbecillæ ſunt vires, aut qui faſtidio,
aut vomitione affecti ſunt, aut qui bilioſa ructant, aut quibus ſan-
guis è naribus profluit, niſi minus, quam occaſio expetit, effluat.
Hæc Hipp.

Sed interim admonere conducit, prædictum balneum ex te-
pentibus aquis dulcibus fieri debere. Nam ſi iuſto calidiores fue-
C rint, horrere corpora, contrahique, exiles eorum meatus ſubigunt
ita vt nec madeſcere ab extrinſecus accedente humore, poſſint;
nec excrementi, quod intus latet, quicquam emittere. Verum ad
quietem redeamus.

Hæc, vt exercitationi (de qua ſermo nunc eſt) opponitur, ita cõ-
traria potiſſimum facit. In his enim, qui non euidenter creſcunt,
vtpote annum ſupra vigeſimum primum: tantum abeſt, vt innatũ
calidum excitet, vt nimis impedito per ocium ventilabro, quod
D calido cuiuſque viuentis neceſſarium eſſe videtur, illud quaſi ex-
tinguat. Nec alimentũ per corpus digerit, ſed in vaſis primis
quoniam à motu nõ funditur, inculcat, & ſupprimit: vnde obſtru-
ctio, deinde exigua nutritio, poſtea extenuatio contingit. Nec ad
excrementorum expulſionem, ſed, quia ſegnitiem partibus affert,
ad retentionem conducit. Denique præter naturam tum alimen-
ta in primis vaſis, tum excrementa in alijs locis immorari, & non
excerni prohibens, vtraque intenſius putrefieri, & hominẽ aſſue-
E ſcere non ali, poſtremo tabeſcere cogit.

Obijciet aliquis: cur gallinę, capi, ſues, dũ loco clauſi manent ſi
alimentũ offeratur, valde pingueſcunt; homines vero graciliores
fiunt? Et contrà, cur aliqui tũ viri, tũ mulieres qui vitã agunt ſeden-
tariã, bene habent, nec extenuantur, ſed pleniores fiũt? Huic reſpõ-
dendum, animalia, quæ indifferenter tum in ipſa quiete, tum in
motu, ſua nutrimenta per corpus digerunt, & excrementa per cor-

pus

A Nõ enim(vt quidam exiſtimant) illum penitus expurgari antequã
comedatur,oportet:vbi namque id euenit,tum illius partes conci
dunt,nec iterum amplificari,nec alimẽtum rurſus recipere,vt an-
téa vſus erat,poſſunt:quemadmodum his accidit, qui prandere,&
cænare ſolent,ſi mane fameſcant,pranſi vero non ſint,veſpere cæ-
nare minus queunt.Sed ſatis eſſe,ſi quid inutile inſit,id tamquam
naturæ alienum prius excerni, ſubinde aliud nouum in eius vicẽ
aſſumi:atque ſtomachum ipſum ita nutrimento refertum perpe-
B tim ſubſtinere;quod alioqui niſi ſua vel copia grauaret, vel quali-
tare vitiata nutrire amplius nequiret, nec foras expelli, nec aliud
vmquam inquirere neceſſarium foret, ſed Hoc eodem quoad in-
tus eſt, frui ſufficeret.

Cæterum bis die, ac ſæpius cibum capere cogimur: non quo
tempus,& ſpatium concoctioni (vt omnes hactenus opinati ſunt)
in ſtomacho relinquatur(nam plantæ quoque nutriuntur, non ta
men à terra nutrimenti coctionem,vt nutriantur, terminatis ho-
C ris,quemadmodum nobis euenire putatur, expectant: quod etiã
de brutis, de pueris,qui toto die comedunt, ſimiliter aſſerendum
videtur)ſed quo alimentum alternatim ingeſtum, ferè numquam
intermittat,quominus internis partibus apparatum in eodẽ ſem-
per inſit. Quod quum vnico nutricatu fieri facile non poſſit, id
iuxta robur,& molem recipientis vaſis,crebra repetitione compẽ-
ſatur. Ideo qui naturaliter paruo ſunt ſtomacho, vt pueri, frequen
tius comedunt; qui ampliore, vt ij etiam quum valde adulti ſunt,
D minus ſæpe.

Neq. ob iſta ſequitur,vt exercitatio dimitti debeat, vtpote quæ
famem,quam eſſe fugiendam præcepimus,excitet.Non enim illa,
quod fames diu toleretur,efficit:ſed quod vetuſtum intus eſt, ne-
què probe alere poteſt, foras expelli cogit, & in eius vicem, illico
nouum aſſumi compellit. Id vbi contingit, ſtomachũ diutius re-
fertum alimento, quàm vacuum,huiuſmodi fames ob exercitium
commota reddit,contra quàm quis obijceret.

E Atqui melius eſt cibum ſæpius,quàm ſemel,ſi natura ferat,aſſu
mere; tum quia pulchriore,& amœniore habitu ſunt, qui crebro
ſumunt,vt pueri,& nutrices lactantes: tum etiam,quia noua nu-
trimenta frequentius ingeſta, dum ſibi mutuo ſuccedunt, atque
ſecedunt, minus diu putreſcunt in corpore, atque ob id minus
ſiccant,vitamque magis producunt.

Melius quoque eſt,ea,quæ facile, quàm quæ difficile vincun-

 tur,

tur, capere, vt quum aut veteraſcunt, aut iniucunda fiunt, minori negocio expellantur. Et id genus noua in eorum vicem ſuccedentia, vt citius inſtaurent, & quum inutilia euaſerint, vt celerius excerni, & alia rurſus aſſumi queant. Scireque licet facile vinci, quæ pro anni tempore, & regione, pro hominis natura, ætate, & cõſuetudine, humidiora ſunt: quæve eum humidis iuncta, ſuccum in promptu reddunt. Difficile vero, quæ ſicciora, minuſque citò liquantur: & illa celerius, iſta ſerius putreſcere. Verum vbi permutantur, aut putreſcunt, illa ocyus, iſta tardius excerni; ac illa minus, hęc magis exſiccare corpus. A B

Proinde illos minus cito ſeneſcere, qui noua ſæpius aſſumunt, vtpote qui humidum innatum, ne vetuſtate nimium putreſcat, ſibi continue innouant, Hos vero eſſe, qui non ſemel, ſed bis, terue interdiu, prout natura tolerat, alimentum capiunt. Idque naturaliter non durum, ſed humidum. Illud enim quia diutius in corpore moratur, vbi corrumpitur, non leuiter, ſed valde putreſcit, tardiuſque ob ſuam contumaciã, atque duritiem ſecernitur. Quo fit vt magis exſiccet, ac ſenectutem maturet. Hoc vero vt promptius permutatur, ita velocius excernitur, & minus areſacit. C

Denique eos, qui humidis magis, quàm qui duris, & qui ſæpe potius quàm qui ſemel, his veſcuntur, incolumiores, ac pulchriores eſſe. Quo ad incolumitatem, iudicio ſunt piſces, qui cum aqua ſumunt omnia. Quo ad pulchritudinem, exemplo ſunt pueri, & mulieres (vt diximus) lactãtes, Galli, item Flandri, & Germani, qui cum potibus crebris, & multis cuncta miſcent. Neque non illos, ſi modus adſit, quia putrefactioni, quæ remiſſior eſt, obnoxij ſunt, diutius; hos vero quia intenſiorem ſortiuntur, breuius viuere, ſic etiam his, qui elixis potius, & crebrius, quàm aſſis vtuntur, euenire. Quippe quæ propter aſcitum humidum, facilius ſubducuntur, atque ob id, quia minus in ventre morantur, non valde putreſcunt. D

Neque huic obſtare, ſi quis opponat à corporibus quibuſdam dura probe coqui; leuia vero, mollia, & tenera vſqueadeo corrũpi, vt in nidorem peſſimum vertantur. Nam iſtis id accidit, vbi pari portione, atque hac non magna, ſed parua quantitate, tum hoc tum illud aſſumitur. Alioquin vbi plurimum ex humidis, molliburve capiunt, tantum abeſt, vt obſit, vt multo magis proſit: vtpote quod ventrem implens, validius reſiſtit, quàm nidoroſum fieri queat. Quinimmo bene concoquitur, ac diſtribuitur, hominemq. E

(vt ex

A (vt ex proxime narratis conijci licet) amœniori colore præditum redditur. Sequitur ergo, quod obijcitur, ſi ex leuibus paulum, & nõ multum offeratur.

Neque item hæc contra, ſunt illa Hipp. verba, τὰ ἀσθενέστερα σιτία ὀλιγοχρονιωτέρην βιοτὴν ἔχει. Quoniam ἀσθενέστερα id eſt imbecilliora dicũtur, nõ qua per ſe imbecilla ſunt, ſed qua comedẽtes reddũt imbecilliores. Talia enim in ſe non habent vitã breuẽ, ſed afferunt, his videlicet, quos nõ vegetos, non firmos, ſed quotidie debiliores ef-
B ficiunt. Ideoque, τὸ ἔχει, hoc loco, non conuenit interpretari, habent, ſed, afferunt: perinde ac ſi diceremus, cibaria cuiuſuis generis ſint, ſiue mollia, ſiue ſolida, vbi hominem imbecilliorem in dies reddunt, hunc eundem vitæ breuis faciunt. Cui rei aſtipulatur id, quod alibi ſcriptum reliquit αἱ ἀσθενέες δίαιται ψυχραὶ quod eſt, imbecillæ diætæ, frigidæ: non quo ipſæ in ſe frigidæ ſint, ſed quo illis vtentes, frigidos, ac debiles efficiunt: quemadmodũ vbi ſubdit, αἱ δ' ἰσχυραὶ, θερμαὶ: robuſtæ vero: calidæ.

C Cæterum cibaria coctu dura, vt caſeum, vt bubulas carnes, his qui nimium exercentur, minus quidem officere, aut fortaſſe prodeſſe, robur que præbere, ſi rite concoquantur, ac digerantur. Romæ tamen, non æque, vt in alijs locis, tuta eſſe: quippe quę plurimum comedere, aluum ample ducere, ac moderate exerceri poſtulat: illa vero in nobis, in hac vrbe contraria faciunt.

Quinetiam ei, qui ſobrie viuit, neque pituitam multam in ventriculo congerit, ſiue prandens, ſiue cænãs; ſi dura nutrimenta, quę
D non facile liquantur, quemadmodum artocreas (paſticium vocat) valde ſolidum, & (vt dicitur) excolatum, abunde deuoret, perquam noxia eſſe. Quia enim ſucco priuata ſunt, in ſtomacho laborioſe molliuntur, doloremque non leuem afferre conſueuerunt. Cibaria vero valenter ſidentia, interdum quidem linguam, palatum, & fauces exurunt, dentes (ſi potus valde frigidus proxime accedat) tenereſcere, velut excoctum marmor aqua ſuper affuſa, cogunt: ſed pituitam in ſtomacho redundantem maturant, nauſeam ſedant,
E languorem prohibent.

De potu frigidiſſimo. Cap. XIII.

VErum frigidiſſimi potus, ſeu niue, ſiue quomodolibet aliter, immodice refrigerati, præter id quod eadẽ mole cõparati ad minus frigidos, multo plus põderarit, multoq. denſiores ſunt, ſtomachũ plenum valde grauant, vacuũ eneruãt, euer-

tunt, dolore afficiũt, appetitum frangunt, pectus, ac vtrumque hypochondrium lædunt, & obſtruunt, vt etiã Hipp. memoriæ prodidit: Latini interpretis verbis vtar: Et ſpiritus, & cibus, & potus, humiditatem in corpore congelant, ſi excellenter frigida fuerint, & per congelationem, ac frigiditatem aluos ſiſtunt. Iecur item, quia per illud tranſeunt, ob extremam frigiditatem in ſe contractam, continuo vſu ſpeciatim indurant. Copioſe ſudanti, aut à balneo, curſuve, aut à laborioſis exercitijs, confertim, ac ſine interſpiratione abſorpti, aliquando ſubitam mortem, ſæpe dolores, & ſtrangulationes infenſiſſimas afferunt. Sed pauca comedenti, cruditatem, ſtomachi labores varios, immaturamque ſenectutem. Valde quoque ſenibus, & pueris, & nuper enixis, & his, qui in ocio viuunt, & quibus pectus infirmũ eſt, & his qui cum præcordiorũ dolore ſæpius ructant, exitioſi ſunt. Cæterum æſtate ſtomachum cibis ante refertum, deinde potati, aut vix, aut nihil offendũt. Acquiſitum enim tam ex circumfuſo aere, quàm ex multis alimentis, ardorem compeſcunt: ſucciplenis, & his, qui ſe multum exercent, & qui longum iter peragunt, & qui in feruido æſtatis calore naturaliter ſitiunt, & ita potare conſuetis, multum ſanè conducunt.

Denique ſi quis aut ante, aut paulo poſt, quàm prandium, cœnamve inchoauit, iuſculum aliquod ſatis calens potauerit: ſubinde interpoſitis alijs cibis, frigidiſſimum bibat, ac rebibat; hic ab omni frigidiſſimæ potionis noxa, ſe aũt ſemper, aut perſæpe vindicabit.

Neque adeo inſolenter (vt quidam dicunt) hæc damnanda eſt. Nam præter id, quod modo narrauimus, apud antiquos etiam in vſu erat, vt Gal. tradidiſſe, & Hipp. innuiſſe videtur: omitto alios etiam medicos & poetas & hiſtoricos. Æſtate tamẽ, quàm hieme, ſecurior eſt. Circumfuſus enim aeris æſtus, magis aſſiduè, quàm dictæ potionis refrigeratio corpus noſtrum, eiuſque partes exercet. Quo fit, vt quãtum huiuſmodi potus terve, quaterve ſumptus, refrigerando permutat, tantum vel amplius ſuo continuo contactu, & inſpiratu, præcalidus aer excutiat, aut ſaltem obtundat. Hieme vero vna cum prædicti potus algore, perpetuum aeris frigus auget ea mala, quæ. Hipp. ſcriptum reliquit, nempe offendere oſſa, dentes, neruos, cerebrum, ſpinalem medullam, pectus, mouereq. tuſſes, & ſanguinem, & deſtillationes. Neque obliuioni tradendũ, vbi pluuiæ multæ per æſtatem fiunt, auſterque flauerit, quoniam pluuiæ ſitim minuunt, ſimulque auſter caput replet, minus eſſe bi-

bendum

A bendum:& aut vinum valde dilutum,aut aquam ipſam:ſic enim caput minus impletur,minuſque læditur.

Ex vinis,robuſta,vbi multum comeditur,perpetuò nocere;vbi parum,ſemper iuuare. Sed quoniam in hac vrbe(vt toties monuimus) plurimum cibum capere conducit, ea potiſſimum frequentanda eſſe,quæ paucifera nuncupantur,atque hæc pro hominis natura,ſatis diluta;vt cibus in ſtomacho, & ex illo ſuccus, qui intra venas attrahitur,nihilo ferè plus oneret, quàm ſi cum aqua

B ſola commiſcerentur. Ideo qui multum comedunt, aquam vero bibunt,ciborum copiam facilius ferunt,quàm qui vinum, præcipue robuſtum,potarint: quippe aqua, vinumque aquoſum cum ciborum ſuccis per venas commeans, vbi naturæ oneri eſt,promptius in renes,&veſicā delabitur,& per vrinę vias expellitur,quàm potens vinum; quod vt carnes indurat,& firmat, ita quoq. ſuccū, quo cum per venas fertur,condenſat,ſeque ipſum & illum expulſu pigriorem reddit,intraque venas diutius immoratur,& grauat,

C quàm per vrinas extra prodeat.Hinc qui aquam,aut vina paucifera etiam aquæ permixta bibunt, ſæpius mingunt, quàm qui vina potentia ſorbent,atque ij qui vina potentia potant,ſæpius atenuiſsi qui paucifera,ſiue diluciora,aut numquam,aut raro mingunt. In illis enim ſuccus propter copiam euacuatione indigens, pluri tempore, quàm par ſit, retinetur:ob quod in ſabulum vertitur;in his celerius expellitur,quàm tēpus, & ſpatiū ſortiatur, vt in arenulas permutetur. In ſumma, vbi multum comeditur, viliora ſunt

D vina leuia,quàm robuſta. Nam hæc & in ſtomacho, & in toto corpore grauitatem,atque calorem inducunt, mentem cōfundunt, caput dolore afficiunt,ſitim,& os amarum gignunt,atenulis,calculiſque occaſionem præbent: aluum non raro aut aſtringunt, aut cruditate replent, quam intempeſtiuus alui fluor ſequitur, hominemq; morbis varijs obnoxium reddunt. Illa contra, quia tam cibum,quàm ſuccum ex eodem,ſuperatu faciliorem efficiūt, leuiorem ventriculum, & corpus reliquum præſtant, aluum mol-

E liunt,cerebrum vegetant,& vitam,quia minus ſiccant,in longius producunt.

Tandem etſi ſcriptum Hipp.reliquit,ex vino tum albo, tum nigro, ſubitam à conſuetudine mutationem lædere, vbi tamen adhoc,vel ad illud homo indifferens eſt,nigrum,an album ſit, nihil refert,modo cætera ſint paria. Sed non oportet ignorare,nigrum, rubrumve quanto denſius, & craſſius, quàm album eſt, corporis robur

robur tanto plus augere: quo autem magis eſt odoris expers, men- A
tem eo minus ferire. Sed aluũ, niſi dulce fuerit, crebrius aſtringere,

Cæterum interim præteriri non conuenit, tria eſſe alimentorũ
genera, quæ homini potiſſimum iucunda ſunt, dulcia, acida, ſalſa.
Reliqua, ſcilicet, auſtera, acerba, amara, aeria, non item: atque non
niſi ex accidenti quopiam placere. In illa hominem naturaliter
ferri. In eiſdem, niſi ratio ſenſui dominetur, propter auiditatẽ eo-
rum, & plurimum, & maxime peccare: vtpote quibus quum intra
vterum aſſueuerit, poſtquam natus eſt, ſi offerantur, ab eiſdem ſe- B
ſe intra modum continere non poſſit. Quippe primum fœtus in
vtero alimentum (vt lib. de morbo gallico narrauimus) dulce eſt,
propter ſimplicem, naturalemque permutationem, quæ conco-
ctio nuncupatur, ob quam pleraque omnia dulceſcere ſolent, ve-
luti lac, quod poſt partum fœtui ſtatim datur, dulce quoque ſenti-
tur. Sed deinceps longiori temporis ſpatio (vt ibidẽ diſſeruimus)
magis aucta concoctione, ſenſimque in putrefactionem intenſio-
rem, non tamen homini contrariam degenerante, partim acidum, C
partim ſalſum euadit. Quocirca hominem magis delectari dulci-
bus, acidis, ſalſis: quàm acerbis, amaris, & reliquis, probabile eſt
non (vt aliqui exiſtimant) quo dulce, leue ſit, amarum vero graue:
quia nõ raro amarum, leuius quã dulce reperitur, vt abſynthij ſuc-
cus purificatus, & adhuc amarus, leuior, quàm mel eſt. Non item
quo omnia (vt plurimi philoſophi aſſerunt) nutriuntur dulci, aut
commixto. Nam ex plantis, quæ nobis quoque alimento ſunt,
multas videmus, quæ amaro nutriũtur, vt abrotonum, ruta; omit- D
to aloen, & colocynthida, quę medicamento ſunt: Sed quoniam
talia intra vterum ſunt fœtus alimenta, quæ vbi poſt ortum perci-
pit, recordatione quòd illis intra vterum & altus, & auctus eſt, tam-
quam in maxime familiaria ſe ſe totum præcipiti cupiditate mo-
uet; &, vbi occaſio permittit, eiſdem ſe immodice replet, atque vt
primum in vtero alimentum eſt quod dulce, ſic extra vterum ma-
gis id quàm aliud appetimus, magiſque celeriter in vniuerſum cor-
pus (niſi quid obſtet) attrahimus, ſimilitudine (vt diximus) nutri- E
menti, quod primum ante partum attrahebamus: atque ita de aci-
do, & ſalſo, magis, minuſve dicendum. Iccirco frequenti prædi-
ctorum vſu quoniam his, propter nimium deſiderium, ſi commo-
ditas detur, immodice infarcimur, in hepatis, & lienis obſtructio-
nes, exempli gratia, ob dulcia, in deſtillationes, in articulorum do-
lores, ob acida in pruritum, in ſcabiem, ob ſalſa ſæpius incidimus,

Hæc

A Hæc quidẽ cibis commode aptantur, potibus vero non ęque reſpondent. Nam(de vinis loquar)ſalſum vinum,quia potari non ſolet, nihil dicendum ſuadet. A dulci tanto magis eſt timendũ, quanto liberius,& auidius,quàm vllum aliud potatur:acidum vero,quod bruſcum appellant, ſubacidumve, aut ſubauſtetum, aut quod mediocre quo ad ſaporem vocamus, numquam inutile. Si videlicet, vbi competit,ac modum intra ſumatur.

Denique ſilentio prætereundum non eſt, eos,qui tenera, mol-B lique carne ſunt,vt mulieres,vt pueri,vt adoleſcentes,pluri alimẽto,quàm qui ſolidiore carne ſunt,indigere.Facile namque,præſertim ſi febricirent, à calore cõſumuntur.Qui autẽ carne firma ſunt, & graciles,& nutrimentis firmis veſcuntur,vt Hiſpani,inediam,& victum tenuem facilius ferre.Contra vero, magnos vini potores, nec inediam, nec vacuationes tum crebras,tum multas facile ferre,quippe quorum alimentum celerrime diſſoluitur.Qui plus appetit,quàm ſitit, hunc ſolidiore tum carne, tum reliquo corpore C eſſe: qui ſemper ſitit, & nihil appetit,huic ſubſtantiæ plus conſumi,quàm retineri. Poſt cibum ſiquis nimium ſitiat, nimium comediſſe;ſin denſum ſpiret,plurimum bibiſſe: conducit,in hoc potui aliquid demere,in illo cibum minuere.

Si quis itẽ oleũ cũ acetario, aut cũ cibo alio in cæna ſumpſerit, paulo vero poſt, illud ipſum per fauces oberrare ſenſerit:nimium quoq, bibiſſe ſignificari. Quippe oleum nimio ſuperpotu natat, & per œſophagũ ad laryngem,& fauces aſcendit.Huic fere ſtatim D à cæna,vel ſomnus accedit,vel oculi pergraues fiũt.Huic Expedit duas,treſve horas à cæna vigilare,vt interim vel per vrinæ vias,vel per vigiliam portio aliqua nimiæ potionis abſumatur: alioqui noctem quaſi totam inquietam ducet,vomitibus leuibus, & crebris infeſtabitur: quod dentibus, & capiti (ſi plerumque contingat) plurimum officit.

Reliquum eſſe dicet aliquis,vtrum cænandum vberius,quàm prandendum ſit:Sed hæc quæſtio fermè vana eſt, quum natura-E le ſit animantibus omnibus, quandocunque indigent., modo poſſint,alimenta paſſim aſſumere.Verum his,qui interdiu fatigantur,mane leuius,veſpere quia deinde quieſcunt,liberalius eſſe cõducit. Hinc prandium Græce δεῖπνον ἀπὸ τοῦ δεῖν πονεῖν oriri creditur, quaſi oporteat laborare:quod opus non requirit corpus impletũ, ſed modice refectum. At cæna Græce δόρπον ἀπὸ τοῦ δόρυ παύειν : tamquam finito prælio quieſcendum eſſe,ac propterea plenius edendum

dum fore. Cum hoc etiã quiſque ſe ipſum experiatur, vtrouis modo melius habeat: modum namque illum, qui confert, imitetur: qui vero lædit, apprime caueat. Nullam enim certitudinem inuenies (inquit Hippocrates) quàm corporis ſenſum. At, qui pinguescere, plenioríque habitu eſſe cupit, hic veſpere lautius, quàm mane nutriri, ſi facile ferat, debet. Noctu enim per ſomnum nihil ferè corpus extra excernitur, non expuitur, niſi quid accidat: non mungun ur nares: oculi videndo non exoluuntur; non crebro, ſicut interdiu, mingitur: nulla quoque ab aere circunfuſo, quoniã in cubiculo, vbi dormitur, quieſcimus, reſolutio fit. Deniq; alimẽtum totũ quaſi retinetur, & in vniuerſum corpus abſumitur. Contra, interdiu ab ipſo noſtri corporis motu, à ſenſuum actionibus, à ſputis, ab emunctionibus, à mictionibus, à deiectionibus, interdum etiã à lachrymis, ab auriũ expurgationibus, à ſermonibus, ab animi cogitationibus, à vigilijs, à calore cæli, à frequenti aeris circunfuſi mutatione, atque in ſe ipſum per cutim noſtram foras attractione, maxima reſolutio fit. Ergo, quum interdiu, ſi multum prandetur, multum quoque reſoluitur. Contra ſi laute cœnatur, ferè totum retinetur, magis conferet, ad pinguefaciendum, cœna plenior, quàm prandium. Cæteris vero paribus, nihil prohibet magis prandere, quàm cænare, & contra. Modo id quoque ſciamus, quum quis ample cænatus eſt, tum natura paululum inuigilat, deinde bene dormit, hunc ita cænare tuto poſſe: ſin ſtatim à cœna vel ſomno capitur, vel deinceps male dormit, huic cœnam non plenam, ſed parcam magis expedire.

A B C D (margin letters)

Somnus & vigilia. Cap. XIV.

De cibo & potu ſatis, ſuperque iam ſcripſimus: ſomnus & vigilia ſe ſe offerunt.

Naturale eſt igitur pluri tempore vigilare, quam dormire. Vigilia enim nos in opere, quod maxime optamus, exercet: ſomnus, in ocio, quod naturaliter fugimus, occupat: proinde dũ vigilamus, viuere, dum dormimus ſimiles mortuis eſſe videmur. Quia vero natura dormire tum cogimur, poſt quam aliquandiu vigilauerimus, ſimulque ſenſuũ inſtrumenta, ob deperditam aliqua ex parte in vigilia ſubſtantiam, veluti defeſſa, ita quieſcere cupiũt, vt amplius vigiliæ ſubminiſtrare vix poſſint. Neceſſe eſt ſomnum vigiliæ gratia comparatum eſſe: quippe qui eo vſque expetitur, quo ſenſuum inſtrumenta prius inanita, reficiãtur; & homo

E

iterum

A iterum ad vigiliam vt reuerti queat. Somnus igitur bonus eſt, ſi ſtomacho ante referto fiat:vacuo autem,& fameſcente,numquam eſt ſalubris.Succum enim vtilem,qui intus eſt abſumit,hominem extenuat,imbecillum,triſtemque reddit. Verum ſi quis minuendæ obeſitatis cauſa,id efficiat,alia ratio eſt.

Idoneũ ſomno tempus,nox magis,quàm dies,eſt.Noctu enim ob tenebras ad quietem:interdiu,propter lucem ad motum,inuitamur. Si vero noctu minime dormiuerimus, minus malum eſt, B prima luce vſque ad tertiam diei partem, quàm deinceps,dormire.Cũ hoc tamen,quando longis diebus,etſi noctu dormiuimus, meridiari quoq; cogimur,ſi fames non vrget, melior ante, quàm poſt cibũ eſt.Illhic enim ſi quid ab externo cibo relictũ eſt, quod propter aut moleſtam noctem,aut aliam cauſam,intercepto ſomno,in corporis ſubſtantiam verti nequiuit,commodius,atque ſalubrius vertitur. Hic vero, quia illud idem,quod forte relictũ eſt, cum proxime aſſumpti cibi tenuioribus ſuccis,aut vaporibus,mo C do parum,modo multum,confunditur,ambiguus,& periculoſus ſomnus eſt.Quamquam enim vbi parum,tũ breuis eſt,nihilq; officit:vbi tamen multum, confunditur:quia ſæpe tum longior fit, neque vmquam perfici ſolet, quo minus aliquid adhuc dormiendum reſtet, non leuiter obeſſe conſueuit. Proceſſu namque temporis,corpus graue;pigrumque fit;deſtillatio ſuboritur,color pallet,memoria læditur, anima quaſi attonita redditur. Cui vero ex quadam proprietate nullum horum accidit; ſed à ſomno quum D expergiſcitur, corpore agilior, mente magis compos, & facie iucundior cernitur,is tuto poſt prandium meridiari poteſt.Atq;hoc tempore melius eſt,capite eleuato ſuper ſede aliqua, quàm depreſſo pro cubili dormire. Illud enim minus, id magis caput implet: vt venæ manu ſublata,vacuæ;demiſſa, plenæ cernuntur.

Cæterum vbi mane ſurgendi neceſſitas fuerit, redormire autẽ interdiu præter conſuetudinem oportet, ſi non fameſcat, vtilius eſt (vt diximus) ante cibum dormire,ſin fames eſt, tum parcius, E quàm conſuetum ſit,comedendum:vini loco,aut aquam, aut vinum dilutiſſimum,potandum,ſubinde dormiendum.

Somni ſpatium præſcribere,perarduũ eſt. Nam infantium,puerorum,adoleſcentium,ſomni,magis longi;iuuenũ,minus;ſenum quo multo minus eſſe videntur; ſed non eſſe deberent. Supra tamen adoleſcentiam,ſomnus horas citra ſeptem,raro:ſeptem vero aut paulo plures; vel nouem, ſæpe ſatis eſſe conſueuit: illud inde

cognoſcitur, quod aut eum oſcitatio frequens, aut pandiculatio, A
aut laſſitudo, aut pigritia, aut taciturnitas, aut mœror ſequitur.

Id, ſi prædictorum nullum affuerit, ſimulque ſi facies iucunda,
ſi animi alacritas, ſi corporis agiliras comitetur.

Qui ſeptem, aut nouem horarum ſpatium excedit, in his qui
vigintiduos annos peregerũt, ſemper multus eſt: magis, minuſve,
prout poſt prædictas horas breuior, aut prolixior erit: exiguus ve-
ro qui citerior, citimuſve fuerit. Huius indicia ſunt, cruditas, ru-
ctus vel acidus vel nidoroſus, alui fluor, nutricatus impedimentũ, B
corporis extenuatio. Multi autem, pigrior ſenſus, tardior mens, ca
pitis grauitas, obliuio, corporis refrigeratio, redundans pituita, co
lor fædus, innati caloris ſolutio.

Cæterum ſomni quamquã omnibus anni temporibus, ſi mo-
derati ſint, valde proſunt, hieme tamen, & vere, aliquanto longio
res, ſed nõ ſupra modum, eſſe, narura poſtulat. Quanto enim plus
cibi ſolidi, quàm aliàs per hæc tẽpora ſumitur, tanto longius ſom
ni ſpatium, vbi dormiendum eſt, requiritur, vt ſolidum in ſtoma- C
cho alimentum, opportune, atque commode liquari queat. Som-
nos autem in ſenibus, inclinanre vere, ſuauiores, & longiores eſſe
ſciendum eſt, quoniam hieme propter frigus, exigua fit reſolutio,
quamobrem retinetur ſuccus in capite, & in reliquo corpore plu
rimus, qui Sole deinceps præſertim poſt veris mediũ, validiore exi
ſtente liquatur; & caput vna cũ corpore naturaliter humeſcit: ſub-
inde ſomni ob copiam longiores, ob veris iucunditatem, ſuauio-
res conciliantur: id quod etiam iunioribus, & pueris euenire pro- D
babile eſt. Sed nimia curioſiras eſt, quando quis à cibo dormitu-
rus eſt, debere non illico cubitum ire; ſed præſtolari (vt Arabes
præcipiunt) quouſque cibus in ſtomachi fundum deſcenderit, &
(vt aliqui ſuperaddunt) donec ibidem prima concoctione perfe
ctus ſit. Deinde primum in latus dextrum pauliſper, poſtea in ſini-
ſtrum reliquo tempore dormire. Quum enim vbi cibus deſcen-
derit, quomodo cognoſcatur, non doceant, neque item explicẽt,
quum homo in alterum latus reuoluitur, vtrum cibus à fundo re- E
cedat in latus illud: vtrum quoque de ſtomacho à venis non attra-
hatur, priuſquam ibidẽ totus concoctus ſit, ex arbitratu hæc om-
nia aſſerere videntur. Perinde namque loquuntur, ac ſi naturæ
prorſus imperarent; quaſi parres alimenti egenæ ſemper expecta-
re debeant, quoad chilus albus (vt dicunt) in ſtomacho gigna-
tur; antequam ad ſe ſe trahant. Et plantas, quæ quoad nutriendum

A non minus ſe ſe habent quàm noſtri corporis partes, quis dixerit vbi nutriméto indigent, illud à terra, quę veluti ſtomachus in animalibus eſt, non antea ſugere, quàm integre concoctus in ea fuerit? Quid, quod videmus infantes, lacte vbertim ſucto, ſtatim nullo intermiſſo ſpatio dormire, & optime habere? Omitto bruta, vt ſues, qui ſe ſe quum impleuerint, ſine noxa illico dormiunt.

Itaque hac nimia diligẽtia prætermiſſa, poteſt homo, & ſtatim, & paulo poſt aſſumpto cibo, & in latus dextrum & in ſiniſtrum B vtcumq; cubare, modo is, qui dormit, pluribus deinceps diebus, alacri animo, agili corpore, iucunda facie, nõ ſemel, ſed ſæpe, poſt expergiſcatur, ac experrectus, neque oculis humentibus, neque ſputis inſolitis infeſtetur. Alioqui ſi triſtis, ſi laſſus, ſi piger, ſurgat, ſi oculi præhumidi, ſi ſputa nimia ſint, modum mutet, ſeq; ſitui, & tempori accommodet, per quæ in melius proficere ſenſerit.

Cum hoc tamen nequaquã ignorer, quanto ſerius à cæna, modo ſomnus non vrgeat, cubitum itur; tanto facilius in vtrumuis C latus dormiri poſſe. Interim enim cibus, qui in ſtomacho per hãc vigiliã liquatur, intra venas hauritur: reliquus craſſior, ac ſolidior, quaſi detumeſcens, & exſuccus in ſe ſe concidit, ob quod anguſtiorem in ſtomacho locum occupat, ſubinde in vtram corporis partem homo vertatur, hoc tempore nihil prohibere.

Sed hepatis ſomnum vulgo nuncupatum negligere non oportet. Hic appetente aurora fit: quo tempore homines longiſſime à cæna ſuper dextrum latus, cui hepar ſubeſt, cõmodiſſime cubant: D concidente iam omni cibo, & (vt dicunt) paſſo, minoremque locum obſidente, vtpote qui non perinde tumeat, ac ſi in principio vbi proxime ingeſtus fuit. Proinde quum hepar præter alios eius vſus, illum præcipue præſtet (quemadmodum libro, De homine, declarauimus) vt per anguſtiſſimos venæ tum portæ, tum cauæ ramulos, qui in eo plurimi ſunt, ſuccus qui nutriendo eſt, trãſiens, attenuetur, atque purificetur. Interea dum ab hoc ſitu comprimitur, ſi quid in eo retinetur, quod obſtruere poſſet, aliò excutit, E quod homini non parum eſt vtile, ſimulque ſucci plus in ipſam cauam exprimit, qui ſubinde vt vniuerſa ſenſuum inſtrumenta plenius, & perfectius inſtaurat, ita ſomnum paulo prolixiorem, & ſuauiorem conciliat.

Qui vero pluribus potibus, quàm cibis, in cæna gaudet, huic quia cibi in ſtomacho natant, ſurſumque ad fauces, ſi decumbat, plerumque regerũtur: vbi ſtatim ſomnus accedit, melius eſt, ſuper

ſede aliqua, eleuato capite ac thorace, niſi quid obſtet, aliquãtum dormire; vt ſuccus tenuior in venas interim attractus, quod ſomnus celeriter adueniens monſtrat, nutrimentum nimis humidum in ſtomacho quaſi exuccum reddat, deinde cubitum petat. Alioqui ſi ſomnus non infeſtat, expedit antea plurimum vigilare, leniter incedere, rectùm ſtare, parum ſedere, quoad ſucci tenuiores è ſtomacho ſimiliter intra corpus hauſti, aut per vrinæ vias excreti, cibum nonnihil exſuctum, minuſque fluitantem inibi relinquant. A B

Neque negligendum eſt (vt experientia docet) melius eſſe, per noctem ſub diuo dormire, quàm ſub tecto, cui foramen inſit, per quod Luna radijs ferire dormientem poſſit. Vt enim brutis vlcus aliquod habentibus, mortem, ſic homini malum non contemnendum afferre conſueuit.

Quantum, & quando vigilandum ſit, ex dictis facile intelligitur. Sed non oportet ignorare, tametſi naturaliter homines in ſomno inertes, ocioſi, & muti ſunt; in vigilia tamen ſemper aliquid aut moliri, aut agere, & omnino ſi corpore quieſcunt, animo non quieſcere. C

Vigiliã item his excernendis, quæ naturaliter excerni debent, aptam, ſomnum vero ineptum eſſe. In ea quoque corpus foris calidius, intus frigidius eſſe. Alterum indicant internorum inanitio, & excretio, quas fames comitatur, qua de re vigilia vorax: alterum membrorum promptior motus, agilitas, & tegmentorum neceſſitas minor. In ſomno cõtra, interius calere, exterius frigeſcere. Tegmenta enim plura, quæ dormiens requirit, frigus; ſpiratio autem frequens, denſa, & arteriæ ſe validius mouentes, calorem oſtendunt. Vt enim ſanguis per ſomnum intro (quemadmodum Hippocrates inquit) magis fugit, ita magis implet pulmonem, cor, arterias, & prædicta parit. Ideo forte dicunt, ſomnum viſceribus prodeſſe. D

Denique vehementem & vigiliam, & ſomnum, malo non leui eſſe: ab illa potus, ciboſque crudos, & incoctos reddi; ab hoc hominem flaccidum, & inflati pulmonis inſtar tumentem effici. E

Et qui ſomno corpulenti fiunt, minus robuſtos: qui peruigilio, longe validiores eſſe. Carnem enim illi mollem, ij firmam ſortiuntur. Indicio ſunt, & pueri, & iuuenes, quum vtrique ſucci pleni redduntur. Nam illi plus dormiunt, ij contra, plus vigilant.

A Inanitio & repletio. Cap. XV.

SAtis de ſomno & vigilia; inanitio,& repletio ſequuntur.Quũ igitur animal,paratum alimentum,ſicuti planta,non haberet; ſed aliunde(vt primo de morbo Gallico docuimus)ſibi quærere cogeretur,inſtrumenta quædam ei natura indidit, in quibus poſtquam illud inuenit,tamquam in penuario reconderet,ſimulque nequando alimenti defectu periret, appetitum hæc eadē im-
B plendi quanto maxime poſſet(vt ibidem quoque narrauimus) inſeruit.Quo factum eſt,ne propter hanc uoracitatem,malum aliquod animali contingeret(non enim totum quod comeditur,& bibitur,eidem ſimile redditur,ſed ſemper aliquid relinquitur) vt alia organa in eodem effinxerit,per quæ alimentum,quum inutile foret, vtpote aut ſuperuacuum,aut vitiatum, vt è corpore foras expelleretur.Hinc auibus ingluuiem,bobus ventriculũ,omaſum, & abomaſum.Nobis ſtomachum,& inteſtina quædam,quibus ali-
C menta recipimus, ac retinemus: deinde alia inteſtina, & vrinaria vaſa,& id genus aliqua,per quæ fit expulſio: per illa quidem craſſi & duri:per hæc vero liquidi,tenuiſque.

Homo igitur, quum æque ac cætera animalia ſe ſe affatim implendi appetitu polleat,longeque maiorem,quàm illa,nutrimenti commoditatem,ſua diligentia ſibi comparet,raro euenit, quin ſæpe alimenti expletione laboret:ac ferè quum quotidie bibat,& comedat, quin quotidie nimis impleatur,atque morbis ab exple-
D tione venientibus obnoxius reddatur.Quamobrē quotidie quoque ſtudeat oportet,vt hac nimietate præſertim in vrbe Roma(vt ſupra quoque dictum eſt) ſe exoneret,ſimulque ſi qua ex hac eadem,ad morbum promptitudo naſcitur, vt hanc eandem prohibere,quoad fieri licet, obnixe conetur. Illud quomodo aſſequi poſſit,libello, De aluo molliendа,ſatis ſuperque docuimus.Id partim ſupra hoc eodem libro narrauimus,partim nunc quoque dicemus.Varijs enim modis,præter eos, quos antè ſcripſimus, ſe ſe
E nobis frequenter offert.

Primo,quidam pluribus diebus, bene comedit, deinde parũ, aut nihil appetit:quandoque dum comedit,in caſſum tuſſit; conſuetos cibos abhorret, nauſeā quampiam patitur,non ſitit.Huic aut capitis dolor,& corporis totius laſſitudo, aut ſputa quàm plurima,cum tuſſi quadam ex ſtomacho,vt aliàs perſpicue monſtrauimus,ſurſum aſcendentia,vel ructus nidoroſi contingunt;dein-

de alui

de alui fluor, aut febris. Ergo antequam iſta compareant, expedit cibos duros omnino cauere: aluum, (ſi ſuppreſſa ſit) mollire; iurulenta ſumere. Si hæc, poſtquam aſſumpta ſunt, vomitum cieant, hunc eundem, vbi facilis fuerit, iuuare; vinum modicum, idque ſatis dilutum, aut aquam bibere, parum exerceri. A

Secundo, aliquis aluum pro more mollem habet, vbi comedendi tempus eſt, famem ſentit, panem non abhorret, ſed minore copia, & magis lente, quàm conſuerit, aſſumit: nec, ſi conetur, poteſt amplius aſſumere; huic ſuccus aut crudus, aut valde vitiatus in ſtomacho redundat. Vteruis quum nutrire nequeat, falſæ famis ſpeciem repræſentat. Vt ergo redundantia minuatur, parce tum edendum, tum exercendum, iuſcula valde calentia crebrius, quàm cibaria ſolida ſumendum, vt ſi corruptela ſubeſt, noua materia illi commixta contemperetur: ſin humor crudus, vt calore cum iuſculis aſcito, promptius maturetur. B

Rurſum, alicui aluus aſtricta eſt, in ſtomacho grauitatem percipit, non ſitit, non febrit, citius quā ſolet, valde fameſcit, niſi ſtatim aliquid offeratur, ſe deficere ſentit: huic ſtomachi dolores vehementes, vomitus permoleſti, & icteritia inſtat. C

Antequam hæc accedant, conducit plures dies, quoad fames obtundatur, & aluus ad conſuetum redeat, ventrem clyſteribus paruis, ex olei aut communis, aut amygdalarum dulcium, & huiuſmodi, mane, & veſpere, aut certe ſemel interdiū, ante cibum mollire: catapotium ex his, quæ in lib. de aluo mollienda, mane ſimiliter & veſpere dimidiam horam ante cibum, glutire: ventrem totum aliquo ex his oleis illinere, cibis duris, & multū aſſis penitus abſtinere; mollibus, & calentibus veſci, vinum leue, & dilutiſſimum, aut aquam bibere. Retentum enim alimentum, in ſtomacho magis putreſcens, boni alimenti priuationem præ ſe fert, & importunam, atque ſpuriam famem excitat. Id ergo vbi multo intenſius putret, flatum mouet, dolorem immanem, atque vomitum parit, ſtomachum in tumorē inſigniter eleuat, qui ſimul diſtentus, & vehementer erectus, veſicam felleam hepati quidem affixam, ſed inter ſtomachum, & hepar manentem, in altum attollit, in dextrum latus pellit, & comprimit; mox fel intra hepatis venas percolari facit, ſubinde cum ſanguine fuſum ſine vlla veſicæ obſtructione (longe ſecius, quàm omnes opinentur) corpus ictericum reddit. D E

Quidam anteactis diebus abunde comedit, deinde nihil appetit,

A tit,in ſtomacho grauitatem à cibo ſentit, lenta quædam pituitoſa vel ante,vel poſt cibum,vel vtroque tempore expuit:nō ſitit,animo triſti eſt, motum quempiam cum ſingultu in ructum deſinente,perinde ac ſi fauces deorſum traherentur, conuulſiructum di-xeris, plerumque patitur.

Huic ſtrangulatio, noctu poſt cœnam,à ſomno, dum vomere conatur & non poteſt, contingere ſolet: quæ ſi breui durat, ructibus multis confeſtim citatis,ſubinde ſputis quàmplurimis, ac len-
B tis ſimul editis, ceſſat: ſin diutius producitur, eodem tempore perimit: quemadmodum etiam fungis, non venenatis,ſed ſalubribus affatim ingeſtis, accidere conſueuit. Id apoplexiæ cerebro per ſe affecto acceptum referunt, Sed longe aliter ſe ſe res habet. Quia enim homo tum vomere cogitur,nec tamen valet(nam lentor materiam,quæ reijci deberet,in ſtomacho figit, & expulſioni obſiſtentem reddit)interea temporis quemadmodum vomituris omnibus vſu venire ſolet, halitum continet, ſpirare nequit,& fe-
C rè ſuffocatur. Hoc ſi parum durat, cito liberat: ſin multum, aut magnam calamitatem,aut improuiſam mortem accerſit. Malum autem id omne,non à cerebro, ſed à ſtomacho prouenire, illinc vnde ſoluitur,perſpicuum fit. Primum enim à ſtomacho flatus erumpit,qui hominem leuat,& ſpirare facit, ſubinde ſputum,& plurimum, & lentum ex eodem emanat, qui morbum ſummouet. Antequam igitur ſtrangulatio contingat, ſtomachum abſtergere oportet,aut catapotio leui,dimidiam horam ante cibum,aut
D huiuſmodi aliquo quod habet mellis roſ. ſol. ſeſquiunciam:oxymellis ſimpl. vnciam ſemis, mane tres, aut quatuor horas ante prandium aſſumpto, quinque, ſeptem, nouemve diebus,donec ſtomachi grauitas recedat,ſputum minuatur, & appetitus redeat: interim iuſculis plurimis, cibis paucis vti, vinum ſatis dilutum aut aquam potare,& parum exerceri.

Ructus quoque plures ſtriduli,continui, duo, tres, quatuorve ſi prorumpant,ac ſputa lenta, pituitoſa cibum aut præcedant, aut
E ſequantur, idem malum denunciari; cui ſimiliter,antequam fiat, proſpiciendum.

Si noctu poſt ſomnum ex improuiſo aquoſum quippiam euomatur, illudq; abſque aliquo nixu facile reijciatur, ſtomachū valde plenū eſſe,ac eandē ſtrangulationis ſpeciē,niſi parcius & bibatur,& comedatur,nocte ſequenti,aut altera imminere.

Neque ſilentio præterierim,ſenibus & primis, & ſecundis, ac

pueris

pueris annos duos, aut paulo plures agentibus, qui bene comedunt, & parum exercentur, hepatis obſtructionem, & tumorem aliquem à nimio alimento, quod per hepar tranſit, non rarò contingere: pueris quidem quoniam adhuc anguſtæ ſunt viæ, ſenibus vero quia rugoſum fit id viſcus, veluti reliquum eorum corpus, adeo vt vaſa pleraque ibidem conniueant: proinde in vtriſq; ſucci copiam illuc delegati, in tranſitu apud viſcus retineri, & tumorem inducere. A

His conferre ſi fieri poteſt, exerceri, aluum quotidie mollem habere, amara per os ſumere, quippe quæ alimenti redundantiam aut remorantur, quo minus tota in hepar impetu ſuo ſe ſe ruat, & impleat: aut id ſi prohiberi nequit, in eodem firmari non ſinunt. Siquidem ad expellendum irritant. Ex quibus planè conſtat, amara quoque pueris, non modo propter vermes, ſed propter hanc cauſam maxime congruere: ſæpeque numero ex hepate laborare, quum ſtomachum, præcipue verſus hypochondrium dextrum, oberrante dolore, cauſantur. B

Nec oportet ignorare, ſi admodum ſalſa ſit ſaliua, ſi vlcuſcula in ore naſcantur, aut oculi lippitudine infeſtentur, corpus ipſum expletione laborare. C

Eos vero, qui ſaliuam aquoſam & multam ſæpius expuunt, ſolere, aut parum, aut nihil exerceri, aut conſuetum exercitium prætermittere, aut nimium bibere, aut aluo aſtricta eſſe: proficere illis quidem ſubuulgarem victum, & leuiter nutrientem; his vero in contraria permutare. D

Qui vel à prandio, vel à cæna præter morē frequenter aut oſcitat, aut eructat; aut iugi ſomno tentatur; eum aut nimium comediſſe, aut bibiſſe, crudumq; ſupra crudum ingeſſiſſe; aut malo aliquo ex capite affectum iri: in hoc ſtatu vino abſtinendum, cibo aliquid ſubtrahendum, aluus leniter quidem, ſed parce, ac ſæpe ducenda: quippe quæ inanita & à ſtomacho, & à capite trahit.

Vbi quis non modo vinum, ſed etiam vuam, aut carnes, aut acetum, vt aliàs ſentire ſolebat, nunc minime ſentit: huic ſuperfluum aliquid in ſtomacho ineſſe, quod prohibet. Id, expedit, aut iuſculis plurimis contemperare, aut (quemadmodum proxime dictum eſt) amouere; parcius nutrire, & omnino aduerſus id, aut leuiſſima, & iterata purgatione, aut per diætam euacuatione pugnare. E

Huic proximum eſt; ſi quis abſq; cauſa manifeſta triſtatur, aut iraſci-

A iraſcitur, aut ſolita cibaria, & poculenta pro conſuetudine vel non guſtat, vel mutata citra rationem ſentit: hunc aut non concoxiſſe, aut expletione laborare. Huic prodeſt, ſi nimium vigilarit, dormire: ſi plurimum fatigatus fuerit, quieſcere: ſi neutrum, tardius comedere, cibo aliquid demere, aquam, aut vinum dilutiſſimum bibere, liquidis vti, molli aluo eſſe.

Si prope cænam, ſputa multa, lenta, pituitoſa præter morem redduntur; cruditatem in ſtomacho ſubeſſe, atque antea nimiũ B fuiſſe comeſtum. In cæna igitur, his, quæ parum & leniter nutriunt, vtendum: non carnes, non oua, & id genus alia; ſed panẽ exiguum, iuſcula multa, vel herbacea coctu facilia, ſumendum: ſi ſitis adſit, multo dilutius potandum.

Sciréq; licet, qui paucioribus, quàm natura poſtulat, veſcuntur: hos diu viuere nequaquam poſſe. quamquã enim deſinente alimento, calidum aliquando intenditur, interim tamen ſiccare, ac minuere corpus. At contra; Se modice implere, nec ſinere in di- C gum eſſe, id ad vitæ longitudinem, maxime conferre.

Crebros peditus, ructusve nidoroſos, ſulphuris inſtar olentes ſignificare, id quod excerni deberet, in ſtomacho, ac inteſtinis retineri, atq; ob hoc valde putreſcere, ac male olere. His aut alui fluor, aut vomitus, aut deniq; febris imminet. Vt enim flatus fœtidi, per aluum, & os erumpunt, ita per corpus vniuerſum poſtea delati, febrem accendunt. Antequam hæc fiant, expedit, aluum paulatim, & leuiter & ſæpe ducere; vino, ſi fieri poteſt, abſtinere, iuru- D lentis veſci.

Qui præter conſuetudinem alba per aluum deijcit, hunc & expletione, & ſucci lenti gracilium inteſtinorum tunicis affixi copia laborare. Indicio eſt, cibum omnis generis abhorrere; ſitire quidem, ſed potu non delectari; nauſeam, ac tenſum vtrumque hypochondrium ſentire; graue corpus habere: defeſſum, abſque manifeſta cauſa, eſſe. Huic primũ ſeroſi ſucci, qui per venas cum ſanguine fertur, putrefactio non leuis, deinde ictericia imminet.

E Antequam aliquid horum accidat, expedit, corpus paulatim purgare, amaris cum liquore aliquo mixtis, vtpote aloe aut lota, aut cum rhabarbari infuſo parata ad ſcrupulum vnũ, ſuperpoto decocto cichorij, aut oxalidis, aut oxyſplinij ad vncias tres, tribus aut quatuor horis ante cibum, mane, & veſpere.

Si interdiu quippiam velut irritamentum tuſſis, in faucibus aliquando ſentitur, noctę vero vbi cubitum pergitur, & ſtatim, &

deinceps expuere homo cogitur: à ſomnoq́ grauitatem quandam in ſtomacho percipit: ſputa hæc à ſtomacho, & non à capite manare. Nam interdiu, quia caput in ſublimi exiſtens ſuccos ab alto ad imum recta deorſum expeditius aut mittit, aut deſcendere ſinit, magis; noctu vero quia decliue manet, minus apparere deberent. Nunc autẽ cõtra fit, quoniam à ſtomacho promptius, vbi cubamus, quàm quum ſtamus, ſuccus in fauces aſcendit. Facilius enim per plana, quoniam prona ſunt, quàm ſurſum in alta fertur. Huic eadem curatio, quæ proxime dicta eſt, remotis liquoribus, conuenit. B

Si quis paulo poſt prandium, abſque cauſa manifeſta exiguam aliquã grauitatem, aut dolorem in ſtomacho præter conſuetudinem ſenſerit: excrementa vero ſiue compacta, ſiue liquida intempeſtiue deiecerit; hunc nimis expleuiſſe ſtomachum, & cruditate laborare: prodeſſe, in cæna neque carnes, neq; oua, neque piſces, neque caſeum, neq; azyma eſſe; ſed aut ferculum ex herbis coctu facilibus, aut iuſculum aliquod cum exiguo pane, capere; vini aut nihil, aut perparum, immo, ſi natura fert, aquam bibere. C

Qui vero auſtrali & humida exiſtente conſtitutione, pro conſuetudine comedit, aluum tamen adſtrictam præter morem ſortitur; huic poſt prandium, & ante cænam, ſomnum inſolitum, dein de ſatietatem, & vomitum inſtare: Præſtat, quum ſomnus incipit, paulo minus comedere, & aluum leniter, ſæpeque mollire.

Qui dũ prandent, aut cenant, nõ poſſunt hauſtu continuo (vt aliàs conſueuerunt) potum ſorbere; hos in ventriculi expletionẽ incidiſſe. alimẽti præſertim ſolidi ablatione indigere. Intus enim exiſtens, potum prohibet. D

Stomacho non inanito, ſi puncturæ in eodẽ ſentiantur, nõ carnibus, neque ſolidis alimentis, ſed liquidis, & aquoſis vtendum.

Mammas præter morem pleniores, & fere dolentes, ſiue mari, ſiue fœminæ id contingat: nimio alimento corpus refertum eſſe ſignificare: illud igitur ſubtrahere conuenit.

Quibus venter, ſtatim ſumpto vel cibo, vel potu, inflatur, aut inflari videtur: alimenti pluſquam oportet, ingeſtum fuiſſe, & obſtructionem in venis circa ſtomachum ſubeſſe, quæ nouum alimentum trahi non ſinit: animaris, & alui ductione, ſi ſuppreſſa ſit, parca & crebra, curandum. E

Par fere eſt, poſt multam alimoniam, ſe ſe inflatum circa ſterni cuſpidem, atque thoracem, citra mammas, abſque cauſa manife-

ſta ſen-

A ſta ſentire. Nimium enim alimentum in ſtomacho retinetur; ſubtrahere cibum,& ſtomachum ſenſim exonerare,iuuat.

Expedit inſuper, memoria tenere, vbi leuis nauſea eſt, & alui deiectio minor,quàm pro cõſuetudine; licet pituitoſa excreetur, & raucedo contingat, non tamen a capite, ſed ab expleto ventriculo iſtæc oriri;pari modo, vt in proxime dicto, proſpiciendũm.

Qui vel à prandio,vel à cena valde ſitit, oſque amarum ſentit; hunc ſe nimium impleuiſſe;ac liquidis, quo ad ſitis ceſſarit,potiſ-B ſimum indigere.

Vbi quis pluribus diebus bene comedit,ac bibit,deinde aquulam quampiam, & veluti lippitudinem in oculis, quæ viſum obſcurat,percipit,ventrem, & quæ circa ipſum vaſcula, nutrimenti expletione laborare.Aluus parce,crebroque mollienda,ſobrie bibendum,& aquam magis,niſi quid obſtet,quàm vinum.

Contra vero,quum aliquis pridie parum comederit,ac biberit, poſtridie autem abſque cauſa euidenti; voce humiliori, & animo C ſubtriſti fiat,alimento indigere.

Nutrimentum aliquod,ſi paulo poſt cibum,aut etiam aliquanto poſterius,idem bis, terue, aut ſæpius eructatur; ventriculo vel nimium,vel ſi non eſt,contrarium eſſe. Id in aliquod tempus aut omnino,aut ſenſim demendum.

Vbi quis pluribus diebus ſe impleuit, à prādio autem citius ac ſępius, quàm ſoleat, vrinā aut albam, aut decolorem mingit:huic ventriculum nimis plenum eſſe:ſubinde aut capitis aut ventricu-D li dolorē,vel alui fluxum vel vomitũ inſtare:antequã iſta fiant,cibo aliquid demere,aut aquam aut vinum dilutius potare, aluum mollem habere conducit.

Dum quis lectũ conſuetum ingrediens; re nulla mutata, lectũ aliter ſe habere ſentit,neque facile cubare poteſt, ſed grauia membra percipit;vtpote pedem ſuper pedem,manum ſuper pectus, caput ſuper puluinar præter conſuetudinem ponderi eſſe;hunc, etſi ab alijs cauſis, plerumque tamen ab eſu nimio hanc partium gra-E uitatē pati :eidem æque,ac in his proxime narratis, proſpiciendũ.

Quibus furunculi,vocati guitij,præter morem in facie naſcuntur,hos plurimum alimentum ingurgitare.Prodeſt illud ſubtrahere,& aquam,ſi natura tolerat,potare.

Quibus caput ſæpe aut dolet,aut præter naturā calet, niſi quid aliud appareat;hos nimium comedere, hiſque ſimiliter, ac proxime dictis,prouidendum.

Vbi quis conſuetum potum, quantum in cibo ſumere ſolet, inter comedendum, quaſi natura reluctante, ſumere nequit: aut, ſi ſumpſit, ſtatim oculi præter morem impleri, & fere lachrymati videntur: hunc nimium habere in ſtomacho nutrimentum: eget igitur detractione. A

Simile eſt, ſi quis potum cõſuetũ aut aquæ, aut vini, poſtquam aliquid comedit, non ſine quodam ſpirationis labore, longe ſecius, quàm aliàs, totum bibit: hunc & ſtomachi, & proximarum venarum obſtructione impediri. Expedit carnibus, & vino abſtinere: modicum panem, & herbas, & alia, quæ parum nutriunt, eſſe. B

Qui ſanus eſt, & os amarum crebro ſentit, hunc aut ſtomacho, propter alimenti copiã, vitiato eſſe: aut parũ exerceri: illud, ſi plurimum ante comederit: id, ſi multa quies præceſſerit, cognoſci. In altero, demere cibum, humidis, & parum nutrientibus veſci: in altero, exercitium augere conuenit.

Qui pluribus diebus bene comederit, & biberit, ſi dolorem aliquem circa coſtas inferiores, parte ſiniſtra ſenſerit, deinde ſub eiſdem mordicationem aliquam: huic ventriculum vitiato ſucco refertum eſſe, & capitis dolorẽ inſtare. Id liquidis, & leuiter nutrientibus contemperare, & ventrem paulatim abſtergere prodeſt. C

Vbi quis præter conſuetudinem, aut ſudore leui, aut rore quodam inter ambulandum, vel aſcendendum, confeſtim tentatur, expletum eſſe corpus ipſum, & præcipue ventriculum, ac inteſtina: conducit demere cibo aliquid, & catapotijs lenibus, aut aliquo eiſdem ſimili, ſingulatim, ac ſenſim purgare. D

Quibus vlcſcula alba cum ſalſedinis ſenſu in ore fiunt, hos multum alimenti congeſſiſſe, caputque nimis plenum ſortiri: ſi multa ſaliua in ore ſit, medicamentum deorſum purgans tuto datur: ſin minus, conducit aquam bibere, cibum ſubtrahere, elixis veſci, oliuarum frondes, ſalſamue aquam ore verſare, aluum, ſi ſuppreſſa ſit, mollire.

Vbi quis iuxta morem pranſus eſt, ſed, à prandio ſe continere à ſomno non poteſt, ante cænam vero ſine cauſa euidenti ſubraucus ſit, crudaque expuit: inter cænandum autem priuſquam dimidium alimenti ſoliti abſoluerit, appetere ſtatim deſinit, hic nihil minus expletione laceſſiri, ac nocte ſequenti parum dormire, à ſputis crebris infeſtari, oculos graues, humidoſque ſortiri conſueuit. Huic nihil vtilius, quàm vbi ceſſarit appetitus, aut perquã modicum poſt eſſe, aut à comedendo protinus deſiſtere. E

Si ſano

A Si ſano homini, ſomnus ante cænam præter conſuerudinem fiat, niſi forte propter laborē laſſus ſit: pluri cibo antea vſum eſſe: hic parcius cænare, & ea, quę prompte liquantur, aut liquata ſunt, leuiterque nurriunt, ſumere: vinoque abſtinere debet.

Qui die ſemel tantum comedunt, ventrêque cibis ample infarciunt, his melius eſſe aut aquam, aut vinum pauciferū, & id aquæ plurimæ permixtum, quàm vinum, aut meracum, aut perparce dilutum, potare: quippe vinum (vt ſupra narrauimus) coctionem

B tardiorem facit, & in tanta ciborum copia ſomnum aut prohibet, aut non naturalem inducit.

Nec ignorare oportet æquali exiſtente ciborum copia, his, qui minimum laborant, plurimas egeſtiones: his qui plurimum, modicas procedere: ſiquidē ſani fuerint, & iuſta victus ratione vtātur.

Qui paulo minus, quàm eorum natura poſtulat, comedunt, ac bibunt, hos quidem ſanos degere, ſed fere ſemper eſſe imbecillos, plerumque triſtes, nonnumquam melancholicos, & (vt ante quo-

C que innuimus) forte minus viuere.

Qui autem mulro minus, inuita natura, comedunt & bibunt, hos non modo triſtes, & timidos, ſed pigros in opus omne, ſupra morem vigilare, inſomnijs varijs terreri: & quia corpus aſſueſcit non ali, frequenter mingere, flatibus & multis, & inſolitis infeſtari, mortem ante tempus obire.

Qui in ocio ſunt, niſi adoleſcant, ſi multum comedant, bibantque, morbis obnoxios fieri. Verum ſi aluus bis, terue inrerdiu, no-

D ctu ſemel, pro copia ingeſti cibi deijciat, ſanos eſſe, atque robuſtiores, quàm ſi parum comederent, biberentque. Indicio eſſe, tum anſeres, tum piſces, qui cum aqua ſumentes alimentum, ſæpius egerunt, & ſani ſunt.

Qui vel à fructibus, vel ab alijs, in fine menſæ deuoratis, ſe confeſtim inflari percipiunt, hos nimium comediſſe. His ſequenti vel cæna, vel prandio, cibi aliquid demiſſe, ſatis eſt.

Qui aluo ſecundum naturam valde molli ſunr, hos poſſe cum

E ſanitate multum comedere.

Plus eſſe comedendum ex cibis aquoſi loci, quàm ſicci, bruta oſtendere, quę ex herbis viridibus multo plus capiunt, faciliuſque conficiunt, quàm ex fœno.

Ventres etiam in corporibus ſanis, quia Vere ob Solis curſum in medio eius, quoad nos augmento, magis appetunt, atq; promptius alimenta conficiunt: (indicio ſunt arbores, quæ per id tem-

pus &

pus & folia, & flores emittunt, plurimumque ſucci ex terra ſugũt, vt vitis inciſa ſignificat) plus impleri, quàm alijs tẽporibus, abſque noxa poſſe. A

Verum qui mane ad noctem vſque aut equitaturi, aut venatũ ituri ſunt; aut denique propter negocia, quum prandere ſoleant, à prandio abſtinere coguntur; hos huiuſmodi ieiunium facilius ferre, ſi prandij loco, ſumpſerint fruſtula duo, aut panis vino infuſi, aut artocreæ (paſticium vocant) cum pane exiguo, deinde vini modicum ſuperbiberint: aut ouum durum vnum, aut alterum, B aut fruſtum pulpæ citri conditi, aut corticis aurantij ſimiliter parati, aut nuces duas, treſve melle ſeruatas, & id genus alia. Hęc enim vt dura concoctu ſunt, ita ſtomachum toto die ſubſtinent, quo inediam ſine moleſtia toleret, & cænam melius, quàm ſi pranſi fuiſſent, appetant.

Denique fameſcentibus, aut vacuitatem in primis ventribus aut aliquid quod nutrire nequeat ineſſe: ſitientibus vero, in ſolidis particulis, alimentum deficere. C

Quia vero corpora in hac Vrbe propter alimenta fluida, (vt ante dictum eſt) cito languent, citoque extenuantur, ea medicamentis & ſæpius, & multum inanire, non modo periculoſum eſſe, ſed ſenectutem etiam maturare.

De Concubitu. Cap. XVI.

HVc vſque de inanitione (vt dicunt) & expletione: de concubitu, quatenus ad inanitionem refertur, loquendum. D Hic alimenti redundantiã ſequitur: illud, vbi non redundat, vt in pueris, & valde ſenibus, ad eum natura non irritamur. In quo quum homini ſæpe labi, & inſigniter lædi contingat, qui id effugere contendit, & cælebs eſſe velit, is alimentum ſibi ſubtrahat, corpus extenuet, vino abſtineat, numquam in ocio ſit, ieiunijs, vigilijs, & ærumnis ſe ipſum maceret. Qui vero nupſit, & vxori ſuæ debitum reddere voluerit; is ab anno vigeſimoprimo vſq; ad trigeſimumquintum liberalius; hinc ad quadrageſimũnonum E parce: ab hoc ad ſexageſimumtertium parcius: deinceps, niſi maximum ſit à natura, non, inquam, à rebus viſis incitamentum, numquàm coeat. Quum enim ſemen ſit alimentum optimum, ſi foras intempeſtiue ſecernatur, quod potiſſimum poſt ſexageſimum tertium annum vſu venire ſolet; neceſſe eſt hominem non modo tabeſcere, ſed etiam citius, quàm natura ſinat, extingui.

A Neque obliuioni tradere iuſtum eſt, eos, qui dum coeunt, ſemen nimis celeriter emittunt; ſi modico cibo antea reficiuntur, ſetius effundere: qui vero tarde, hos ieiunos promptius reddere.

Qui etiam ad ſobolem procreandam maiore irritamento, plurique ſemine indigent: hos & efficacius, & ſuauius concubituros, ſi prius, quàm vxorem ineant, ferculum ex lacte ouorum, quæ tremula nuncupatur, cum pane recenti, quemadmodum lac ipſum comeditur, triduum, quatriduumve mane, & veſpere ante cibum

B aſſumpſerint. Neque in hoc caſu præſidium aliud vllum, huic par eſſe, ſiue pipiones cum vino rubro, cum aromaribus; ſiue nucleorum pineorum lac, ſcincos, ſiue paſſeres, ſiue bulbos, ſiue diaſatyrion in medium adduxeris.

Cõcubitum quoque, ſi modus abſit, aluum ſiccare; oculis, neruis, & ſtomacho plurimum obeſſe, pulmones crebra inſpitatione citata nimio ſanguine implere, ſpirandi difficultatem accerſere, cruenta ſputa mouere.

C Poſt ſudorem, poſt famem, poſt ſitim, poſt laborem, poſt expletionem, numquam non maleficum eſſe.

His, qui minus, quàm conſueuerint, comedunt, vehementer officere. Quo minus enim alimenti capiunt, eo minus ſeminis habent. Icirco ſenibus mirifice nocere: quia enim ſecius, quàm in iuuentute multum eſſe non poſſunt; his perinde accidit, atq; cynnamomo, & caryophyllis, poſtquam ex eis oleum fuit extractum. Illa namque vt inſulſa, & ſaporis omnis expertia ſunt, ita plerique

D ſenes, vbi concubuerunt, tamquam omni oleo, vi quadam expreſſo, hi attoniti, illi amentes, aliqui paralytici redduntur.

Cæterum à cibo, qui moderatus eſt, & à ſomno, qui corpus recreauit, fieri, non multum intereſt: modo neque labor, neque languor ſequatur.

Ex anni temporibus, vere magis opportunum: poſt, hieme, tertio circa æſtatis initia: deinde vero & autumno, dubium, & minime ſecurum eſſe.

E Noctu item, quia nox vires minus reſolui, & ſomno, qui cum, hoc tempore ſæpe comitatur, magis refici permittit, tutius exerceri.

Denique horam illam ei vtilem eſſe, in qua ipſe homo leuior, & alacrior factus, ac melius ſpirare videtur.

De animi perturbationibus. *Cap. XVII.*

HActenus de inanitione (vt dicũt) & expletione: animi ac- A
cidentia ſe ſe offerunt. Hæc vi maxima pollere, miraſque in corpore motiones excitare, timor, triſtitia, quibuſdam animi dolor, cura item, & gaudium immodicum (vt litteris proditum eſt) & ira & odium declarant. Sanè omnes hæ animi perturbationes (gaudium interim excipiamus) corpus exiccant, extenuant, ſenectutem maturant, mortem aliquæ illico, vt timor vehe- B
mens, aliquæ longa dierum ſerie vt cura & mœror accerſunt. Singulæ coctionem impediunt, vires exoluunt, grauidis abortum mouent, ſi morbo aliquo ante correptos apprehenderint, illum eundem multo grauiorem efficiunt. Si ab aliquo corporis affectu naſcuntur, curatu faciliores ſunt: ſin ab animo, & amotu difficiliores, & longe deteriores euadunt. Illic enim eſt, quod plerumque palam ſummouere licet, nempe ipſum corporis affectum, à quo dependent: hic multa, & varia reſpicere oportet; quæ vtrum C
cauſæ ſint, aut non ſint, vt perarduum eſt, internoſcere; ita maxime operoſum eſt, id, quod vere agit, expugnare. Ideoque illic, purgatio ſæpe iuuat, hic non niſi raro, & ex accidenti prodeſt. Deniq; quæuis harum ſi ab animo primũ oriatur, & fixa tenaciter ſit; venenum homini nullum maius, nullumque pernicioſius eſt.

Porro inſignis timor, quod hominem illico perimat, ętate quũ ſuperiore, tum noſtra, notum omnibus eſt. Nuper enim mulier quædam, ſatis robuſta, ſtatim perijt, vbi filium exulem morti iam D
diu condemnatum, à ſatellitibus captum fuiſſe, & carcere detineri nunciatum illi eſſet.

Quidam etiam noctu citatis equis currens, Padum proxime glaciatum ignarus pertranſijt. Vbi domino litteras obtuliſſet, ab eodem interrogatus, qua hora Padum tranſmeaſſet: lethale periculum animaduertens, quamquam id præterierat, illico tamen exanimatus eſt.

Duo item ſacerdotes, qui (vt dicitur) Calepodijs incedunt, me- E
dia hieme, quũ lacus Fucinus glaciatus eſſet, niueque totus obrutus, planitiem illam arbitrati terram eſſe, totam ab extremo altero ad alterum peragrarunt. Mirantibus alijs quomodo tam cito illuc deueniſſent, audito, quod ſuper lacum ambulaſſent; ſtatim ambo vitam obierunt: adeo vt metus non ſolum præſenti periculo, ſed etiam periculi memoratione, ſubito interficiat.

A Non deſunt plura alia exempla, quæ idē teſtantur; ſed ſatis iſta ſint, ad inducendum quod immodicus timor, repentinam mortem excitet.

Atqui, gaudium, quod idem præſtet, præſertim in homine, (vt exiſtimant) puſillanimi, partim verū, partim non verum eſt. Illud certe cōſtat, ſi timor ſanguinē, aut ad cordis ventriculos reuocās, innatum calidū ſuffocando (vt inquiunt) reſtinguat: aut repente coagulando, ſicuti foris frigus, ita ille intus in glaciei modum cō-
B ſtringat, ineptum motui reddat, & ſubitam mortem inducat, nihil miri eſſe.

Nam etſi aliquis dudum præterijt irrecuperabile mortis diſcrimen, & in tuto nunc eſt, nihilominus proxime cognito vitæ periculo, quod ſine vlla omnino ſpe ſalutis erat (alioqui ſi fiducia quædā affuiſſet, illud minime contigiſſet.) Neglecta penitus hac vitæ ſecuritate, in qua iam eſt, facile poteſt animo ita commoueri, vt ſeipſum illico extinguat.

C Ad certam enim mortem propter infixam eius in mente comprehenſionem, ſubito conuerſus, perinde ac ſi in lacū, aut in magnum flumen obrutus ſuffocaretur, ex improuiſo perit. Quemadmodum proxime recenſitis contigit. Quod animus id poſſit, illinc patet, quoniam ipſe corpori, regis inſtar imperat: vt in melancholicis perſpicuum eſt, qui morte propoſita ſeipſos aut laqueo ſuſpendunt, aut ex alto vel in terram, vel in puteum aliquem præcipites deijciunt, & ſimilia.

D Gaudium vero, quòd ſpiritus diſſipando, & excutiendo ad exteriora, ſubito reſoluat, & mortem afferat; in his qui magno mœrore affecti ſunt, valde ambiguum eſt. Spiritus enim in his arterias intra potiſſimum ſeruantur (quod patet quia tales non plorant, ſed omnia intro contrahentes, ſe ſe intus macerant,) quas extra vt confertim, & celeriter eijciantur, fieri non poſſe videtur.

Quonam enim modo tam velociter expellentur, quum à triſtitia vehementi retrahantur intro? quum arterijs etiam contineantur?
E quæ ita conſtructæ ſunt, vt non niſi ægre illinc exire queant? Præterea in ipſam carnem, in hoc caſu prius erumpere, ſimulque hanc eandem antea inflari oporteret, quemadmodum his, qui pondus aliquod geſtare, aut in altum attollere conātur, vſuuenit.

Continent enim ſpiritum, & facie, & reliquo corpore tumeſcere cernuntur: id quod in his, qui propter gaudium in maximo mœrore (vt ſcribitur) obiere, numquam eſt animaduerſum.

Huc accedit, quod gaudium pullulare ſpiritus facit:totum vero ſanguinem in his,qui eum propter mœrorē intus cohibent,ita repente deficere,vt ex eo ſpiritus nequeant regenerari: quum in gaudio ſemper calor inſit,rationi non conſonat.Niſi forte riſu ob gaudium vehementer citato, velut ſæpius vrina ex veſica, ſic ſanguis ex pulmone confertim erumpens (vt Gallo cuidam Patauij dum quaſdam litteras legeret eueniſſe accepimus) hominem exanimet. A

Aliquis etiā in his,qui vehementi vel triſtitia,vel timore correpti ſunt,mirari facile poteſt:quomodo propter mœrorem,aut metum,ſpiritus omnes quum intro tracti ſint,adeo repente reuocari ad exteriora,& diſſipari queant, vt qui ita volunt,in gaudio fieri contendunt. B

Neque iuſta eſt illa ratiocinatio, quod ſicut immenſus timor confeſtim perimit,ita quoque gaudium in his efficiat: propterea quod inuicem opponantur. Siquidem timor,non gaudio,ſed fortitudini aduerſatur. Timidus enim,& animo fortis,ſibi mutuo repugnant.Gaudio autem triſtitia,quemadmodum gaudenti triſtis obijcitur:hos vero proprie non timor,ſed mœror exercet. C

Cæterum aliquos qui magno neque mœrore,neque metu correpti, ſed liberi ab omni alia animi perturbatione ſunt, ob gaudium perire poſſe nihil vetat, quemadmodum eos, qui pio ideſt tenero (vt dicitur) animo ſunt, & ex quauis vel minima lætitiæ occaſione,in lachrymas erumpunt.

Quia enim in his ſpiritus ab animo non intro coercentur, ſed foras expanduntur,atque pelluntur: quemadmodū lachrymæ cōfertim emittuntur,ita ſpiritus & per oculos & per alias partes eijciuntur:qui licet intus quoque relinquantur,pauciores tamen remanent,ob ſubitam,& confertam eorum vacuationem,quàm vitam quoad alij regenerentur,ſuſtinere queant.Tale quid accidiſſe probabile eſt poetę Philippidi,qui quum ætate iam edita,in certamine poetarum præter ſpem viciſſet,& lętiſſime gauderet,inter illud gaudium repente mortuus eſt. D E

Simile quoque Diagoræ Rhodio, qui tres filios adoleſcentes habuit, vnum pugilem, alterum pancratiaſten, tertium luctatorem:eoſque omnes vidit vincere, coronarique eodem Olympiæ die:& quum ibi eum tres adoleſcentes amplexi coronis ſuis in caput patris poſitis ſuauiarentur:quumque populus gratulabundus flores vndique in eum iacerent,ibi in ſtadio,inſpectante populo,

in oculis,

A in oculis, atque in manibus filiorum animam efflauit. His duobus non antea mœror, aut metus intro reuocarat ſpiritus: ſed interea dum cõtendebatur, gaudiũ exoriens, eos ad exitũ aſſuefecerat.

Contra vero in duabus illis matribus, quas referunt nunciata clade, quæ ad lacum Traſimenum inciderat, alteram ſoſpiti filio ad ipſam portam quum facta obuiam eſſet, complexu eius expiraſſe. Alterã, cũ falſo mortis filij nuncio mœſtam domi ſedentem, ad primum conſpectum redeuntis exanimatam eſſe. Mœror ingens B ante conceptus, tantum abeſt, vt ſpiritus ipſos ad erumpendum foras aſſuefecerit, vt maiore impetu intro ferrentur, atque ibidem ceu vi quadam obnixe detinerentur.

Sane gaudium quoad plebem quidem viſum eſt fuiſſe, quoad vero matres, quoniã in extremo erant mœrore, ſine vlla ſpe prorſus de filiorum ſalute, non gaudiũ, ſed intempeſtiua mœroris commotio fuit, eas ad mortem paulatim ducentis: nam ad illam (vt euentus patefecit) ſe ſe penitus deſtinarant; quæ intenſior facta, C mortem in eiſdem ſerius futuram, citius accelerauit.

Non enim in hoc caſu putatum gaudium, poterat ſpiritus eoſdem, propter ingentem triſtitiam intro retractos, atque tenaciter detentos, ad extrinſeca ſubito reuocare, ac illico interimere: quoniam in præcipiti ad contrarium intro nitebantur: ſed filiorum aduentus re iam confecta, importunus exiſtens, tamquam auxiliũ ægro alicui citra occaſionem adhibitum: id ſolum præſtitit, quod animum inſigniter commouit: quem, quum non niſi in mœſtitia D pertinaciter inſiſteret, in longe vehementiorem, ſic quoque conſentiente natura detruſit, & mortem, quæ ob conceptam triſtitiã ante tardabat, ob hanc eandem ab iſta commotione magis auctã intempeſtiuus filij aduentus maturauit. Quemadmodum puella, quæ iuuenculũ deperibat, quum eum videre prohiberetur, adeo grauiter ægrotabat, vt nulla alia fiducia ſalutis eius relicta eſſet, quàm ſi amaſius aduocaretur: hic vbi acceſſit, aliquãtum quidem commota eſt, ſed quoniam ad vltima ferè deuentum erat, in maE nu eius repente vitam finiuit.

Amantis igitur acceſſus illam non interemit, ſed animum iam mœrore confectum, & delapſum, qui ob triſtitiam, temporis ſpatio extinguebatur, nimium exagitans, ad breue tempus redegit, mortemque ſubitam accerſiuit. Sic etiam ſcurra, cui nomen Gunnella, quum obtruncatum iri (vt fertur) à iuſtitia cogeretur, collo ſub ſecuri poſito, aqua frigida confertim ſuperaſperſa, immota

manente ſecuri, actutum mortuus eſt. A

Profectò aqua frigida illum non interfecit, ſed quia animum, ſecuri adacta, deſponderat, id quod interea ſimile quoad caſum, ſuper collum incidit, eum ad mortem ante tempus feſtinauit: ita exiſtimatum gaudium in mulieribus prædictis renouans, ſimul ac augens mœrorem, qui ad mortem perſeueranter trahebat: hanc eandem videlicet, mortem, properauit. Nam à, mærore, quia nimis vltra progreſſus fuerat, deſiſtere nequibant.

Gaudium igitur vbi liberum eſt, nullo præcedente mœrore B paulatim augeſcens, deinde confertim apparens, ſubitam mortem afferre quidem poteſt: mœrore autem pręexiſtente atque hoc eodem valde inſigni, ac tenaciter inhærente, non poteſt: Neque verum, ſed putatum gaudium eſt.

Sanè in omnibus his animi perturbationibus, quod inuentio cauſarum, idoneam & prædictionem, & curationem nos doceat: ſupra vbi de languore ſermo fieret, ſatis eſt dictum. Hunc tamen (vt etiam ibi monuimus) repetere non inutile eſt, quod vinum C præcipue meraeum (nam id maxime omnium prodeſt) abunde potum, & metum, & animi dolores, quas triſtitias vocamus, & inſenſas curas omnes, quemadmodum mandragora, ſopit, & hilaritatem, ſicut oleum flamam excitat: aut, ſi id nō præſtiterit, vel ſomnum longum, qui dictas perturbationes demulcere ſolet, inducit: vel capitis dolorem parit, qui earundem afflictionum obliuionẽ ſuggerit. Quod item timore, triſtitia, & grauibus animi curis affectos, expediat, à ſolitudine, à tenebris arcere; fontes, & viridaria D contemplari, cum beneuolis verſari; his, quæ delectant, potiſſimũ vti: denique loca varia ſæpius viſere, vt his affectionibus diſtrahantur: ſpeciatim vero ſciendum eſt, ijs, qui ſubito, & magno timore correpti ſunt, modo alia non prohibeant, ſanguinis miſſionem, antequàm aliò ſanguis abſcedat, mirifice prodeſſe.

Vbi vero vlterius progreſſi ſunt, ſi bene ſperare didicerint, maxime opitulari: quod tum pręcipue fit, inuentis, atque propoſitis his, per quæ multum ipſe animus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocare perſuadetur. E

Iræ, atque odio, quod iram inueteratam interpretantur; vtpote quod illa velox, id pertinax nocendi cupido ſit; eum recte conſulere, qui animum & humilitate, & alijs inſeruiendi deſiderio, paſſim exerceet: qui etiam mortem, quæ mundana omnia demolitur, ſæpenumero meditatur.

Atqui

A Atqui gaudium interdicere perinde ac prædictas animi perturbationes,vanum eſt:primum quia gaudium non animi perturbatio,ſed conſolatio eſt:deinde,quòd vix in triginta ſęcula ſemel, biſve interemiſſe contigerit, id notam non habent, quum per innumerabiles homines ſemper iuuiſſe cōperiatur: quippe quod probam coctionem efficit, optimo ſucco corpus replet, ſenſus omnes vegetos reddit,mentem integram ſeruat, ſanitatem tuetur auget, vitamque producit. Id igitur numquam prohibere conB uenit, niſi forſan in cachinnum degenerat, aut ſi eius nimietas mortis ſuſpicionem aliquam facit,curas aliquot,quæ illud modice coerceant,interponere. Tandem qui ab animi perturbationibus ne offendatur exoptat; hic ſedulo ſtudeat, tranquillo animo, quoad licet,ſemper eſſe.

Id his tribus potiſſimum aſſequetur. Primum, ſi ſanitatem ſui corporis perpetuo tueatur:(hæc enim infirma dubiave, hominē triſti animo eſſe neceſſariū eſt) Deinde,ſi ea,quæ ad illā neceſſaria C ſunt,in promptu iam habeat: aut ſi qua deſunt,vt ſibi facile cōparare queat.Tertiū,ſi rerū cupiditatem, quæ infinita eſt,& quæ hominem quieſcere ferè numquam permittit,ita moderetur,vt non amplius cupiat,quàm præſentia, proximeque futura pollicēatur.

Hæc de ſex rebus,quas non naturales appellant.

De quatuor anni temporibus. Cap. XVIII.

D QVo victu per quatuor anni tempora vti debeamus, breui dicendum. Generatim igitur in ſingulis his,vbi pluuiæ multæ fuerint,expedit parum bibere,ac (niſi æſtas fuerit) magis meracum, ſi caput patitur,quàm dilutum:aut ſi non patitur,ſeruata paucitatis menſura,tantū vini ſubtrahatur,quantū aquæ adiungitur. Abſthemios vero, minus aquæ potare:& hos, & illos,iuſculis minus ſæpe vti:comedere ſolida,vt ex carnibus,mōtanos columbos,volucres non aquaticas,veruecem,capreolum vt(dicunt)leporem,& E ſimilia.Sed quia interim cum hoc victu aluus plerumque adſtringitur,ſi id euenerit,ad ea,quæ,De aluo mollienda,ſcripſimus(mō do non valde humectent) recurrendum.Sin conſtitutio ſicca fuerit,contraria (ſic tamen vt modus adſit) facere.

Qualiacunq; vero tempora vel pluuia ſint:ſenex eos, qui ſalita eidē paſſim conſulunt,vt pote quibus humidum abſumitur, mini me omniū audiat. Nā omnia quidē ſiccāt:ſed ſenectus ſiccitas eſt.

Non enim

Nõ enim hæc ſpeciatim excrementũ in ſenibus humidũ (vt quidã A
ſibi ſuadent) dumtaxat attingunt, cætera vero intacta relinquunt:
ſed etiam eorum carnes, & corporis ſubſtantiam vellicando liquant, exprimuntq;. Patet id, quoniam à ſalitorum vſu ſenes plus humidi cumulant, ſępius expuunt, tuſſiunt, rauceſcunt, debiliores fiunt, magis extenuantur. Sane ij cum Galeno ſe bene ſentire arbitrantur, cũ tamen in hoc ab illo (vt proxime narrauimus) longiſſime diſtent: quippe qui tantum abeſt, vt ſalita ſenibus vtenda cenſeat, vt hæc eadem maxime damnet, & apertiſſime deteſtetur. Nã B
quinto etiã de tuenda ſanitate, paulo poſt eam vocem ταριχευθέντα, quam plerique ſalita, quidam ſicca: nos vero ſeruata interpretari ſumus: illos manifeſte redarguit, qui ταριχηρὰ, latine reddunt ſalitas carnes, ſenibus potius, quàm recentes, exhibent. Hi enim (inquit) protinus in ipſo primo agendorum conſilio falluntur, dum ſenũ corpora ſiccanda putant. Iam & ex carnibus præbent eas, quæ ferarum ſunt potius, quàm cicurum, & ſalitas potius quàm recentes. In tota denique victus ratione, quorum vis humida eſt, hæc fugiunt: quorum ſicca eſt, hæc amplectuntur. Quamquam contra C
prorſus res ipſa poſtulat, cum porſint his maxime humectantes cibi. Hactenus Galenus. Nec aliquis eum ſibi ipſi in his controuerſum appellet, nec de vocabuli abuſu, quod eſt ſalita, reprehendat.

Nam vtrobique eadẽ voce non vtitur: ſupra namq; ταριχευθέντα hic vero ταριχηρὰ dicit, illud nunc ſalita, nunc ſeruata (vt diximus) interpretari poteſt: hoc, niſi ſalita, ſiccaue, non poteſt. Hæc tamen huc diſtuli: antea vero quum de ſenecture producenda ſermo fieret, ſilentio præteriui: non quo ibidem ſcribere non licuiſſet; ſed D
quo lectoris animum opinioni contrariæ prorſus addictum, non illico aut deterrerem, aut exaſperarem: tantiſperque ſuſpenderem, dum eo dubitationis ſcrupulo prius oſtenſo, paululum ambigere inciperet, ſubinde ſenſim hæſitans & à priori ſua ſententia recedens, huc tandem perueniret, vbi Galenum, quem ſibi ducem in hac re proponebat, vt palam aduerſarium reperiret, ita nõ inuitus his noſtris poſtea cęderet. Sed ad quatuor anni tẽpora reuertamur. E

Hiems. Cap. XIX.

Hieme igitur quãquã Hippocrate auctore, niſi quis valde ſiccum ventrem habeat, ſemel tantum in die cibũ capere debet: id ſi fieri non poſſit, modicum prandere. Nihilominus quoniam hic Romæ (vt toties diximus) cibi vel in magna

mole pa-

A mole parum nutriunt, melius eſt in vniuerſum, bis die refici, (niſi cuipiam peculiari quadam proprietate officiat,) & prandium, & cænam ſumere. In vtro plus edendum ſit, paulo ante narrauimus. Multa tamen in die ſemel comedere nihil obeſt: bis autem, non ſolum Romæ, ſed in omnibus ferè locis periculoſum. Conuenit item multas tum potiones, tum ſorbitiones cauere. Corpulenta, & ſolida, magis quàm vere, & alijs anni temporibus eſſe: panem multum, & ea, quæ ex farinis conficiuntur, carnes aſſas: quoniam B hæ, non ſitientibus, quales hieme potiſſimum ſumus, iucundius & promptius deuorantur.

Carnes item bubulas, ſed has elixas, & ante fraceſcentes, atque alia id genus: olera pauca, niſi calida, & ſicca ſint, vt caules, radices omnes altiles.

Vina robuſta, & nigra, quibus arrident, ſed perexigua, & ſyncera porare.

Hibernum frigus, poſt ſolitas vacuationes, vbi redditæ fuerint C non formidare; alioqui eas compingit, firmat, & varijs morbis occaſionem præbet.

A cibis, & exercitijs, quamquam corpus conſuetis excrementis exoneratum ante ſit, fugere.

Multum quidem exerceri prodeſt: quoniam ſero admodum calefit corpus: ſed id, vbi magnus frigoris exceſſus adfuerit, vitare. In hoc enim ſtatu, niſi plurimum laboretur, corpus non caleſcit: plurimus vero labor, in frigore intenſiſſimo periculoſus eſt.

D Expedit quoque vt æſtate calorem, ſic hieme flatum cauere: ille vires diſſipat; iſte caput nimis replet.

Veſtes, accedente hieme, mutare primum interiores: quemadmodum æſtate appetente, exteriores.

Ver. Cap. XX.

VEre is victus eſt ſeruandus, quem tempus medium ab hieme ad æſtatem requirit; præſertim (vt ante narrauimus) E vtrouis longe anguſtius ſit. Paulatim igitur ſubtrahêdum his, quæ in hieme præcipiuntur, & ſenſim ad ea, quæ in æſtate, accedendũ. Nempe à potu exiguo, & meraco, ad plurimum & dilutum: à cibis duris, ad molliores: à multis, & eo magis æſtate iam proxima, ad pauciores; ab aſſis, ad elixos. Modo memores ſimus eorum, quæ de his, qui Quadrageſimam ſeruare tenentur, paulo ſuperius explicauimus.

Sed

Sed interim ſcire licet, quia noctes breuiores fiunt, amœniſſimumq; tempus matutinũ eſt, ſinendũ eſſe, hominem hac quoq; hora, vſque ad Solis ortum, & paulo vlterius dormire: ſi præcipue conferat, facileque feratur. Sæpe namque contingit Sole ad nos propius accedente, vt probi ſucci ab hiemali frigore intra corpus quaſi concreti, liqueſcant, attenuentur, & ampliorem locum exigant: qui niſi vacuatione aliqua foras elidantur, quod naturale non eſt: oportet vt intus retenti, aut male putreſcant, quod etiam præter naturam eſt: aut inedia, extenuanteque victu diſſipentur, quod ad naturam prope accedit: aut denique in corporis ſubſtantiam vertantur, quòd natura maxime fit. Quemadmodum enim plantæ hac tempeſtate conceptum hieme ſuccum, extra non expellunt, ſed in ſuas ipſarum partes & in frondes, & flores conuertunt: ſic hominibus faciendum eſt, vt huiuſmodi ſuccum, in carnes, & in corporis robur commutent: quæ omnia ſomno ipſo potiſſimum fiunt. Quare vulgo dicitur, menſe Aprili, dulciter dormiri. Somnique per id tempus & longiores, & ſuauiores exiſtunt: tum propter prædicta, tum quia circumfuſus aer caleſcens, longe magis, quàm hieme reſoluit. Quo fit, vt etiam complures vere, quàm hieme plus appetant: pluſque comedant, ac bibant: quod ſomni & prolixi, & iucundi ſequi ſolent. Sed Martium ſolem (hic enim verno tempore occurrit nobis) fugere non inutile eſt, quippe qui ſuccos concretos non ſolum modice, ſed etiam maxime liquat: qui, corpore propter hiemem pleno, in aliquam partem abſcedant, oportet. hinc deſtillationes, tonſillæ, anginæ, pleuritides, peripneumoniæ, ſcabieſque.

Sed hæc ipſa ne contingant, primũ ad inediam, & victum extenuantem confugiendum, (ideo Quadrageſima per id tempus, vt ad animæ; ita quoque ad corporis ſalutem (quemadmodum ſupra narrauimus) inſtituta eſt.) Deinde ſi neutrum proſit, aut vena ſecta, aut purgatione, aut aliqua id genus inanitione, pugnandum.

Cæterum qui ſobrie viuit, præcipue vero ſenex annum ſupra ſeptuageſimũ, ſi forte interim mutato victu, videlicet ex parco, ſed ſatis vtique nutriente, ad magis parcum, ac minus inſtaurantem, ſi inquam, præter conſuetudinem abſque cauſa manifeſta, interim extenuetur, & gracileſcat: neque his, neque ſimilibus vacuationibus vllo modo torquendus eſt, quippe qui non adeo multa per hiemem congerere ſolet, quæ ſuo reſtricto victu facile ſuperare non poſſit.

Hic igitur

A Hic igitur Vere, victus mutatione, vt dictum eſt, peracta; ſi gracilior præter morem euadat, neque purgari, neque inediam pati debet: ſed cibum bis die potius, quàm ſemel (ſi ita conſueuerit) capere. His, in quibus exiguum eſt, quod nutrit; non exiguum, quod eſt inutile, abſtinere: carnibus, ouis, & id genus alijs, in quibus plurimum eſt, quod nutrit; minimum, quod inutile, ſæpius veſci. Senectus enim in ſiccitatem via eſt. Purgationes autē, inediæ, ſemel eſſe, cibaria tum quæ parum alunt, tum quæ excrementitia
B vocantur, ſiccant: quorum vel ſingula, vel vnum, vel alterum, ſi ſequi velit, atque ob id & languidior, & tenuior præter naturam fiat, cum hoc, quod ſenectutem ipſam maturat, neceſſe ſimul eſt, dum ab ęſtate excipitur, in qua ſenex bene valere naturaliter ſolet vt non modo non bene valeat, ſed plurimum diſſoluatur, atque flacceſcat: & vel in hanc eandem, vel in autumnum, de malo aliquo, languoris cauſa periclitetur.

Quamobrem verno tempore, huic longe vtilius eſt, non ea,
C quæ illum extenuāt, atq; debilitant, in cibos admittere, ſed quemadmodum ſomni per id tempus natura ſunt ſuauiores, ac longiores, ita plus comedere, & cibaria, quæ bene nutriunt, accipere: à quibus fortior euadens æſtati reſiſtere vt poſſit: quæ in ſene nimirū ſobrio, per ipſum autē vernè quaquam refecto, ſed potius delaſſato, vires eius, æſtuoſo ſuo calido, exſoluere conſueuit. Ergo arbores ipſas hic imitetur, quæ vt natura duce, verno tempore, contra æſtatis incommoda, ſibi frondibus vmbram, multo alimen-
D to attracto, incrementum præparant: ita natura, & ratione ſic ſuadente, quum idem vtriuſque ſit particeps, debet hoc eodem tempore aduerſus æſtatis iniurias, ſeſe non minuere, ſed contra, munire. Nam huic per ver (vt diximus) vel imbecillo, vel attenuato, æſtas non perinde prodeſt, ac ſenibus alijs, qui vere ipſo nec exſucci, nec inualidi redduntur. Quocirca in hoc ſtatu, antequam æſtas accedat, neceſſarium eſt, in carnibus augmentū; in viribus robur, prout eius natura poſtulat, ſibi aut tueri, aut acquirere: non autem
E illas diminuere, has eneruare.

Aeſtas. Cap. XXI.

EX Vere ad æſtatem, quò tempore pleriſque parum fameſcere, multum vero ſitire, vſu venit; procedendum detracto cibo, aucto potu: ita tamen, vt paulatim, non repente fiat: ne magna mutatio ſubito contingat. Deinceps vtendum cibis pau-

cioribus,carnibus elixis,ſæpius quàm aſſis. Valde namque ſitientibus,elixa facilius,quàm aſſa,glutiūtur. Horarijs fructibus,prima menſa,modo aluum leniant,neque ſitis immodice vrgeat:quippe ſitis vehemēs, niſi alijs ingenijs ante retundatur,cauſa eſt, qua ſuccus eorum vitioſus celeriter in venas ſubeat, qui per vrinæ vias ſi non exire anticipet,putredine intenſiori,quàm opus ſit,afficit corpus; febribuſque obnoxium reddit. A

Caſeo item neque multo,neque frequenti; ſed perexiguo, & perraro. Qūum enim hoc tempore plurimum bibatur,valde vero potantibus (vt Hippocrates inquit) nullus alius cibus nocentior eſt,caſei vſus magnopere officit. B

Vtendum præterea,ob dictam cauſam,potibus dilutiſſimis, & quàmplurimis; atque his inter cibos commixtis,&,quia pręcalida tempeſtas eſt,præfrigidis.

In ſpatio inter prandium & cenam, niſi propter aliquam cauſam ſiccitas valida ſequatur, non bibendum. Quamquam enim in hoc interuallo propter cæli calorem, leuiter ſitire ſæpenumero contingit;quia tamen id,quum leue ſit, ſua ſponte ceſſat, melius eſt,ſitim hanc aliquo tempore ferre, quàm potare. Illud enim alimenti digeſtionem non prohibet,hoc interturbat,& cœnam plerumque aut impedit,aut iniucundam efficit. C

Perquammodice quoque prandendum,ſi facile feratur. Calor enim meridiei tempus ſequens,corpus plenum infenſe lædit. In prandio tamen dilutius,quàm in cœna, bibendum.Surſum enim Solis calido ſemper alliciente,vini vapore ſimul aſcendente,capite naturaliter attrahente,cerebrum valde repleri, nimium incaleſcere,& male affici neceſſe eſt. Veſpere autem in cœna ſi potionis modus adſit,prohibet noctis frigiditas,dum obſiſtit,pędicta fieri. D

Qui naturaliter parum comedunt, hos,ne ab æſtu infeſtentur, & vt vires ſubſtineantur,vini quidem plurimum, ſed maxime diluti potare. Hieme contra, qui multa comedunt, (vt ante narrauimus) hos vini quidem minus, ſed parum diluti; quia quo minus dilutum,eo minus humectat aſſumere. E

Vomitus æſtate,niſi expletio aliqua intercidat, ſanis corporibus fugiendi.

Balnea tepida,conſuetis,ſequenda.

Mane,quoniam aer frigidior eſt,ambulationes & exercitia, intra tamen modum,frequentare.Cito enim aut ſudor,aut fatigatio ſequitur. Veſpere autem,dum æſtuoſus aer eſt,magnopere cauere.

Si ſub

A Si ſub Sole faciendum eſt iter,melius eſſe,tum leuiter prandere,
tum vini loco (ſi bibentis natura tolerat) aquā potare;ne Sol a ven
tre ſurſum in caput ſemper arripiens,dolorem accerſat, coctionē
impediat,deinde deſtillationem, & febrim moueat. Non enim
ſatis eſt, caput, aut pileo, aut vmbella, à Sole tueri: quia per os,
per nares,aer æſtuoſus in illud fertur;qui caput replet,calefacit, &
mala prædicta inducit.Aqua vero pota,vt calorem moderatur, ſic
etiam ab his maxime defendit.

B A cena non exercendum, ſed non tarde ſurgendum, & leuiter
ambulandum.

Soles, & frigora magnorum fluminum, & ſtagnorum, & ni-
uium,tam mane,quàm veſpere,vitandum.

Per æſtatem enim illi corpus exſoluunt, hæc vero,quia cū aere
in intima penetrant, corpus æſtiuo calore vndique apertum, ſuo
vehementi frigore horrorem ſæpius inferentia, quaſi aciculis
pungunt,& innatum calidum aut vitiant,aut corrumpunt.

C Quod ad ſomnum pertinet, quia noctes valde breues, & ple-
rumque moleſtæ ſunt, matutina hora, ſi ante dormitum non fue-
rit,vſque ad quartam,aut tertiam diei partem dormire,ſępenume
ro prodeſt.Si mane ſurgendi neceſſitas fuerit,ante prandium quo-
que (vt ſupra diximus) redormire.

A prandio autem ſomnus breuis quidem ex vſu videtur eſſe,
longus vero ſemper inutilis,non raro noxius.Vterque tamen prę-
ter naturam eſt.Si enim proxime,quātum conſueuimus,ſatis dor-
D mitum eſt,ſomno per id tempus homini opus non eſt.At illē non
obeſt,hic obeſt.Quoniam in illo vapores pauci à cibo ſurſum fer-
ri,atque hi celeriter ab innato calido vinci:in hoc & plurimi, &
non niſi cum labore domari ſignificantur.

Autumnus. Cap. XXII.

AB æſtate,per autumnum,ad hiemem,contra,ac per ver,ad
æſtatem,dixerimus, eundum. Aeſtiuis quidem paulatim
E demendo:hiberna vero ſenſim addendo.Quia noctes lō-
giores fiunt,ſomno,poſt prandium,reſiſtendum,non cedendum.

Cæterum,quia id tempus non modo propter crebram aeris in-
æqualitatem,ſed ob Solis cum illa receſſum,& ob corporis ab æ-
ſtate, quæ anteceſſit,exolutionem, ſatis pernicioſum eſt:ſe quiſq;
ſedulo tueri debet,ne tot maleficis in vnum conſpirantibus, deli-
ctum aliquod effatu dignum in victu ipſo committat. Dū namq;

pluit,neque ſitis premit, ſi plurimum bibat, grauius eſt, quàm ſi hieme, aut alio tempore,ſi huuc in modom deliquiſſet.Hic enim aut aeris æqualitas,aut corporis robur ſuffragatur: illic prædicta tria,vel ſingula,vel ſimul omnia,corruptum eunt. A

Itaque in tanta huius conſtitutionis varietate,animum homo, tamquam in æquilibrio,ſuſpenſum teneat,vt in hanc,vel in illam partē æqualiter,& prompte ferri,ſui corporis tuendi gratia, diſcat.

Memorque ſit,neque venerem in hoc ſtatu ſecuram eſſe: neq; potionem multam abſque periculo ſumi.Quamobrem hoc tempore minus fortaſſe, quàm quis exiſtimaret, bibere conducit. Siquidem carnes,ob æſtatem exiccatæ,ſi aer(id quod ſæpius vſu venire ſolet) præhumidus fuerit,foris per cutim, per os, per nares, humidi quàmplurimum in corpus noſtrum, hauriunt, & ſitim, perinde ac ſi aqua potaretur, vt auſtro humido flante paſſim experimur,obtundunt.Nam hæ (vt etiam inquit Hippocrates) attractrices ex ventre & extrinſecus.Hinc ob redundans circunfuſi aeris humidum,tam ampla,& frequens per autumnum aquoſæ vrinæ mictio. Non enim (vt aliquibus placet) quia vuæ multæ comeduntur,id euenit:quoniam & his, qui vuis minime veſcuntur, hoc idem pariter accidit. Non quia debile admodum ſit innatum calidum,quia niſi ſatis humida conſtitutio ſit, non ita contingit. B C

Hæc hominum gratia dicta ſint, qui neque vitam negligere coguntur: neque temere viuere volunt: ſimulque tempus, & ſpatium habent, quibus cuſtodia ſui corporis conſulere queant. D

FINIS.

ALEXANDRI
T. PETRONII
DE ALVO SINE MEDICA-
MENTIS MOLLIENDA
LIBRI DVO.

Opus quidem pleriſque omnibus vtile: ſed ijs qui ſe,
prout natura poſtulat, exercere non poſſunt,
apprime neceſſarium.



ROMAE,
In Aedibus Populi Romani.
M D L X X X I I.

ALEXANDRI T. PETRONII A

DE ALVO SINE MEDICAMENTIS MOLLIENDA

LIBER PRIMVS.

De his, quæ generatim molliunt aluum. Cap. I. B

SI homo parum comederet, parumque biberet, eum pro tuenda ſanitate ſollicitum eſſe, quod aluus in dies abunde molliretur, minime oporteret. Nulli enim morbo, quod ad cibum, & potum attinet (vt Hippocrates innuit) obnoxius eſſet. Sed quum ſua induſtria (vt prioribus commentarijs de Romanorum victu ſæpe narrauimus) magnam ſibi C
alimenti copiam perpetuò compararet, innatumque ſit viuentibus omnibus (niſi modo aliquo impediantur) vbi nutriendi commoditas datur, ſępius impleri, quam modice refici: neceſſe eſt quicunque ſanus eſſe velit, præſertim ſi vitam ſedentariam degat, aut ſi ſe exerceat, parum & ſegniter admodum moueatur, vt quemadmodum ſingulis diebus ventrem implet, ita ſingulis diebus illum exoneret. Quippe nutrimentum, vbi frugalitas abeſt, & vbi quis magna refectione non eget, non ſolum duplo, ſed triplo, quadruploue minus, quàm acceptum eſt, in noſtram ſubſtantiam permutatur, alioqui vel corpora in immenſum augerentur, vel quotidiana ſubſtantiæ noſtræ reſolutio, cuiuş cauſa nutriri cogimur, adeo ſupra hominis naturam eſſet, vt nec ieiunare ſine vitæ diſpendio, nec biduo, triduoue famem ferre, ſine mortis periculo umquam permitteret: quum tamē & ſine vlla noxa permittat; & ad id quod ſingulis diebus in ventrem ingerimus, ſubinde reijcimus, ſi compararetur, non octuplo, non decuplo, ſed longe minor quàm illud eſſe comperiatur. D E

Iuſtū eſt igitur nō ſimpliciter, nō confuſe proferre, ſicut alimentū quotidie in ventrē aſſumitur, ita quotidie pro eius ingeſti ratione per alui excremēta reijciēdū eſſe: ſed abſolute dicere, multo copioſius, quā forte quis opinaretur, excerni debere. At id nō purgātibus medicamentis, nec eis, quę aquā, ſuccūq; ducūt, ſed his quæ

fæcem,

A fæcem, ſolidumque excrementum leniter euacuant, agendum eſ-
ſe. Illa enim humidum corpori auferentia, corpus extenuant, ali
prohibent, ventrem ſiſtunt, ſenium accelerant, & hominem va-
letudinarium reddunt: hæc, ſtercus male olidum ſingulis diebus
educentia, cerebrum à fœtidis vaporibus liberant, vegetos ſenſus
efficiunt, cruditatē prohibent, corpus vniuerſum à putredine de-
fendunt, vitam producunt, ſanitatem tuentur. Talia ſunt, quæ ven
trem mollire, aut leniter mouere, ducereue dicuntur. Quod aliqui
B obijciunt, minus expelli, quàm aſſumitur, oportere. Si enim plus
eijceretur, corpus ipſum ſuſtineri tamdiu non poſſe, & homines
qui aſtricta aluo ſunt, robuſtiores eſſe, quàm qui fluida: minuique
nutrimenti digeſtionem aſſidua ventris deiectione: facile diſſolui-
tur, ſi contemplentur, nos quoque fateri, vt homo adoleſcat & vi-
geat, minus quidem euacuandum eſſe, quàm id, quod in eius ſub-
ſtantiam permutatur.

Nam huic ſi plus adimeretur, quàm adijcitur, ſemper decreſce
C ret corpus. Simul tamen animaduertant, nō minus excernendum
ex eo eſſe quod in ventrē quidem aſſumitur, ſed ibidem relinqui-
tur, & aliò minime diſtribuitur, quā quod hinc in corpus vniuer-
ſum pro nutrimento naturaliter attrahitur, immo multo magis. Il-
lud enim (vt proxime innuimus) quemadmodum ſæpe nimium
eſt, ita multam & copioſam uacuationem deſiderat. Proinde in-
telligant, aluū quoq; mollem fortaſſe magis debilitare, quàm aſtri
ctam: ſed longe ſalubriorem, atque ſecuriorem eſſe in his, quibus
D venter (vt diximus) quotidie plurimum impletur.

Neque deficere alimenti diſtributionem, ſi quoties & quantū
natura requirit, pro copia ingeſti cibi (vt nos præcipimus) deij-
ciatur. Ad propoſitum reuertamur.

Itaque aluum mollit aucta eſca (nam cibus imminutus, fameſ-
que, ſiccando aſtringūt) auctæ potiones, ſed cibo paulatim & fre-
quenter immixtæ, ita tamen vt nulla ſitis relinquatur. vina ſi bi-
bantur, non meraca, quoniam ſiccant, ſed diluta, mediæque apud
E nos ætatis, non vetera, non annos duos excedentia, atq; hæc exi-
gua, aqua vero quamplurima: ne vrinam ſi multa fuerint cientia,
ventrem aſtringant. inediam non ferre; cibi, potuſque indigum
non eſſe.

Bis die cibum capere; ſiquidem ſemel, attenuat, ſiccat; aluum ſi-
ſtit: prandere autem, & cænare, contraria facit.

Sorbitiones, vtpote ptiſanas, & quaſdam ſuccorum cum rebus
alijs

alijs mixturas,ſiquando in vſu ſint,tenuiores eſſe; quippe craſſiores ad refectionem, roburue magis faciunt, ad alui vero ductionem,minus. A

Id genus eſcae ſumere,quod ex riguis, atque humidis locis venit;quippe quod ex ſiccis & non aquoſis,ſiccat.

Fructus non ſiccos,ſed recentes eſſe:ſicci enim, (quia tenuem ab ortu primo ſuccum, qui aluum lenire ſolet,amittunt,) ſæpius aſtringunt,quam mouent.

Oleoſis vti,niſi ventriculum ſubuertant.Iuſcula valde calentia ſæpe ante cibum ſorbere: præter id enim quod crudum humoré, qui in ventriculo plerumque eſt,ad maturandum feſtinant, vt celerius quoque deorſum deſcendat,efficiunt. B

Ex calidis cibis eſſe, qui humidi ſunt, quippe hi cum calore humectantes,ventrem ſubducunt; ſicci contra, quia humidum, quod in illo eſt,reſiccant,ſiſtunt.

Carnibus veſci pinguibus, & eiſdem vel iurulentis, vel elixis, & animalium ſane iuniorum, vtpote quæ teneriora, humidioraque ſint, atque horum non recenter, ſed aliquanto prius occiſorum, vt flaccidæ fiant, & tenereſcant (fracidæ forſan à Catone dicerentur) quandoquidem recentia omnia,quia viuo propinquiora ſunt, tamquam validiora, difficilius coquuntur, ac excernuntur: aliquandiu vero poſt mortem ſeruata, & veluti macerata, quia propiora putredini ſunt, vt à calore facilius ſuperantur, ita promptius aluo ſubducuntur. C

Debiles,ac leues cibos eſſe,qui licet parum humidi in corpus diffundant,neque illud augeant,neque robur eidem memorabile exhibeant;cito tamen liquantur,& liquati ſecedunt:contra fortes cibos raro accipere. quamuis enim fortiorem, atque incorruptum ſuccum, multumque robur, & augmentum corpori præbentintumeſcunt tamen,vbi in ventrem ingeſti ſunt: & replent, & difficilius,ac tardius concoquuntur,atque ſecedunt. D

Sciréque licet ex his omnibus,quæ paſſim comeduntur,ſuccos ipſos potius,quàm carnes,à quibus ij extracti ſunt,aluum ciere: atque vt in horum præparatione,vbi ſiccare voluerimus,ab his ſuccos detrahere,& pulpa vti conuenit:ita vbi aluum mouere propoſitum eſt, copioſiore ſucco, pulpa pauciore, & ſuccoſiore veſci, oportet. E

Neque negligendum eſt,lenta quædam eiſdem,præſertim vbi, fragilis ſubſtantiæ fuerint,intra tamen modum,aliquando miſcere.Præ-

A re.Præter id enim quod huiuſmodi lenta,quãdo modica ſunt,ab-
ſtergunt;vbi alijs commiſcentur,ea neque facile diuidi,neque in-
uicem ſeiungi permittunt:quinimo ſimul conglutinata,vt primũ
e,uentre ſecedere incipiunt, ita continenter,atque coniunctim re
liqua ſecum ducunt. Sic maluæ, ſic extremæ corporis partes, (vt
etiam Galeno & ſecundo,& tertio de alimentis,placuit) ſui lento
ris cauſa,per aluum facile deijciuntur.

Aluũ quoque ſubducunt alimenta omnia, quæ a calido humi
B do molliuntur,mox loca,quibus adhęrent,abſtergunt,neq;admo
dũ à ſe inuicẽ ſegregantur,ſed magna ex parte cõiuncta ſimul ma-
nẽt,vt hordeaceæ ptiſanæ,quæ quãto magis lẽtæ ſunt,tãto prom-
ptius per aluum (vt etiam Ariſt.probl.ſect.21.innuit) ſubeunt: vt
extremæ animalium partes,vt maluæ,& alia huiuſmodi,quemad-
modum proxime, iuxta Galenum dicebamus:contra, ſtringunt,
quæ calido,& humido cito dureſcunt, vt iocinora, præſertim ex
his,quæ ſeuum habent,maximeque bubula.

C Molliunt item quæ plurima aſſumpta expletionẽ non faciunt,
quippe quæ ſi non alia cauſa, certe ſua copia ſeſe deorſum pre-
munt,ventremque mouent.

Leniunt etiam quæ inter cibos,non,inquam,inter potus ſalſu-
ginoſa ſunt,& quæcunque ex talibus plurimum participant. Salſi
namque potus,propter ſuam tenuitatem, in venas:cibi vero pro-
pter ſuam,ita dixerim,corpulentiam,in inteſtina potiſſimum reci
piuntur:quamobrem illi quum aliò ferantur, & ſiccandi vi pol-
D leant, fęcem arefacientia, ventrem aſtringunt:ij, quoniam in inte-
ſtina magis repunt, ſua ſalſedine ſtimulantes, aluum citant. Hinc
Hippocrates libro, De aere, & aquis:Mentiuntur (inquit) homi-
nes de ſalſis aquis propter imperitiam, in eò quod per aluum ſe-
cedere, eamque ſoluere putantur. Maxime enim contrariæ ſunt
ad alui egeſtionem,ac ſeceſſum. Sunt enim crudæ, & coqui non
poſſunt:quare venter magis ab ipſis aſtringitur, quàm eliquatur.
At ſecundo,De diæta: Salſamenta ſiccant,& attenuant, pleraque
E etiam aluum leniter mouent.ac paulo poſt:Carnes ſale ſeruatę,mi
nus quidem alunt,humido per ſalem priuatæ,attenuant etiam, &
ſiccant,ac ſufficienter aluum mouent.Et libello, περὶ τροφῆς,Salſa ſe-
cedunt,& vrinam cient. Hactenus Hippocrates. Ex quibus perſpi
cuũ eſt,ſalſas potiones aluum aſtringere,ſalſos vero cibos, citare.

Sed ignorare non expedit,domeſtica omnia (vt vniuerſe dixe-
rim) magis quàm agreſtia ſiue animalia, ſiue plantas ad alui ſub-

ductionem conferre;quippe illa humidiora,hæc ſicciora ſunt. A

Præterea ſylueſtria olera quæcunque odorata ſunt, & ore calida ſentiuntur,vrinam potius,quàm aluum ciere: contra verò humida,frigida,inſipida,obtuſe olentia,aluum magis,quàm vrinam ducere,atque olera omnia, quæ naturaliter humidiſſima ſunt, ſi caliditatem ſimul,aut acrimoniam ſibi vendicent,aluum mollire: quia enim ſua vel acrimonia mordicãt,vel caliditate agitant, ſubinde humido, quod cum illorum mole perpetuò iungitur,ventrẽ diluunt, (non enim ab ipſo propter ſuam craſſitiem aliò trahi poſ- B ſunt,vt eundem ſiccent) prompte ſubducuntur.Danda vero ſunt tepidiora, ac flaccidiora: ita namque ad ſeceſſum magis commodant.Sciendumque interim eſt,quæcunque acerba,& auſtera,ſiſtere:acria vero,& odorata,mingi quidem;ſed ſi ore ſicca ſentiantur, omnia ſiccare,& aluum cohibere.

Et alimenta,quæ dum à calido ſiccantur, in flatum vertuntur; & quæ aſtringentis facultatis ſunt,& quæ à calore compacta ſunt, & friabilia, & ſicca; & quæ foris extenuant, intra vero corpus aſ- C ſumpta tumefactionem inducunt, ventrem omnia ſiſtere, minimeque ſubducere.

Quæcunque etiam tum ignem experta, tum cruda ſumuntur, hæc eadem,dum cocta ſunt,ſi calidum ipſum ſiccum adhuc retinent,aluum magis,quàm cruda,firmare.Ab igne enim humidum aufertur,& pingue,ſi quod habent, liquatur; atque conſumitur, In ventrem igitur incidentia,ex illo humidum in ſeipſa trahunt, venarum oſcula ſiccant, & humidi, quod aluum mollire ſolet, D tranſitum impediunt.

Sed ne tum hæc;tum alia ventrẽ coerceant, ita moderari oportet:ſicca quidem madefacere;ſalſa,ne nimis ſiccent,irrigare;& (ita dixerim) elixare;ſed amara, & acria dulcibus, aſtringentia pinguibus temperare. Atque poſt cibum vt quies aluum aſtringit,ita motus,ſoluit;motus,inquam,moderatus, & erecto corpore factus: quo ſolida tum in ventriculo, tum in inteſtinis manentia deorſum ferri aſſueſcant. E

Soluit ſimiliter,inter vigilandum ſtare ſæpius,quàm ſedere: ac id ipſum crebrius,quàm iacere.His quæ vrinam,& ſpeciatim,& valde mouent,niſi hæc in ventre celeriter calefiant,calefacta marceſcant,atque liqueſcant; (ob id enim citum ſeceſſum faciunt) abſtinere:alioquin illis ſuccos ventrem humectantes in renes trahentibus,venter ipſe nimium reſiccatur.Eadem ratione tum à nimio la-

A mio labore,tum à frequenti,nimìoque ſudore ſe temperare, non nimium vigilare: ſiccat enim vigilia, ſed ſatis ſuperque: intra tamen modum,domire,ſomnus namque humectat.

Quum deſidendi voluntas adeſt,& natura monet,non differre, non cohibere.Qui enim differt,naturę conſuetudinem tollit, qui cohibet,flatibus ventrem replet, ſtercora perturbat, inuertitque, ſubinde caput magnopere lædit.

Crebras natationes,balneaſque vitare:humidum enim quo,ad B aluũ molliendã indigemus,conſumunt:id quod carne concidente perſpicitur:aquilonium flatum cauere,auſtrinum hibernũ non fugere:ille enim aluum indurat;hic ventres omnes humectat:non vomere,non ſe frequenter purgare,non crebris clyſteribus, præterquam pinguibus,oleoſiſue,vti.

Deniq; ſicut aluum ſæpius excernere cõſueto, ſi ſe ipſum quouis modo coerceat,interdum illa reſtringitur: contra vero non ſolito ſi ad excretionem ſe ipſum excitet,aliquando mouetur:ſic ad C deiectionem faciendam,vbi quotidie quis ſe impleuerit,ventrem inuitare,huic eidem molliendo magnopere prodeſt: quippe natura toties ad egerendum,repleto corpore ſtimulata,vix fieri poteſt, quin interdum obediat,ſubindę ſæpius egerere aſſueſcat.

Qui ergo mollem aluũ habere appetit,is tum ea, quæ proxime diximus,obſeruet:tũ mane quamprimũ ſurrexit,tãtiſper trullæ,cũ aliquo tamen nixu ſed moderato(nã nimius obeſt) inſideat, dum quarta,quintaue horæ pars prætereat.Si enim diutius immoretur, D natura aliò diuertitur, & reddendi oneris obliuiſcitur:ſin vehemẽter,non autem leuiter innitatur,internæ capitis venæ adeo intumeſcunt,vt aquam ſudoris inſtar,frequenti,magnoque conatu,in cerebri vacua tranſmittere cogantur,& nunc capitis dolori, nunc vertigini,nũc epilepſiæ,nũc deſtillationi,aut podagrę,prout aqua magis,minuſve retinetur,obnoxium hominem reddant. Hic ergo mane poſtquam ſatis dormitum eſt,egerere neque admodum, neque diu contendat,ſed ſenſim,& modico (vt diximus) tempo- E re conetur. Mox vbi domum redit, vt id, quod in matutina deiectione,quæ copioſior eſſe ſolet,relictum eſt,euacuetur, itidẽ paulo ante prandiũ agat.Nec minus ſi forte vetus excrementũ à nouo prandij alimento deorſum cõprimitur,id, quod ex grauitate tũ in lumbis,tum in imo ventre cognoſci poteſt,paulo ante cenã excernere tẽtet.Quinimo ſi quod deinde relinquitur, quod ſimiliter & imo ventri,& lumbis oneri ſit,aliquãto.poſt cenã reijcere nitatur.

Interim ſi adhuc id minus ſuccedat, clyſtere ex oleo, aut ex butyro ad vnc. 10. plus, minuſve (vt infra quoque docebitur) mane, aut veſpere ante cibum, quotidie ſemel aluum, quoad ſponte ſua moueatur, perfundat. A

Hoc modo ſe exercens, ſi non quater, quod optimum, (vt prognoſticorum. 2. Hippocrates innuit) eſſet, ſaltem ter, aut bis ad minimum intra diem & noctem egeret. Id vbi aſſecutus fuerit, omne cibi genus, quo populus vtitur, quoniam in ventre non admodũ immorabitur, ſine vlla noxa experiri poterit: pleuritidas, peripneumonias, ardentes febres, denique morbos omnes, qui ab antiquis acuti vocabantur (vt Hippocrates ait) potiſſimum effugiet, ſecura (quod ad cibum & potũ pertinet) ſanitate fruetur: ſimulq; habitu erit mediocri, corpore vegeto, & colore pro ſua natura probo: nõ enim ſtercoroſis vaporibus caput, & vniuerſum corpus (quod euenit, quando aluus aſtricta eſt) implebitur: neque ſteriorũ colore, qui magna ex parte, aut pallidus, aut flauus eſt, aut puſtulis aliquibus, quæ mordicando ruborē inducũt, cutis inquinabitur. Ade, quod hic, ſenſibus, omnibus pro ætatis ratione perpetuo pollebit: Euacuata enim aluus, ſiue quoniam in caput nihil mittit, ſiue quia ex reliquo corpore, & ex capite in ſe ipſam attrahit, viſus, & auditus potiſſimum expurgantur, hominesque agiles fiunt. B C

Quantum namque plenus venter, caput replet, ſenſuſque omnes confundit, tantum quotidie, ſed moderate inanitus, illud expurgat, hos purificat.

De frumentaceis, & leguminibus. Cap. II. D

HAec quidem generatim dicta ſint: ſed operæpretium eſſe videtur, ſi ſpeciatim quoque ſcribere tentemus, primũ de ſingulis, aut certe de pluribus, quæ aluum mollire ſolent, obiterque de nonnullis, quæ illam aſtringunt: vt animaduerſa facilius euitentur: poſtremo de ordine quem in eorum vſu ſeruare conueniat.

De ptiſanæ cremore. E

INter frumentacea igitur, ptiſanæ cremor ante cibũ aſſumptus, aluum mollit. Hordeum enim à ſucco, qui intra cortices continetur, purgans quid habet; indicio eſt, quia ſi non excorticatũ coxeris, purgabit is ſuccus: ſin decorticatum, magis quidem refrigerabit, ſed aluum ſiſtet.

A

De ptiſana.

SIc forte ptiſana, quam hodie paſſim ex hordeo primum aqua cocto, mox per incerniculum tranſmiſſo cum iure pulli, & ſaccharo cõficiunt, multo minus, quàm opinantur, aluũ lenit. Quod enim maiorem abſtergendi, purgandique vim habet, ab hordeo ſubmouent: quod vero ſiccandi, id accipiunt.

B

De pane ex hordeo.

SIc etiam panis ex pura hordei farina, nõ inquam, ex furfuroſa, quia purgãs illud, partim a molitura abſumitur, partim ab incerniculo ſordes, corticeſque ſeparante diſcutitur, eandem cenſuram ſubire videtur.

Far hordei.

CAeterũ hordeũ ſemifractũ, far hordei vulgus appellat, ſiue aqua ſiue iuſculo aliquo diligẽter coquatur, vt purgãs illud
C tenui cortice nõdũ reiecto adhuc retinet, ita verius, ac propius, quàm proxime ſcripta ptiſana, dictuſq; panis, ventrẽ ſubibit.

De farinis.

ATqui farinæ in lacte datę, propter ſerum, magis per aluum ſecedunt, quàm in aqua.

Verum quæ cum melle, & oleo coquũtur, aut aſſantur, omnes æſtuoſæ ſunt, ructum cient, & non ſecedunt: non ſecedunt
D quidem, quia quum valde nutriant, multum retinentur: ructum cient, vel quoniam in ventriculo diutius immoratę, mox ab interno calore, bullarum inſtar inflatæ, expaſlant, & ſonitum, qui ructus vocatur, edunt; vel quia dum illas ventriculus expellere tentat, quum deorſum non poſſit (diu enim hærent) flatum ſurſum mouet; æſtuoſæ ſunt, quia licet oleum, & mel, ſimul facile miſceantur, non ſimul tamen facile coquuntur: ſed vt altera id, altera illud coctura indiget, ita calidum innatum inter coquendum valde la-
E borare, & æſtuare neceſſarium eſt.

Farinæ item ex toto collatæ, alimentum minus præbent, magis vero per aluum ſecedunt.

Panis ex farina tota.

QVamobrem panis ex farina tota, quamquam ſiccat, magis tamen quàm ex ſyncera per aluum prodit. Ideoque aſtringit, qui

git,qui ex ſimila,& magis ſi ſine fermento eſt;magis etiam ſi vſtus A
eſt:intenditurque vis eius,ſi bis coquitur.

Panis communiter.

QVippe panis (vt vniuerſe dixerim) fermentatus, non durus,non ſiccus,ſed recens, leuis eſt,& ſecedit:non fermentatus autem,ſecedit quidem minus,ſed magis nutrit. Ille leuis eſt,quoniam à fermenti acore humidum, quod ſanè ponderoſum eſt, ad ſuperficiem (vt tumefactio illi contingens oſtendit) effunditur,mox ab igne conſumitur.Secedit autem quoniam B vt ocyus quàm non fermentatus concoquitur,ita citius corrumpitur,atque putreſcit:id quod naturam ad ſe celeriter exonerandum irritat. Adde quod propter fermentum,lentorem moderatum habet,cuius cauſa ventriculum,& inteſtina detergit,& purgat:nō fermentatus autem,quo viſcoſior eſt (inſtar enim collæ ex aqua, & farina lentor eius exiſtit) eo magis adhæret,obſtruit, & aluum cohibet.Sed ſi ille panis, inquam fermentatus, calidus præter conſuetudinem, deuoretur (vt acutorum 2. Hippocrates innuit) tarde deſcendit,& aluum aſtringit. C

Vocata frictella.

TAginitæ placentæ, quę ex triticea farina,multa aqua imbutæ fiunt,ſubinde oleo coquuntur (frictellas vulgo dicunt) craſſi ſucci ſunt,& ventrem cohibent,tum quia nō fermentatæ ſunt,tum quia quæ frixa ſunt (vt Galenus quoque & 2.& 3.de alimentis innuit) ſicciora fiunt,tardę meant, aluumque firmant. D

Amylum.

AMylum ſiue ex tritico,ſiue ex hordeo confectū ſit,quoniā aqua ſæpe mutata,& amoto furfure, atq; cortice,id, quod in his frumentis maiorem purgandi vim habet, euaneſcit; quod vero minimam, remanet: faucium quidem aſperitates lenit,ſiccat,non calefacit,non mollit aluum:ſed(vt Plinius,& Auicenna ſcribunt) aſtringit. E

Far.

FAr quod communiter nunc vocant, an antiquorum far ſit, nondum compertum eſt: Zeæ ſpecies quædam eſſe videtur: ſi ita eſt,vniuerſa ſua facultəte(vt 6. de ſimpl. Galenus dicit) in medio tritici,& hordei erit,aluumquę minime compeſcet.

Milium

A

Milium.

MIlium, parum nutrit, male concoquitur, ventrem ſiſtit, vrinam (vt Dioſc. innuit) citat.

Oryza.

ORyza quod magis ſiſtat, quis ignorat?

De Leguminibus.

B

FAbę (vt vir quidam magni nominis inquit) ventrem ſiſtunt: vt vero Galenus primo de alimentis, eo quod abſtergunt, nõ cũctanter permeant. In hac controuerſia melius eſt eis abſtinere, quàm veſci. Probant aliqui ab his aluum aſtringi, quoniam tota fere earum ſubſtantia, quum bene in ventriculo coquitur, in alimentum aſſumitur: indicio eſſe, qui paſſim, & affatim eiſdem aluntur. Adeo enim carne implentur, vt tamquam obeſi ſæpius vi-
C deantur: ita ſi magna ex parte in alimentum vertuntur, tantum excrementi, quo aluus facile ſubducatur, nequaquam habebũt. Addunt quod non parum inflant: talia vero (vt ſupra narrauimus) ventrem cohibent: inflant enim tum ex communi leguminum omnium natura; quippe quæ fortaſſe quum ſemina ſint, ſpiritu multo pollent, & flatuloſa ſunt, tum maxime quia poſtquam deuoratæ ſunt, vt cibum alium ſuperingeſtum (valde namque ei, quod tangunt, inhærent) à venis trahi non ſinunt, ita ſibi ipſis viã
D præcludunt, corpus replent, inflant, & non ſecedunt.

Piſa.

PIſa, quàm fabæ inflant quidem minus, ſed quo plus excrementi faciunt (non enim magna ſui parte in alimentũ, quẽadmodũ fabæ vertuntur) eò magis per aluũ tranſire viderentur, niſi Galenus obſtaret, qui primo de alimentis, quo minus abſtergentis, quam fabæ habent, eo ſegnius de ventre prodire tradit.

E

Phaſeoli.

PHaſeoli, dolichos aliqui eſſe volunt: minus quàm piſa (vt quibuſdam placet) inflant, ſed magis aluum molliunt, tum maxime, ſi virides in cibo, quemadmodũ æſtate cum oleo, ſale, & aceto ſolemus, mandantur. Quo enim humidiores ſunt, eo facilius ſubducuntur.

Cicer

Cicer.

A

CIcer album cum ſuo videlicet iuſculo, vrinam dulcedine, qua prænditum eſt, cieт ventrem ſalſedine, quam ſibi inſitam habet, ſubducit. Eius enim dulce in iuſculum magis fundi, ſalſum vero cum corporea illius mole magis retineri videtur. Quamobrem illud quia cum re craſſiore eſt, in ventre hæret: & eundem mouet: hoc, quia cum tenuiore iungitur, in venas effunditur, & vrinam proritat. Securius eſt quàm nigrum: id B namque & renes, & exulceratam veſicam, ſua acrimonia lædit.

Lentes.

LEntes ſemel, atque iterum aqua, oleo, & ſale coqui ſolent: primo decocto, aluum ducere, ſecundo aſtringere, traduntur. Sed earum ſubſtantia, poſtquam elixæ ſunt, vtrum aſtringat aluum, aut certe non molliat, quiſque facile experiri poteſt.

C

Lupini.

LVpini (vt vir quidam magni nominis ait) robuſti ſunt, & calidi: verum per præparationem leuiores, ac frigidiores fiunt, & aluo ſecedunt. At Galenus, primo de alimentis, ſubſtantiam illorum duram, ac terreſtrem eſſe, proinde difficulter coqui: ſuccumque craſſum gignere perhibet: additque eoſdem neque ad deiectionem, neque vt aſtringentia ad fluentis ventris cohibitionem accomodos eſſe: ſed tarde deſcendere, & difficulter deijci, D ac pertranſire. Huic, an illi adhærendum ſit, his, qui in locis verſantur, vbi paſſim, & ferè nihil aliud, quàm lupinus manditur, iudicandum relinquo.

De Carnibus. *Cap. III.*

CArnes omnes quum ſiccæ, tum humidæ calefaciunt: quæ ſicci plus habent, hæ calefaciunt ſimul, ac ſiccant: quæ plus humidi, hæ omnes calefaciunt, humectant, & magis, quàm E illæ, ſecedunt. Quamquam enim harum humidum in vniuerſum corpus facile trahitur, in ventre tamen etiam relinquitur, ita vt ventrem ſubinde humectantes, promptius deſcendant. Sed nimium vel elixæ, vel aſſæ, vtræque quum in illis inſitum humidum penè abſumptum ſit, vt ad robur parum conferunt, ita elixæ ad ſeceſſum, quia ſaltem alienum humidum adhuc retinent, commodæ

ſunt

A ſunt;aſſæ vero contrariæ. Verum quę moderatam nanciſcuntur tũ
elixationem, tum aſſationem, hæ & ad robur, & ad ſeceſſum me-
diocriter ſe habent. Crudiores autem ad robur quidem idoneæ
ſunt, ad ſeceſſum vero non item.

Vt enim difficilius coquuntur, ita quoque tardius, quàm opor
teat, deijciuntur. Pingues, æſtuoſæ quidem ſunt, & (vt ante dixi-
mus) aluum mouent.

Carnes vino conditæ, alunt, ſed propter vinum ſiccant, & aluũ
B ſiſtunt: aceto autem, calefaciũt quidem, ſed minus, propter acetũ:
alũt quoq;, ſed aluum, niſi quid mucoſum illis occurrat, aſtringũt.

Salitæ, quoniam humido, propter ſalẽ, priuantur (vt ſupra quo-
que dictum eſt) minus alunt, extenuant, ſiccant, ſed aluum, quia
in ventre reſident, & mordicant, (non enim ſicut aquæ ſalſæ, vt
ante declarauimus) in venas funduntur, mouent.

Bubulę carnes, quia bos, craſſi, multique ſanguinis eſt, ex quo,
tamquam ex maiore mole in multo minorem, hoc eſt, in carnem
C ipſam compreſſo gignuntur, propter craſſum ſimul, & multum,
difficulter coquuntur: propter ipſum vero craſſum, non ſecedunt:
ſed ſi ante maceratæ, friabileſque factæ, mox elixæ comedantur,
nec moleſte coquuntur, nec adeo ægre deijciuntur.

Bubalinæ (vulgo bufalinæ) recentes, præter id, quod ingratæ
ſunt, & ægre coquuntur, non ſolũ ſecedunt, ſed alui fluorẽ mouẽt.

Suillæ vero, quia ſus tenues, & modici ſanguinis venas habet, li-
cet flatum, & elixæ, & aſſæ (vt antiquis aliquibus placet) pariant,
D multum tamen aluo ſecedunt. Ex ſanguine enim exiguo multam
carnem ſus obtinet, contra quàm bos, qui ex multo, craſſoque ſan
guine carnem exiguam, & hanc duram ſortitur.

Illa igitur vt à natura propter leuitatem & raritatem, ſi ad bubu
lam comparetur, facilius euincitur, ita celerius corrumpitur, pu-
treſcitque & ad excretionem proritat.

Eadem fermè ratio carnium apri eſt, præterquam quòd ſiccio-
res ſunt: atque hac de re his, qui vitam agunt ſedentariam, ſecurio
E res, quàm domeſticæ ſuillæ.

Vitulinæ, hœdinæ, agninæ aluo ſecedunt, quia iuniora anima-
lia, carne tenera ſunt, & plus ſanguinis, pluſque humidi, pręter por
cellos, quibus humidi quidẽ plus, ſed ſanguinis minus ineſt, habẽt.

Porcellorũ ſiue ſuccularũ carnes, grauiores ſunt, quàm ſuũ adul
torum. Quum enim ſus & exigui ſanguinis, & valde humidus ſit,
tum maxime eſt, vbi recens ex vtero prodijt; per id igitur tempus,

quia pro corporis ratione non ſolum ad ſuem,ſed ad alia id genus A
animalia comparatus, multo minus ſanguinis habet, quàm vbi
adoleuerit, vt illius caro nimis alba demonſtrat; lóge magis com-
pactum huiuſmodi humidum ſibi vendicat, ita vt magnorum
ſuũ caro, rarior ac leuior: paruulorum vero denſior,& grauior exi
ſtat id quod facile dignoſces,ſi æquam vtriuſque molem accipiés,
diligenter metiaris. Magis enim ponderare porcelli carnem, quá
ſuis perfecti, experieris. Hæc ergo vbi in ventrem ingeſta fuerit,
quia illius humidum propter ſuam denſitatem à venis minus faci B
le trahitur (id quod otioſis,& minime exercitatis potiſſimum vſu
venire ſolet) in ventriculo remanens, primum calefacit, deinde
aluum non mollit,ſed turbat,& morbum, qui χολέρα Græcis dici-
tur,interdum excitat. Ideoque Hippocrates acutorum 4. Porcelli
carnes (inquit) prauæ, præſertim ſubcrudæ, circumque vſtulatę.
(ſic enim contextus apud Caluum fuiſſe videtur. Morbum vero
choleram (ita interpretabor κενώματα licet aliqui χολάδια legant,
quod oſtendit nó ſine mendis locũ hũc eſſe) pariant,& perturbát. C

Leporinæ carnes ſiccæ ſunt, aluum ſiſtunt, & vrinæ citamen-
tum quoddam faciunt.

Capreolinæ vero quominus ſiccæ, magiſque teneræ ſunt, eo fa-
cilius tum coquuntur, tum forte ſubducuntur.

Marium omnium caſtratorum carnes, ad ſui genus feminas có
paratæ, humidiores quidem, quá integrorum, ſunt: ſed vtrum ma
gis ventrem ſubducant, incompertum eſt. Veruecinæ tamen, ſi
verueces in locis ſiccis nutriantur, vt minus humidæ ſunt, ita ma- D
gis ſuauiter olentiſ. in locis riguis, humidiores quidem ſeſe offe-
runt, ſed minus iucundæ ſentiuntur. Ideoq; in Hiſpanijs & in alijs
huiuſmodi terræ plagis, maioris nutrimenti, gratioriſque ſaporis
ſunt. Romæ auté, quia locus humidus eſt, (niſi verueces alibi ante
nutriti, proxime comparentur) minus nutriunt, minuſq; ſapiunt.
Illę igitur ad nutriendum magis, ſed ad aluum molliendam minus
aptæ ſunt. Hæ vero alunt, contra, minus: ſed forte propter humi
dum promptius ſecedunt. E

Volucrũ carnes pręter eas, quę in aquis degũt, quũ omnes ſiccę
ſint, aluũ ſiſtũt: quod multorũ malorũ cauſa diuitibus eſt, qui his
aſſidue, & magis, quàm alijs cibis, veſcũtur. Vbi tamé pluribus die-
bus, quoad friabiles fiát, ſeruantur, quia facile coquũtur, non tarde
deijciuntur. Videtur enim quicquid facile coquitur, id omne cele-
riter tráſmutari. Tale vnũquodq; ſi nó aliter, certe quia putredinẽ
cito ſu-

A cito ſubit, prompte ſecedere: quippe quod vbi putrefactum eſt, acrimonia ſua ventrem mordicat, & ad expellendum irritat. Tales ſunt gallinarum carnes, phaſianorum, perdicum, & huiuſmodi.

Extremæ quadrupedum partes, roſtra, aures, pedes, (vt ex Galeno 3. de alimentis ſupra dicebamus) facile ſubducuntur. Quia enim lentore participant, qui non ita immodicus eſt, vt corpori obnixe figatur, vbi tum ventriculi, tum inteſtinorum ſordes attingunt, mox à calido humido permutantur, in ſeſe inſtar terebinthi B næ, dum aqua calida coquitur, contrahuntur, ſordes ſecum auellunt, particulas, quibus inhærent, abſtergunt: ſubinde natura id quod abſtergitur, quoniam illi moleſtum eſt, magis expellente, dictæ extremitates huic eidem ſimul iunctæ, citius, quàm quis putauerit, per aluum prodeunt.

De cartilaginibus.

CArtilagines iuniorum animalium, præter id, quod aliquibus appetitum excitare ſolent, lentoris quoq; ratione per C aluum nòn ægre ſubeunt.

De cerebro.

COntra, cerebrum, præſertim quadrupedum, his, qui nil appetunt, officere conſueuit: craſſi ſucci eſt, difficulter coquitur, tarde tum per venas, tum per aluum meat. Volucrium vero, tametſi (vt 3. de alimentis Galenus docet) tanto præſtantius eſt quadrupedum cerebro, quanto eſt durius, nihilo tamen D magis ad deiectionem confert.

De oſſium medulla, de corde.

OSſium medulla, vt cerebro ſuauior eſt, ita pinguedine ſua ventrem lenire poteſt. Contra, cor, quia fibroſum, & durum eſt, tarde meat.

De hepate.

E OMnium animalium hepar, quoniã a calido humido denſius, atque ſolidius fit, & a calido noſtro (vt ante narrauimus) ſimiliter afficitur, ægre ſuperatur, & tarde ſecedit: tamen anſeris hepar lacte cum alijs cibis mixto nutriti (vt 3. de alimentis Galenus dicit) non adeo lente deſcendit, ſicut forte quoq; tum gallinæ, tum gallinacei ſuper accenſis carbonibus ita coctum, vt adhuc ſemicruentum, & tenerum exiſtens, ſine vllo negotio in ore liquetur.

De inteſtinis, vuluis, ventribus, & teſtibus. A

INteſtina, vuluę, ventres quò ſicciores, durioreſue ſunt alijs partibus, eò minus facile ſecedunt. Teſtes gallinaceorum, pręcipuę ſeroſo lacte cum alijs mixto nutritorum, etſi boni ſucci, facileſque coctu ſunt, deiectionem tamen (vt 3. de alimentis Galenus ait) nec iuuant, nec morantur.

De ſanguine. B

SAnguis & gallinarum, & gallinaceorum, & ſuum, communiter edi ſolet, leporis quoque a Galeno laudatur: vbi nimis copioſe aſſumitur, aluum aliquibus ducit: ſed quoniam à calido humido ferè ſicut hepar, & craſſior, & durior efficitur, non ille (potius enim aſtringit) ſed nimietas eius mouet.

De lacte, capilacte, butyro, & nuncupata recocta.

LAc quo liquidius (vt Galenus 3. de alimentis docet) magis; C quo autem craſſius, minus aluum ſubducit: quippe quod ſua caſeoſa, ita dicam, ſubſtantia (vt idem ibidem air) aluum ſiſtit, ſeri facultate ducit: proinde caprinum lac magis per aluum ſecedit, ſed bubulum minus: ouillum vero ſiſtit. Quod capilacteum vocant, ſi multæ pinguedinis fuerit, vt ventrem magis mollit, ita caput minus lædit. Butyrum vero ſi abunde ſumatur, modo nauſeam non moueat, quemadmodum oleum, ad aluum leniendam perutile eſt. D

Vocata recocta, faucibus, & ventriculo moleſte affigitur, ægrè concoquitur, caput grauat, aluum non mollit, ſed quo minus recens eſt, eo magis aſtringit.

De caſeo.

CAſeus recens ſine ſale (vt ait Dioſc.) aluum leniter mollit: quia tamē quo magis ab igne coquitur, eo magis cogitur, dubium eſt, ne ab animantis calore (licet hic aliàs nonnul- E la liquet, quæ ignis non poteſt) ne, inquam, idem patiatur, atque potius aſtringat, quàm molliat: præſertim quum ab Hippocrate acutorum 4. (vt ibidem Galenus exponit) crudum, & incoctum edulium vocetur, atque aſtrictionem facere tradatur. quippe reiecto ſero, quod mouet, in ſolidam ſubſtantiam à coagulo compingitur. Verum ſi quando mollit, id non per ſe, ſed alijs probe com-

mixtus,

A mixtus,illorum contractam ſiccitate fragilitatem,lentore ſuo con iungens præſtat.Itaque ille(vt arbitror) minus errabit,qui caſeum non extrema menſa (vt pleriq; nunc faciunt) ſed inter cibos, vel ante permixtũ,vel ſedulo permiſcens, non affatim tamen,ſed parce comederit.Non enim vbi poſtremo deuoratur, ante aſſumpta nutrimenta ſubit, etſi ſubinde aliquid bibatur; nam neque à vino,neque ab aqua tunc adeo liquari poteſt, vt cibum vniuerſum penetret, & eidem ſeſe commiſceat, quum in ſuperficie hæreat,
B cruduſque perſiſtat:vt ructus deinde ſequentes,& ſputa quamplurima è ventriculo ſurſum ad os aſcendentia monſtrant.

De ouis.

OVa robuſtum quid habent,alunt,inflant,ſorbilia (vt de alimentis 3. Galenus docet) facilius quàm alio modo cocta ſubducuntur.Dura vero aſtringunt, magiſque ſi aſſa ſunt. Cæterum robuſtum quid habent,quoniam ex illis animal genera
C tur;alunt,quia idem illis nutritur:inflant, quoniam ex parua mole in magnam (quod vbi rudicula agitantur, perſpicuum fit) diffunduntur. Aluum ſubducunt, non in omnibus quidem,ſed in aliquibus, in his videlicet, in quibus aut perperam corrumpuntur, aut non bene coquuntur. quippe in illis ita corrupta putreſcunt,putrefacta mordicant, & ad egerendum excitant; in his lentorem, qui, vbi moderatus fuerit (quemadmodum ſupra de maluis,& animalium pedibus ex Galeno dicebamus) aluo mol-
D liendæ conducit, retinent. Alioqui ſi bene concoquantur, magis quidem nutriunt, verum ſæpe vitelli ferè ſolideſcunt, ſæpe albumina quaſi dura fiunt, & lentorem illum, cuius cauſa mouent, amittunt.

De piſcibus. Cap. IIII.

PIſces aſſi magis nutriunt,ſed difficilius (vt Xenocrates dicebat) tranſeunt:elixi minus nutriunt,ſed facilius deijciuntur.
E Ideoq; Dioſc.Recentium piſcium eſculentum ius (inquit) per ſe pariter,& cum vino ſumptum,ventrem ducit. Coquuntur autem in aqua ſimpliciter,additis tantum anetho,ſale,& oleo.

Piſces,qui prompte putreſcunt, vt acrimoniam, quæ ventrem irritat, propter putredinem celerius acquirunt, ita citius per aluum prodeunt.

Saliti,quamquam ſiccant ſimul,& attenuant, plerique tamen humidi non

midi non admodum expertes,ſale irritante,aluũ leniter mouent. A
Piſcium item partes tum caput,tum venter,quia humidiores ſunt, facilius quàm dorſum,& cauda,ſecedunt.

Polypi,ſepiæ,& huiuſmodi,neque leues,vt videntur,ſunt;neq; per aluum ſecedunt.Quamobrem oculos comeſti grauant.Iuſcula tamen horum,quia modicum lentorem habent, aluum mouent.

Cõchylia quoque,puta pinæ,purpuræ,patellæ,buccinę,oſtrea, ipſa quidem ſicca ſunt,ſed ipſorum ſucci ventrem ducunt. Magis vero mytuli; & pectines, ac tellinæ id efficiunt, & maxime tum B
vrticæ,tum cartilaginoſi generis piſces alij.

Erinaceorum autem oua nuncupata, & locuſtarum humidũ, & muſculi,& cancri, præſertim fluuiatilis iura per aluum meant ſimul,& vrinam cient.

Cæterum Galenus omnibus, quibus tegumentum teſtæ, aut lapidi ſimile,commune eſſe,3.de alimentis tradit,vt ſalſum in carne ſuccum,qui aluum pro quantitatis,& qualitatis ratione, magis,minuſve ſubducit,contineant.Oſtrea vero quum inter alia te- C
ſtacea carnem molliſſimam habeant,paruæ autem hiatulæ, vertebræ,vngues,purpurę,buccinæ,omniaque huiuſmodi duram;non ab re oſtrea quidem aluum valentius ſubducere, corpus autem imbecillius nutrire, ac duriora imbecillius quidem concoqui; ſed firmioris nutrimenti eſſe.

Aſtacos vero,paguros,cancros,locuſtas,carides,gammaros, ac id genus alia, tenui teſta concluſa (quæ cruſtata vocantur,& duritie teſtaceis ſimilia) minus quidem quam teſtacea ſalſi humoris ha- D
bere, proinde illorum carnem,vt oſtreorum quum præcocta ſuccum ſalſum in aqua depoſuerint, aluum ſiſtere: iuſculum vero aluum lenire,quippe ſalſus iſte ſuccus, quando lentori iunctus eſt, aluo magis ſecedit,alioqui tenuiore ſui parte, vrinam ciet.

Neque ſilentio prætereundum eſt,limacum carnem,duram,& concoctu difficilem eſſe, (vt 3. de alimentis Galenus docet) eius vero ſuccum ſubducere ventrem:icirco quoſdam oleo,garo, vinoque ipſas condientes,eo iuſculo ad aluum deijciendam vti. E

Teſtudinum quoque carnes, licet has inter nutrimenta Galenus commemoraſſe non videatur; quia tamen tegmentum teſtæ, lapidique ſimile habent,rationis ſimilitudine præduras eſſe,difficulterque coqui.Iuſcula vero illarum,quia non ſine quodam lentore ſunt,aluo paſſim excerni,ita non earum carnes, ſed iura ventri molliendo prodeſſe.Cæterum hoc loco admonendi ſumus (id

quod &

A quod & ſanis, & ægris maxime conducit: ne debilibus, & ventri-
culo imbecillis ſiue limacum, ſiue teſtudinum, ſiue aliorum huiuſ
modi carnes exhibeamus; quippe quæ ab his cõfici ſine graui no-
xa non poſſunt. Medici enim qui quotidie ſecus faciunt, & phthi-
ſicis, & hecticis inſtaurandi (vt dicunt) cauſa præbent: quia Gale-
nũ 3. de alimentis. de animalibus, quibus teſta, pro cute eſt, loquen
tem, non recte intelligunt, miſeros ægros magnopere lædũt. Eius
verba ſunt: Huiuſmodi carnes ſæpe his exhibemus, quibus cibi in
B ventriculo, ob prauos ſuccos, corrumpuntur; ſiue ex iecore in eũ
cõfluant, ſiue in ipſius tunicis cõtineantur. Illi ergo, quod ad phthi
ſicos attinet, videntes putria, marcidaque ſputamina, tales carnes
porrigunt, quum tamen illa non è ventriculo, ſed è thorace pro-
deant. Hecticis vero tribuunt, ſimilitudine rationis falſæ decepti:
quia enim quoſdam extenuatos, ſed ventriculo robuſtos, inſigni-
ter iuuant (quales ſunt viri quidam flaui, præcalidi, iracũdi, macri,
nidoroſos ructus ſæpe reddentes, in quorum ventre leues cibi pu-
C treſcunt, graues bene coquuntur) Sic deinde cenſent hecticis, &
penè conſumptis pariter prodeſſe. Sed valde admodum hallucinã-
tur, illi quidem, quia putres ſuccos, qui in thorace ſunt, in ventri-
culo eſſe putant: hi vero, quoniam ventriculo imbecillos, ac ſi ro
buſti ſint, curare ſtudent.

Neque Dioſcoridem obijciant, quippe qui cancros fluuiatiles,
quos inter cruſtata numerant, phthiſicis opitulari ſcripſerit.

Phthiſici namque (vt linguæ Græcæ peritis notum eſt) non ſolũ
D ij vocantur, qui exulcerato pulmone tabeſcunt, ſed etiam ij, qui
alia de cauſa conſumuntur. Quocirca prædictus author non his,
qui ex pulmonis vlcere extenuati, & ventriculo imbecilli ſunt, ſed
alijs, qui aliter, & forte ijs, quos ex Galeno proxime recenſuimus,
cancros exhibet. Sed hæc obiter.

De radicibus. *Cap. V.*

Allium propter ſui ſpiritus vehementiam, atque amplifica
E tionem, primum inflat: deinde quia valde calidum eſt, in-
exiſtentem diſſipat flatum, ſed tum per veſicam, tum per
aluum facile meat. Vtrumque poteſt, quia vim non leuem habet
propter ſuum quidem in eius corpore, lentorem (quem licet vir
quidam magni nominis neget, experientia tamen probat) ducen
di aluum: propter ſuam vero acrimoniam ſucco magis inhæren-
tem, mouendi vrinam. Ideoque his, qui eodem quotidie veſcun-

tur,corpus hac,atque illac aſſidue ſimul , ac multum , non autem A parum , ſicut aſparagi , & id genus alia faciunt,expurgans, oculorum aciem hebetat.

Porrum,quoniam ſimiles quodammodo facultates ſortitur, & acrimoniam,quæ partim cum eius ſucco,partim cum eius corpore in ventre relinquitur , adhuc retinet, non minus fere, quàm allium,& mingitur, & ſecedit. Præſtat autem coctum eſſe ; alioqui crudum,æſtuoſum eſt;tametſi Philotimus opinatur,crudum facilius concoqui, vtpote quod magis tenerum exiſtens , in ore melius conficiatur. B

Cepe nullum ferè nutrimentum corpori affert:licet enim calefaciat,ſuo tamen ſucco,quum hic multus,& acris, & pungens ſit, liquat magis, quàm adhæreſcit, vt penè corpus nõ alat , ſed ſiccet. Id habet boni , quod appetitum aliquibus excitat , & quum in ventre fuerit , ſua acrimonia naturam irritans , aluo ſecedit.

Radicula (ῥαφανίδα Græci vocant) ante alios cibos (vt de alimentis ſecundo Galenus innuit)alui deijciendæ gratia manditur. C Dioſcorides contra:Bonam (inquit) facit aluum,ſed oportet à cibo eam ſumere;ſic magis digeſtioni conferentẽ. Præſumpta enim cibum in ſtomacho ſupra ſe ſuſpendit.idẽ Auicenna teſtatur. Vter magis recte ſentiat , non niſi experientia cognoſci poteſt. Ratio enim id potiſſimum dictat, videlicet ſi aluum mouet,nõ qua mollit,ſed qua grauat, aut turbat,(quemadmodum pleraque medicamenta,& corrupti in ventriculo cibi purgare ſolent) mouere.

Neque oportet ignorare,fœniculi ſylueſtris,quod prę magnitudine hippomarathrum nuncupant,radicem,& ſemen, pluſquam domeſtici,deſiccandi vim obtinere,quo circa (vt Galenus ait)ventrem quoque eo nomine ſiſtere videri. D

Rapum,ęſtuoſum eſt,corpus turbat, humectat, vrinam nunc facile,nunc iniucunde mouet,aluum(vt de alimentis 2.Galenus docet) nec mouet,nec ſiſtit.Aeſtuoſum eſt,quoniam ſucco tum acri, tum dulci conſtat,illo quidem in cortice,hoc autem in pulpa.Natura igitur noſtra , quæ calido ad agendum vtitur , dum alterum, E quoniam amicum eſt , attrahere,alterum, quoniam ei aduerſatur, expellere nititur,vt in cõtraria ſimul verti,laborareque cogitur,ita eius calidum non leuiter commoueri,& æſtuare neceſſe eſt. Corpus turbat, quoniam inflat , & ægre concoquitur.Humectat,tum quia ſuccoſum eſt,tum quia ſi eo veſcatur animal, celeriter, valdeque pingueſcit.Exemplo ſunt boues,qui dum eodem nutriuntur, veloci-

A velociter obeſi fiunt. Vrinam citat, ſucci dulcedine, iniucunde tamen interdum id facit, ſi cum cortice, qui acris, atque ob id infeſtantis humoris eſt, comedatur.

Aluum non mouet, quia maiore eius ſucci parte in corporis molem conuertitur, quàm in ventre relinquatur.

Nõ ſiſtit, quoniã extracto ſucco, adhuc tamen craſſa illius ſubſtantia in inteſtinis ſine aliquo humido ferè numquam remanet.

B

De herbis. Cap. VI.

APio ſatiuo, quod noſtrum petroſelinum eſſe volunt, aluũ compeſcere Dioſc. tribuit. Eius tamen radices, quoniam maiori copia, quàm folia comeduntur, & ſimul (vt Galenus innuit) abſtergunt, ventri deijciendo ineptæ non ſunt.

Betæ ſuccus (vt de alimentis 2. Galenus monet) aluum mouet; folia, ſecundum quoſdam, ſiſtunt: radices potius molliunt. Beta quidẽ alba (vt Dioſc. & Galenus dicunt) lenit, nigra autẽ aſtringit.

C Blitum vero, Dioſcoride auctore, nullas alias medicas habet vires, quàm quod bonam facit aluum.

Cunctarum quoque rumicum (lapathi voce comprehenduntur) decoctum olus, eodem ſcribente, aluum mollit.

Malua facile ſubducitur, non modo propter humidum, ſed etiam (vt 2. de alimentis Galenus ait) propter lentorem: vtriuſque enim particeps eſt.

Lactuca (vt idem ibidem aſſerit) ventrem nec ſiſtit, nec proritat,
D vt quæ nihil habeat neque auſteri, neque acerbi, à quibus in vniuerſum venter ſiſtitur: quemadmodũ à ſalſis, & acribus, & omnino ab his, quę vim quandam habent deterſoriam, ad excretionẽ incitatur, quorum etiam nihil lactucæ ineſt. Sed (vt Græcus quidam auctor ſcribit) ventrem modice incitat: vt autẽ Dioſc. mollit.

Portulaca (vt Dioſc. voluit) aſtringendi quidẽ facultatem habet; ſed paluſtris, ſi iãdiu lecta ſeruetur, quũ uieta ſit, lentore ſuo ventrẽ (quẽadmodũ Galenus de maluis 2. de alimentis, dicebat) ſubducit.

E Nec atriplex, nec blitum, de quo paulo ante locuti ſumus, (vt Polybus, aut ſi quis alter antiquiſſimus opinatur) aluum mollit: Galenus tamen, de alimentis 2. ad facilem deiectionẽ quodam modo propẽſa eſſe tradit, & potiſſimum ſi cũ humido lubricũ quiddam habeant: propenſionem tamen, ac momentũ peſſum habere non forte, ſed exiguum, propterea quod nulla qualitas ipſis inſit acris, aut nitroſa, quæ ventrem ad excernendum excitet.

Atriplex etiam non minus, quàm blitum, Dioſcoridi, (quemadmodum proxime ſcripſimus) aluum ducit; quinimmo ſi nimium ſumatur, vomitum ciet. A

Lupulus, quem multi lupum ſalictarium vocant, & ſpinachia, quæ aliqui inter atriplices numerant, (vt apud pleroſque in confeſſo eſt) facile ſecedunt.

Ocymum, vbi ſiccum fuerit, calefacit, & aluum firmat, viride autē contra, nō calefacit, ſed ventrem (vt Dioſc. dicit) emollit: forte quia ſuperfluum, (vt Galenus arbitratur) tunc humidū habet. B

Vrtica ventrem (vt 6. de ſimpl. Galenus) modice ſubducit, ipſa dumtaxat abſterſione, ac veluti titillatione, non purgatione.

Braſſica quidem calefacit, ſed leuiter elixa ſecedit, billioſaque (vt quidam exiſtimant) ducit: contra vero, percocta ſiſtit. Iuſque eius, vbi mediocriter cocta, non autem bis cocta eſt, quia in illud, purgandi facultas effunditur, non minus quam lentis primum decoctum, ventrem ſoluit.

Calamintha calefacit, ſed aluum, quoniam abſtergit, ſubducit. C

Pulegium quoque calefacit, & inteſtina mouet, ac nigrám bilem (vt Dioſc. perhibet) per inferna trahit.

Tale quinetiam Origanum eſt. Calefacit enim, & billioſa citat.

Et Tymbra, ſatureiam vocant, origano, niſi cum Dioſc. thymo dixeris, ſimilia efficit.

Atqui Thymum, calidum eſt, & per vrinæ vias, & per inteſtina meat, ac pituitoſa mouet.

Hyſſopum, in eo, quod calidum eſt, & pituitam, craſſumq; ſuccum è ventre ducit; Thymo non admodum diſſimile videtur. D

Capparis adhuc viridis (vt 2. de alimentis Galenus ait) priuſquam ſaliatur, plus habet alimenti: ex ſalitura autem amittit quāplurimum: omnique alimento, niſi ſal eluatur, prorſus quidem deſtituitur: aluum tamē ſubducit. Ideo Dioſc. Capparis ſtomacho inquit, noxius eſt; elixus tamen in cibo accomodatior, quàm crudus eſt, aluum turbat.

Sinapi, ſiue ſemen, ſiue coliculum intelligas, calidum eſt, & aluo ſecedit, quod forte fit, quoniam in inteſtina incidens, vt adhuc acri facultate, quæ illi inſita eſt, conſtat; ita ſimul ſtimulat, & ad excernendum irritat; ſed vrinæ commodum non eſt. Quemadmodum enim ore ſumptum, nares ſtatim ferè pungit, & illic ſuccum aliquem liquat, ita in venas penetrans, acrimonia ſua humidum, quod reperit, diffundens, & vrinæ vaſa ſtimulans, E

vrinam

A vrinam reddi quidem,ſed cum aliqua moleſtia cogit.

Huius ſimilis (vt quidam putant) eruca eſt,proinde haud recte iudicant, qui Dioſcoridem, quod ab eo εὐκοίλιος,hoc eſt,bonam faciens aluum,eruca vocetur,accuſant.

Coriandri herba,quibus ingrata non eſt, (nam pleriſque adeo moleſta eſſe ſolet,vt eidem,tamquam veneno,remedia, Galeno 2. de antidotis referente, Aſclepiades apparatit) ſiue cruda,ſiue cocta mandatur,aluum ſua forſan iniucunda facultate perturbans,emol B lit,ſemen vero (vt Galenus cenſet) calidum eſt, ructum acidum ſedat, ſomnum conciliat, ſi poſtremum edatur: ſed aluum ſiſtit quemadmodum,& aniſum,vt Dioſc.docet.

Atque vt lapathi folia,(ſicut ante diximus) ventrem molliunt, ita ſemen (vt de theriaca ad Piſonem, & 7. de ſimpl. Galenus affirmat) aſtringit.

Interim quod mercurialis vtraque olerum modo in cibo ſumpta,ventrem ſoluat,quia cunctis notum eſt,dicere nō oportet; ſed C vbi aquam affatim, non autem ſtercoroſa excrementa mouerit, quiſque animaduertat,quod huius cauſa,quãto copioſius in præſens deſederit,tanto magis ſequẽtibus diebus ſibi ventrem aſtringi,quo pacto in numerum eorum, quæ ventrem molliunt, aſcribi non poteſt.

Neminem vero latere debet,rutam,ſi ante aſſumpta ſit,lethali bus venenis poſt acceptis (vt omnes credunt) aduerſari:aluum tamen (vt Dioſc.aſſerit) aſtringere.

D Et anethum,calidum eſſe, & ſternutamentum naribus appoſitum ſedare,ſed ventrem (vt idem affirmat) cohibere.

Roſmarinum,quæ libanotis coronaria dicitur,calefacere,attenuare, abſtergere,flatum diſcutere, bonum halitus odorem reddere,vrinam ciere,condiendis cibis conferre, ſed aluum firmare.

Vocati maceronis folia,ſmyrnium aliqui eſſe putant, inter ſalgama,eodem auctore condiri,ſed ſimiliter ſiſtere.

Mentã ſatiuã calefaciendi,ſiccandi,& aſtringendi vires habere.

E Saluiã,ſiccam eſſe,aluũ nõ mollire,ſed aliquantum cõpingere.

Sonchum (cicerbitam aſperam dicunt) vt modice refrigerat, ita ventrem mediocriter coercere.

Intybum,hoc eſt,cichorium ſiue agreſte,ſiue ſatiuum,vtrumq; ſtomacho accõmodatum eſſe,refrigerare,aſtringere,ſed aluum, ſi elixum ſit,quoniam omnem fere amaritudinem,quæ inteſtina irritat,exuit,firmare.

Condrillam, quæ cichoraceorum quoque ſpecies quædam eſt, non minus poſſe. A

Denique vocatam entybiam quanto albior, quia minus amara eſt, tanto magis deiectioni ineptam eſſe.

De ſurculis, & aſparagis.

QVidam appetente vere, tenellos vtriuſque bryoniæ, ideſt vitis tū albę, tū nigrę ſurculos mandūt. Galenus 6. de ſimpl. Prima quidem germina vitis albæ, inquit, ab omnibus B pro more edi, vere ſolent, vtpote edulium ſtomacho propter aſtrictionem acceptum, ſed & ſubamaram, & modice acrem aſtrictionē poſſident, quare & vrinam modice ciēt: aluum ab his molliri non ſcribit. Aliter Dioſc. libro enim quarto: Comedūtur, (inquit) in prima germinatione elixi bryoniæ, (quæ vitis alba dicitur) aſparagi, aluum, & vrinam cient. Alteri, quæ vitis nigra, & à Romanis vua taminia nuncupatur, id quidem non tribuit, ſed huius, hoc eſt vitis nigræ caules, dicit in prima germinatione olerum modo in C vſu ſunt, menſes & vrinam trahentes. Cæterum ſurculi, & aſparagi recentes omnes, interea dum lentorē quendā præſeferunt (quemadmodum ſupra diximus) facile poſſunt aluum ſubducere, quibus ſi qualitas aliqua vel acris, vel amara iuncta ſit, quæ tamen eos edi permittat, tanto magis ſubducent, quanto ipſa qualitas pro alimenti ratione fuerit vehementior.

Aſparagi apud nos priuatim dicti, vbi tenerrimi ſunt, & celerrime coquuntur, non ſolum vrinam mouent, ſed aluum quoque leniunt: alioqui duriores, aut nimis excocti, potius aſtringunt. Hoc D fortaſſe modo Hippocrates, aut ſi quis alius auctor eſt, 2. de diæta loquebatur, dicens: Aſparagus, ſiccus eſt, & aluum ſiſtit.

Illo autem Dioſcorides, quando ſecundo libro ſcribit, molliunt aluum, & vrinam cient, breui coctura elixi & in cibo ſumpti aſparagorum coliculi.

De fructibus, ſed præcipue horarijs. *Cap. VII.* E

HOrarij fructus à natura noſtra non facile ſuperantur, vtpote qui ſæpe citius in ventre corrumpuntur, quàm in alimentum nobis commodum conuertantur. Quamobrem alimenti vtilis cauſa, illis veſci, tutum non eſt; ſed ſi quis vti velit, cum cibis miſcens, ne prompte putreſcant, prohibebit. Si ergo per ſe ſoli abſq; aliorum eſculentorum mixtura comedantur, aluum,

A quia magis putreſcunt, magis ducunt: cum pane autem, vel cum
alijs cibis deuorati, quia eorum ad putreſcendum facilitas tempe-
ratur, minus quidem mouent: ſed quanto minus id præſtant, tanto
ſecuriores, ſi forſan in ventre diutius retineantur, ſunt. Sed de hac
re infra diligentius, vbi videlicet vtrum ante cibum mandi de-
beant, diſſeretur.

Fructus item omnes promptius ſubducuntur, ſi non immatu-
ri, non paſſi, non rore priuati: ſed maturi, recentes & roſcidi co-
B medantur. Maturitas enim in pleriſque nunquam ſine dulcedine
eſt. Hæc ergo quando à fructuum & maturitate, & mole penitus
ſeparari non poteſt, in ventre cum illis adhuc remanens, ad illum
leniendum conducit: ros vero, ſæpe dulcis eſt, & ſubiecti, cui ad-
hæret, facultatem acquirere conſueuit. Quod ſi mouendi vi pol-
let, illius vires ſuum quoque humidum ei adijciens auget.

Ceraſa, quædam dulcia, quædam auſtera, quædam acida repe-
riuntur. Dulcia (vt 7. de ſimp. Galenus monet) magis quæ in inte-
C ſtinis ſunt, ſubducũt, ſed minus grata ſtomacho ſunt: cõtra, auſtera.

Verum acida, ventriculis, in quibus pituita, vel aliud huiuſmo-
di excrementum redundat, apta ſunt: ſiquidem auſteris magis de-
ſiccant, & nonnihil etiam incidunt: quo nomine interdum mol-
lire poſſunt; alioqui aſtringunt.

Mora, matura quidem, ſtomacho amica non ſunt, humectant,
facile corrumpuntur, quamobrem forte calefaciunt, aluum mol-
liunt: immatura vero, & præcipue quum aliquantum aruerint,
D non parum aſtringunt.

Rubi fructus (vt ait Dioſc.) in media maturitate in cibo ſum-
ptus aluum ſiſtit. Ideoque ſi plus iuſto comedatur, capitis dolo-
rem inducit.

Fraga traduntur, ſtomacho calidiori amica eſſe, refrigerare, hu-
mectare, ſitim ſedare, aluum mollire.

Armenica, quæ & præcoqua Latinis, & Græcis βαείκοκκα dicun-
tur, vt non ægre putreſcunt, ita ventrem difficulter non lubricant.
E Perſica ſtomacho accommodata ſunt: matura bonam faciunt
aluum: acerba ſtringunt: ſiccata maiores aſtringendi vires habent.

Pruna dulcia, omnia aluum cient: Damaſcena, quo minus dul-
cia ſunt, eo magis, vbi ſiccata fuerint, (vt Dioſc. docet, etſi Galenus
de hac opinione illum redarguit) aluum ſiſtunt.

Pepones, ruentium in venerem deſideria infrenare, & genitu-
ram imminuere, traduntur. Flatuoſi ſunt, forte quia ſubſtantia
friabili,

friabili, magis quàm lenta, conſtant: ideoque eos cum pane, aut alijs id genus, quæ lentorem quendam habent, eſſe expedit, per veſicam, & per aluum facile prodeunt: ſemen, vrinam, magis mouet, abſtergit, & ſiccat. A

Vuæ omnes, præſertim recētes, quoniam in ventriculo, quemadmodũ in torculari, vbi fractæ manent, feruere ſolēt, calidæ ſunt: ſed maturæ, magis, quàm præmaturæ; & dulces, quàm aliæ. Ventrē quoq; omnes, quum in eo (vt diximus) bulliant, & muſteæ ſimul ſint, ducunt. Magis vero albæ, quia minus terreni habent, quàm nigræ; ac magis dulces, quam non dulces; & valde maturæ, quam eæ, quæ parum. B

Quæ item ad ſummam maturitatem deuenerunt, paſſæ quidem, quia ferè omnes valde dulceſcunt, aluo ſecedunt, ſed æſtuoſæ ſunt.

Vua immatura, & acerba, ventrem aſtringit: eadem cocta, quia dulceſcit, ſi aluum non leuat, certe non ſiſtit. Ea uero, quæ vua ſpina nuncupatur, interea dum cruda manditur, quod aluum firmet, apud omnes fere in confeſſo eſt: ſed cocta, vtrum id præſtet, nondum ſatis compertum eſt. C

Ficus virides, humectant, calefaciunt, & aluũ leuant: humectāt, quoniã humoris plenæ ſunt; calefaciunt, propter ſuccũ lacteũ, qui eis inteſtinus eſt: ob id quanto citius ex arbore leguntur, (quoniã lactei ſucci plus habent) deteriores ſunt: quæ autē tardius, eo meliores: aluum leuant, propter dulce, quod cum lacteo ſucco poſſident. At ſiccæ nihil quidem minus ſecedunt, ſed æſtuoſæ ſunt. D

Cucurbita frigefacit, humectat, & aluum (vt tum Dioſc. tum Galenus innuit) mouet. Verum ſi quis eam in acetarium aſſumere voluerit (vt Antyllo videtur) nouellam eligat, totã nō ante abradat, quàm aqua coquat, ne dum coquitur, aqua impleatur. Sed vbi elixa fuerit, tum abradat, mox cum ſale, oleo, & aceto comedat.

Melangiana, aliquibus malizania (vt quidam Græcus auctor ſcribit) melancholica ſunt, crebrius comeſta pallorem inducunt, ſed oleo incocta (vt Auicenna aſſerit) ſoluunt: aceto autem ſtringunt. E

Pyra æſtiua, matura, recentia, humectant: & quia facile putreſcunt, calefaciunt, atque aluum molliunt. Sicca ſiſtunt: hyberna vero valde matura, molliunt: cruda, hoc eſt, immatura, ſtringunt.

Mala dulcia non ſuccoſa, vt difficulter coquuntur, ita per aluũ ægre ſecedunt: ſuccoſa, & matura deijciunt aluũ: acida, & matura quum ſuccum craſſum (vt de alimentis 2. Galenus docet) in ventre in-

tre in-

A tre inuenerint,ipſum incidunt,ac deorſum ſubducunt: ob idque
deiectiones humectant:quod ſi ventrem purũ inuenerint, ipſum
magis ſiſtunt. Cætera vel auſtera, vel acerba, quamquam aſtringunt,
ſi tamen cum aliquo ſucco elixa dulceſcant, non tarde admodum
ſubducuntur.

Mali punici dulcis acini cum ſuis nucleis cómeſti, ſtringunt,
ſuccus recens,quoniam facile corrumpitur,& in ventre feruet, æſtuoſum
quid habet:ſed aluum,nam in ventre dum feruet,retine-
B tur,nec in venas pergit,emollit.

Cydonia quoad ſtyptica ſentiuntur (vix enim vbi maturiora,
dulcioraque facta ſunt, vt quibuſdam placet, talia eſſe inuenies)
aluo non ſecedunt.

Sorba vero,meſpila,corna,& quæcunque alia id genus interea
dum acerba ſunt,aluum ſiſtunt: à cibo autem ſumpta quòd ducát
(vt magni nominis viri arbitrantur) nec experientia, nec ratione
adhuc ſatis compertum eſt:experientia quidem,quoniam in mul-
C tis non mouent:ratione vero,quoniam etſi ventriculi os ſtringũt,
non tamen ſequitur vt ſubinde totum uentriculum, & inteſtina
tamquam manu comprimente;vt ab his,qui ita putant, ſignificatur,ſtringant,
tum quia exemplum quod à lucanicis aſſumunt,ventriculo
cum inteſtinis nequaquam reſpondet.Non enim ſimiliter
& horum, & illarum figura eſt:quippe illarum quidem longa, &
anguſta,ſed æqualis fere.Horũ vero & varia,& inæqualis, alibi anguſta,
alibi perampla.Tum quia ſi ita contingeret, nó modo cibũ
D præſentem,ſed quidquid in his membris exiſtit, compreſſis eorũ
tunicis,penitus expellerent,tum dolorem non leuem, his videlicet,
quæ comprimuntur,vi quadam ante contractis,illis vero,quę
compreſſa recipiunt, uehementer extenſis interdum excitarent.
Qui hoc,an illud verum ſit,noſſe voluerit,non ante ſumptis aluũ
mouentibus (vt quidam faciunt) ſed alijs, quæ talia non ſunt, id
ipſum experiatur:nę forte id,quod pręingeſti alimenti,quod aluũ
ducit,cauſa,contingit,aſtringẽtibus poſt acceptis, falſo tribuatur.

E Citrium,neque Theophraſti ætate, neque item paulo poſt,comeſtum
fuiſſe tradunt.Per ſe ſolũ nullo alio cibo,vel ante,vel poſt
accepto,comedẽdum eſſe iubet Auicenna. Si tamen copioſe deuoretur,
oculis non parum obeſt. Eius ſemen in vino potum (vt
Dioſc.monet) veneno aduerſatur,& aluum deijcit; acida pars ſiccat,
& ventrem (ſicut Auicenna quoque ſcribit) retinet.

Aurancium,eiuſdem cum citrio ſpeciei eſſe,pleriq; opinantur.

Ex citrij

Ex citrij enim in malum punicam inſitione, aut contra, natum eſſe volunt. Id ſi verum eſt, tantum à citrio differet, quantum ad Punicum malum accedit. A

Palmæ fructus nullus eſt (vt 2. de alimentis, Galenus norat) qui non dulcedinem quandam, & aſtrictionem habeat. Si largius eda tur, difficilis concoctu eſt; capiti dolorem infert: auſterus, quod, aluum coerceat, notum eſt: dulcis, quod molliat, nondum conſtat.

Siliquæ, Græcis, κεράτια, ſtomacho inutiles: in cibo recentes (vt Dioſc. voluit) aluum ſoluunt: contra ſiccatæ ſiſtunt. B

Oliuæ, quas κολυμβάδας, Græci appellant, cum ſuo ſalſamento an te cibum aſſumptæ (vt 2. de alimentis, Galenus innuit) ventrem ſubducunt; ſine ſalſamento, vt plurimum aſtringunt.

Nuces iuglandes virides, melle, aut ſapa, aut ſacchato cōdiri ſolent: hæ vbi lentorem quendam acquiſiuerint, & veluti maturæ in eo ſtatu fuerint, (vt Galenus 2. de alimentis innuit) aluum molliūt; ſed ſiccæ, præſertim cum ſuis tunicis, ſiſtunt: vetum ſi prius in aqua præmaduerint, Oribaſio ad Euſtathium auctore, ſubducunt. C

Caſtaneæ, tarde meant, capitis dolorem faciunt, ventrē ſiſtunt.

Nuces auellanæ, ſine interiore cortice vt facilius concoquuntur, ita minus ventrem, quàm cum illo, ſiſtunt.

Piſtachia, propter leuem amaritudinem, & ſubaſtringentē qualitatem, quas præſeferunt, ſtomacho non inutilia eſſe videntur: aluum vero nec molliunt, nec aſtringunt.

Nuclei pinei difficulter coquuntur, caput grauant, calefaciunt, ideoque non niſi recentes, aut aqua prius maduſos eſſe conducit: aſtringunt, quemadmodum Dioſc. ait. Sed quod aluum propterea ſiſtant, vt minus ſequitur, ita, quod eam molliant, incompertū eſt. D

Amygdalæ propter pingue, quod illis ineſt, æſtuoſæ ſunt, difficulter coquuntur, non aſtringunt, neque ventri ſubducendo (vt 1. de alimentis Galenus dicit) conferunt.

De aromatibus. Cap. VIII.

Aromata nulla, quæ ſicca, lignoſaq; ſunt, non, inquam, vi-tentia, ſuccoſaue, concoquuntur, nulla propter ſuum odo rem ingrata ſunt, omnia calorem (vt experientia monſtrat) inducunt: omnia ferè acria ſunt, obeſis, & quibus in ventriculo pituita redundat, vtilia: gracilibus noxia, vrinā cient, aluū vero quædam ducunt, quædam non ducunt. Non coquuntur, quoniam quod coquitur, in ſuccum aliquem, qui nutriendo ſit, vertatur oporret. E

A oportet.Quod vero ſiccum, lignoſumque eſt,huius nemo non aſ
ſeret expers eſſe,aut ſi quid eiuſdem forſan habet, id adeo exiguũ
eſt, vt corporeæ molis ratione, ferè minimum exiſtens, omnino,
aut nihil,aut vix nutriat:alioqui aromata ipſa nunc ſicut oſſa, qui-
bus canis veſcitur, ſunt:nunc ſicut eadem quidẽ,ſed multo magis
exiccata,quę canis contra nec olfacit,nec edit.Pleraque ſunt acria:
quoniam ex his plurima linguæ applicata,ab eaque mollita, & ca-
lefacta,ipſam viciſſim recalefaciunt, accendunt,mordicant : mox
B humidum,quod in ea eſt,liquefaciunt:ſubinde ad expellendũ irri
tant,tandem attenuant ſimul,ac ſiccant, qualis eſt acrium natura.

Pinguibus,& pituitoſis proſunt,quia humidum fundendo, ca-
lefaciendo,ſiccandoque abſumunt. Gracilibus contra,quum hu-
mido egeant,eadem obſunt ratione.

Vrinam cient,quia ſi humidum corpus attigerint,id,quoad ſe-
ſe offert illis, ſua acrimonia inficere, liquare, diffundereque non
ceſſant,ita dum venarum oſcula in ventriculo humidi plena repe
C riunt,id ipſum attenuantia,& ad excretionem ſua pungendi fa-
cultate ſtimulantia, primum intro in venas (aliò enim diuerti
non poſſunt) repere,& per eaſdem irruere,deinde in renes, veſi-
camque decumbere, poſtremo cum vrina foras erumpere cogũt.

Aluum mouent, non omnia quidem, ſed quæ poſtquam ſuc-
cum aliquem acri ſua facultate affecerunt; adhuc tamen in ſeip-
ſis eandem retinent: hac enim acrimonia, quam adhuc ſeruant,
vbi cum cibo commixta ſunt, ventriculum & inteſtina pungunt,
D vellicant, & ad deiectionem [illegible] vt piper aqua incoctum,
quod etiam acre remanet. Non mouent autem, quæ, dum aqua
modice incoquuntur, hac ipſa vi penitus exuuntur, & inſipida,
poſtquam elixa ſunt,reſtant,vt cynnamomum.

Piper igitur calefacit, vt nobis ſenſus ipſe fidem facit,renes (vt
Græcus auctor animaduertit) lædit, vrinam quidem cit,quoniam
acre ſimul, atque calidum eſt, ſed nihilominus aluum quoq; mol
lit. Quia enim vires ſuas poſtquam moderate elixum eſt, retinet,
E præter id, quod vrinã citat, aluum quoque,ſua acrimonia naturã
ſtimulans,mouet:quin etiam aluum fermè ſæpius, quàm vrinam,
niſi ob vehementem elixationem,aut aliquam aliam cauſam ſuis
viribus omnino deſtituatur, emollit: quippe quod ubi exiguum
eſt (vt Ariſtoteles, & Auicenna memoriæ prodiderunt) non vri-
nam,ſed aluum ducit, vbi vero multum etſi vrinam præcipue ci-
tat,aluum tamen lubricam ſimul reddit.Quum enim multum fue

rit, quemadmodum calida, & acri ſua facultate humores inficit, A
liquat,diffundit,& in venas ingreſſos ad excretionem per veſicam irritat,atque vrinam ciet, ita mole ſua, quæ calorem ſimul & acrimoniam,vt ante innuimus,adhuc ſeruans in ventriculo, & inteſtinis,ſi non aliam ob cauſam,certe propter craſſitiem remanet, hæc mēbra ſimiliter vellicās,ad expulſionē ſtimulat, & aluū ducit.

Hinc Ariſtoteles, quem Auicennas, recte caſtigata eius interpretis traductione,ſequitur,piper large ſumptum, vrinam; parce, aluum mouere.ſcamonium contra,maiori quantitate,aluum: mi- B
nori,vrinam ducere:non quo piper,ſi copioſius accipiatur,aluum non moueat, ſed quo vrinam præcipue: ſicut ſcamonium, non quo aluum non ducat, ſi minori, quàm ſolet portione, ſumatur, ſed quo ſimul etiam vrinam;quum præcipua eius facultas ſit non vrinam,ſed aluum mouere:vrinam veto vbi parce capitur, ſimul agit,quia naturam præ exiguitate non admodum turbans,in ventriculo diutius,quàm conſueuerit, immoratur; vbi cum humoribus qui à venis trahuntur ſolutum (facile enim à calido diſſolui- C
tur) placide tum per aluum,tum per veſicam deſcendit.Ex hoc tamen iudicandum non eſt, quod vbi large ſumitur, vrinam nullo pacto moueat,nam & ipſam quoq; mouet;ſed alui ductione abundantiore, vrinæ citamentum obſcurat, ſicut etiam piper ſi parce (vt exiſtimant) accipiatur,non ita ventrem ducere putandum eſt, vt vrinam ſimul ciere non poſſit,ſed quod habita conſuetæ vacuationis ratione, ventris excrementa,magis quàm vrinam;ducat.

Zingiber,ſi recens fuerit, minus ægre conficitur: vbi vero ſic- D
cum eſt (vt antea diximus) aut nihil,aut vix concoquitur:vrinam ducit,aluum (vt Dioſ.ait) leniter emollit:non autē (vt quidam arbitrantur)aſtringit.Vrinam ducit,quia ſicuti dū aqua incoquitur, hanc eandem ſua acrimonia non leuiter inficit, ita in ventre humores,qui deinde per venas delati, naturam vi acri acquiſita ſtimulantes,per veſicam erumpunt,afficit.

Aluum mollit,quia ſimul atque humores affecit, ſuam acrem
facultatem(quemadmodum de pipere narrauimus)adhuc retinet: E
quamobrē in ventre remanens,ad excretionē nihilominus irritat.

Nux moſchata,moſchocaryon aliqui vocant,vbi oleoſa,& pinguis eſt,nutrire quidem poteſt,ſed difficulter euincitur. Pulmonē (vt Græcus quidam auctor animaduertit) lædit:acrem quandam qualitatem,longe tamen minorem,quam piper,& Zingiber obtinet:hanc, quando moderate elixa eſt, adhuc in ſe retinet. Itaque

probabile

A probabile eſt,vt quemadmodũ vrinam, ita quoq; aluum deijciat. Cæterum Arabes,qui primi eam cognouerunt,poſterioreſq; Græci aliqui ventrem aſtringere nobis tradiderunt:vtrum hoc an illud, ſit,ad experientiam,non neglecta ratione,confugere oportet.

Macis,non,inquam,macer, longe enim alterum,(vt recentiores herbarij docent) ab altero differt:elixa,ferè non minus,quàm nux,cuius flos eſſe dicitur,acrem quãdam ſeruat facultatem : proinde nec aluum aſtringet,nec vrinam cohibebit.

B Caryophyllum ſua nimirum acrimonia vrinam ciet, ſed quia, poſtquam elixum eſt,eam omnem in ſuccũ,quo incoquitur, reijcit:ipſum vero perinde,ac inſipidum, fatuumque remanet, ventrem non modo non ducit,ſed etiã ſi copioſe accipiatur,ventriculũ,inteſtinaue,tãquã ſimilibus ligni fruſtulis deuoratis,male afficit.

Cynnamomum,præſertim quũ large,crebroque ſumitur,odore ſuo caput tentat,quo forte modo cerebrum confundens, ſomnum (vt quibuſdam videtur) cõciliat. Vbi humido aliquo coqui
C tur,ſeipſum acri ſua facultate penitus exuit,illud contra inficitúdẽ in ventriculo efficiat iuſtum eſt. Quo fit vt vrinam quidem moueat,ſed aluum nihilominus aſtringat.

De croco.

APud hos,qui croco perquam modice vtuntur, de eo loqui,moueat aluum,an contra,vanum eſt. Peroxigua enim illius portio,quàm non ſaporis,ſed coloris,odoriſque gra
D tia potiſſimum [illegible] poteſt. Qui vero eundem cum cibis aliquanto liberalius miſcent,freti eo, quod a pleriſque medicis acceperunt,crocum amabilem coloris bonitatem facere,crapulam arcere, venerem ſtimulare, ciborum concoctionem efficere, animum exhylarare:hi ſciant ex his facultatibus, quas illi tribuũt plurimas quidem vtiles videri, ſed non eſſe. Quippe exhylarat nõ aucto (vt putant) innato ſpiritu, ſed perturbato cerebro, vtpote qui,perinde ac vinum,inebriet, & riſus, gaudijque ſpecimen ex
E citet:ita quoque colore grato afficit:Quum enim calore, & odore ſuo non parum acuto ſanguinem in vultu commoueat, ſpirituq; calido impleat, ruborem inducit; qui modus eo eſt periculoſior, quo magis caput ſimul ferit,& mentem turbat.

Neque item aliquo naturæ bono crapulam prohibet, ſed quoniam odore ſuo vehementi cerebrum euertens, hominem & à vino,& a cibis citius deſiſtere cogit,quàm crapula perficiatur.

Sſ 2 Hinc

Hinc Auicenna ſomnium parere, capiti dolorem incutere, ſenſi A bus tenebras offundere tradit. Et Græcus quidã auctor, ſiquis eius tria exagia ſumpſerit, hũc riſu continente corripi, ſubinde perire.

Cæterum vrinam quidem ſi non alia de cauſa, certe vapore illo tenui, & acri, qui cum odora eius ſubſtantia verſatur, mouet, ſed aluum, quod adhuc vere ſciatur, minime ducit.

De ſale.

SAl, etſi aliquam aſtringendi vim habet, quia tamen ex amaro B & acido acri magis, minuſve (vt guſtanti facile perſpicuum fit) conſtare videtur: ſi cum craſſis, ſolidiſve cibis (vt moris eſt) aſſumatur, ventrem proritat: ſed copioſius eius vſus, quoniam liquefacit ſimul, atque extenuat, oculos hebetat, genitaleque ſemen minuit.

De aqua communi, & aqua medicata. Cap. IX.

AQua, ſiue calida, ſiue frigida poteťur, extenuat: aut enim C non alit; aut, ſi alit, quia fere non craſſeſcit, tenuiter alit. Summe frigida, prohibet ab inſito calore naturale humidum diffundi: quamobrem humidum in corpore congelat, & ventrem (niſi forte aliqua propter ingentem copiam deturbet) ſua congelatione, & frigiditate ſiſtit. Sæpequenumero arenulis gignendis, vt aqua ex niue, occaſionem præbet.

Aqua pluuia, ſi, quemadmodum & Celſus libro 2, & Galenus 7. κατὰ τόπους dicunt, aſtringit, aluo molliendæ idonea non eſt. D

Omnis vero aqua medicata, ſi inter cibos, quemadmodũ apud quoſdam in vſu nunc eſt, vel cũ vino, vel ſine vino bibatur, quoniam ſiccat, & vocatum chylum longe craſſiorem facit, ventrem aſtringit. Sic Hippocrates libro de aere & aquis, vbi de medicatis meminit: Omnes (inquit) difficulter minguntur, & ad alui egeſtionem ſunt contrariæ. Cur, & quomodo affatim potæ à calculo ægrotos vindicent, inueſtigare, vt his, qui naturalia balnea frequentant, vſu venire putatur, alterius eſt negotij. E

De vinis. Cap. X.

VIna ferè omnia calida ſunt, & ſiccaȝ omnia nutriunt, & odorata magis, quàm eiuſdem ætatis inodora. Talia namque magis concocta ſunt, & craſſa magis, quàm tenuia. Omnia exceptis forte nouis (vt vniuerſe dixerim) aluum potius ſiſtũt, quam

A quam leuant. Omnia enim vrinam cient, vocatumque chylum, quo minus facile deſcendat, & craſſiorem, & ſicciorem (vt caro cum vino cocta monſtrat) efficiunt: ſubinde liquida naturaliter exiſtentia calore ſuo venarum oſcula aperiunt, illas ſubeunt, ſecum alia ducunt, & per vrinæ vias aluo ſiccata prorumpunt. Cæterum ſibi inuicem comparata, hæc, aluum mollire: illa, compeſcere videntur.

Dulcia igitur inflant, corpus humectant, aliquid è corpore ab-
B ducunt; vbi in inteſtina ſatis repſerint, (quod euenit quando copioſius potantur) illinc facilius, quàm alia vina, ſecedunt. Inflant, quoniam corpori humidum, quod nutriendo eſt, atque id maxime gratum præbentia, primas venas, lienem, & iecur cito replent, ac tumefaciunt. Corpus humectant, quia hominem magis, quàm reliqua nutriunt: quo igitur illum plenius alunt, eo plus humidi, quod tamen ab alio differt, quia reficit, vniuerſo corpori prębent. Abducunt aliquid, quoniam ſua dulcedine nonnihil abſtergunt.
C Per ventrem, ſi in eum affatim decumbant, facilius, quàm alia vina deſcendunt, quoniam membra, in quæ incidunt, præſertim ſi pituitoſa fuerint, qualia eſſe inteſtina plerumque conſueuerunt, non aſtrictiora, ſed laxiora; nõ frigidiora, ſed calidiora: nõ ſicciora, ſed humidiora reddũt. Quæ ſimul omnia tantũ abeſt vt coarctẽt, vt lubricum longe magis, niſi forte ſitis inſolita excitetur, efficiũt.

Nigra, & auſtera, ſicciora ſunt, neque ad aluum deijciendam, neque ad mingendum conducunt, neque ſaliuam faciunt; vt poto
D quæ pota, ſiccum os reddunt, humidum ex corpore conſumunt, atque aſtringunt.

Nigra, dixerim, placida vel mitia, non autem dulcia, humidiora quàm hæc ſunt, inflant tamen, & magis aluo reijciuntur. Humidiora ſunt, quia ſicuti narrauimus, plus nutriunt. Inflant, quia quãto humidius, atque ſuauius nutrimentum afferunt, tanto magis (vt de dulcibus dicebamus) tumefaciunt. Secedunt vero, vbi videlicet ad inteſtina feruntur, quoniã ſicut auſtera in illis nõ hærẽt.
E Nigra dulcia, his magis humida ſunt, magis aluo redduntur, calefaciuntque ſimul ac inflant. Magis humida ſunt, quia magis nutriunt: plus enim humidi, quod tamen inſtaurat, homini afferunt: tantoque magis per aluum prodeunt, ſi in eam affatim inciderint, quanto magis (vt proxime docuimus) dulcia ſunt. Magis calefaciunt, quia magis vinoſa ſunt. Inflant, quia humidum, iucundumque alimentum quamplurimum afferentia, nimium implent.

Alba, &

Albá,& dulcia (alba voco,qualia nunc citra nigrum, & rubrũ A
communiter appellamus)magis quàm nigra vrinam cient,aluum mouent,ſi in eam (vt diximus) inciderint,corpus humectant,ſanguinem augent,potores inualidos reddunt. Vrinam magis cient, quia tenuiora ſunt: per venas enim delata in veſicam promptius elabuntur.Aluum mouent,quia dulcium facultates habent; corpus humectant,ſiquidem nutriunt.humidum enim quod alit,ſuggerunt: quod tanto magis humectat, quàm aqua, vel huiuſmodi
aliud,quanto magis per totum corpus effunditur. Sanguinem au- B
gent,quia quum nutriant,tenuitateque ſua per totum fundantur, ſanguinem ipſum in molem quidem tenuem, ſed valde amplam extendunt.Proinde quia tenuioris,flaccidiorisq; ſubſtantiæ,quàm illa ſunt,mirum non eſt,ſi tum homines non robuſtos,ſed debiles reddant,tum vbi leuiora quoque fuerint, quia facilius, atque copioſius bibuntur,ſi podagricos dolores,aut quieſcentes excitent, aut nõ præexiſtẽtes inducãt,qualia eſſe dulcia Trebiana cẽſentur.

Alba,& auſtera,calefaciunt,minguntur magis quàm aluo deij- C
ciantur:calefaciunt,non modo,quia vina ſunt; id enim omnibus (vt ante narrauimus) commune eſt,ſed quoniam tenuitate ſua in ſingula membra feruntur,nutriunt,& diutius propter aſtringendi vim,qua pollent,in vniuerſo corpore immorantur. Quum igitur alimentũ omne,innatũ calorem augeat, neq; per vnam dumtaxat partem,ſed pertotũ effundatur, & in toto nõ exiguã morã trahat, quomodo non calefaciet? magis verò minguntur,quàm aluo ſece
dunt,quia ſimiliter effuſa,per venas in veſica,ocyus excernuntur. D

Vina acida,ſi ad alia comparentur,frigefaciunt,attenuant, humectant.Frigefaciunt, attenuantque; quoniam acore ſuo in vniuerſum corpus penetrantia,innatum humidum expungunt. Humectant,quoniam interea dum non acuere,ſed aceſcunt, aquam ſibi commixtam habent,quæ ſimul cum vino (permixta enim eſt illi) corporis interiora ſubit,& hæc eadem humida reddit.

Vina media,hoc eſt,quæ neque dulcia,neque ſuauia,neque au
ſtera,neque acida ſunt,quibus viribus polleant,prout ad hæc, vel E
ad illa magis aut minus accedunt,iudicare oportet.

Vina item omnia,quæ & valde tenuia, & deſtillatis (vt dicunt) ſimilia ſunt,quũ alba,tũ nigra,vrinã quidem (vt omnes fatentur) mouent:ſed ventrẽ non leuant:imbecillo capiti,& his, quibus idẽ leui ex cauſa dolet,officiũt.Hæc enim tenuitate ſua in cerebrũ cõfertim feruntur, & in illud ſeſe obnixe impingunt, quo vbi deue-

netunt,

A nerunt, vt eadẽ cerebrum promptius recipit, deinde recepta propter venarum, arteriarumque in eo implexus, ægrius reijcit, ita ibi permanentia, cerebri tunicas pungunt, extendunt, calefaciunt, & dolorem accerſunt.

Vina noua, ſiue dulcia, ſiue ſuauia, ſiue auſtera, de quibus nihil ferè videtur, quoniam muſto propinquiora ſunt, per aluum magis deſcendunt: contra vero antiqua, per aluum quidem minus, ſed per vrinæ vias potiſſimum redduntur.

B Muſtum inflat, ex corpore aliquid abducit, turbat, aluo ſecedit. Inflat, quoniam caleſcendo in ſpiritum erumpit. Abducit aliquid, quoniã abſtergit. Turbat, & aluo ſecedit, quoniã in ventre feruet.

Sapa calefacit, humectat, à corpore aliquid abducit, aluum non ſiſtit. Calefacit, quia vinoſa eſt: humectat, quoniam alit: abducit aliquid, quia dulcis eſt, & abſtergit: non ſiſtit aluum, eadem fermè ratione. Cæterum aliqui arbitrantur, eam, quæ nigra eſt, aſtringere; quæ vero alba, mollire. Verum etſi vtraque muſtum eſt excoctũ,

C & velut ab igne peruſtum, quoad tamẽ dulcis eſt, & nullam aſtringentem facultatem præſefert, vel alba, vel nigra ſit, aluum per ſe numquam cohibebit. Non enim ab igne adeo ſiccatur, vt humidum ab alijs membris ſugens, & abſumens, aſtringat.

De aceto.

ACetum frigefacit, & aluum magis ſiſtit, quàm mouet. Frigefacit, quia inſitum corpori humidum, liquans, abſũmit: aluum magis ſiſtit, quia non alit, ſimul & acutum eſt.

D Id enim intima ſubit, ibidemque ſeſe inſinuans figit, & ſiccat. Sed ſi craſſum ſuccum in ventre reperit, ipſum (vt Galeno placet) incidit, ac deorſum ducit: ob idque deiectiones humectat.

De melle. Cap. XI.

MEl ipſum cum alijs quidem modice comeſtum, nutrit, bonum colorem efficit, aluum mollit, vrinam ciet: per ſe vero, & abunde ſumptũ, difficulter concoquitur, inflat, ſatu-

E rat, denique attenuat magis, quam reficit. Nutrit, non modo quia quoddam alimentum eſt, ſed etiam quia dulcedine ſua reliquis cõmixtum, cauſa eſt, vt hæc eadem per totum corpus facile ferantur ſimul, atque iucunde attrahantur. Omnia enim (vt quiſque hactenus exiſtimauit) aut dulci, aut commixto nutriuntur. Bonum colorem efficit, quoniam eius dulcedine cum aliorum mixtura delectatæ partes, plus nutrimenti ad ſe rapiunt, retinent, in ſimile

ſibi con-

ſibi conuertunt, innatus calor augetur, ſubinde color, aucto naturali alimento, floreſcit. Aluum mollit, non ſolum ſua acrimonia, ſed etiam quia dulce, modiceque lentum eſt, & abſtergit. Vrinam ciet, eadem fermè ratione, hoc ſolo differens, quod illud, prout in inteſtina; id, prout in venas fertur, facit. Per ſe verò, & abunde ſumptum, difficulter concoquitur: quia quum alia incorrupta ſeruet, difficulter corrumpatur neceſſe eſt. Tale autem (vt de alimentis primo Galenus docet) ægre cōcoquitur, præcipue vero ſi multū quoque ſit. Inflat, quoniam ex parua mole in magnam, ſed ſuam dulcedinem adhuc retinens, effunditur. Saturat, quia quum valde à ſingulis membris, vtpote dulce, deſideretur, vbi in ea inciderit, ſe ſe magis extendēs, magis implet. Attenuat magis, quàm reficit, quia per vrinam, & per ſeceſſum plus iuſto corpus inanit. Vbi namque ſine alijs cibis, aut cum his quidem, ſed perquàm exiguis affatim comeditur, vt in ventriculum, in inteſtina, in venas, & reliquum corpus fundatur, oportet, ita quanto copioſius eſt, acri, & abſtergente facultate ſua, per aluum, & per veſicam erumpens, corpus tanto magis expurgat, & gracile reddit. A B C

De ſaccharo. Cap. XII.

SAccharum, æque atque mel, cum alijs moderate permixtum, corpus commode alit, crementum in his partibus, quæ augeri poſſunt, ſuggerit: amabilem coloris bonitatem facit, vrinam cit, aluum mollit. Hæc tamen omnia vt dulcedine ſua, vel ſuo lentore, qui non immodicus eſt, vel vtroque ſimul efficit, ita qui ſingula ſingulis, quæ de melle dicta proxime ſunt, comparauerit, facile intelliget. Per ſe vero & abunde ſumptum, ægre concoquitur, inflat, ſaturat: ſed aliquibus, qui ſe impleuerunt, ſi perquam parce vltima menſa deuoretur, concoctionem iuuat, ſatietatem ferè tollit: ſin copioſius accipiatur, modo vetus ſit, capitis dolorem (vt Græcus quidam auctor ſcribit) mouet. Aegre concoquitur, quoniam (vt ante de melle narrabamus) difficulter corrumpitur, ſed eo etiam difficilius quàm mel, quo durius, ac tenacius, & natura, & arte fit. Inflat, quoniam liquori cuipiam admixtum, ex minima mole, in maximam extenditur. Saturat, quoniam (vt de melle prius ſcriptū eſt) facile implet. Poſtrema menſa frugaliter deuoratum, his, qui alimenti expletione laborant, auxilio eſt: quia quum à natura ſummopere diligatur, ſi forte ſuper alimentum adhuc in ventriculo natans, atque nauſeam faciens, incidat, D E

dum ab

A dum ab eadem obnixe attrahitur, alimentum deorſum comprimitur, atque ſubſultare prohibetur; quinimmo appetitum quaſi deuictum (numquam enim ſano homini ferè non placet) excitans, ſaturitatem interdum ſummouet. Si plurimum ſumatur, capitis dolorem parit, & præcipue quod vetus eſt (vt Græcus quidam eſt auctor) Quoniam, ſicut amygdalæ vapore ſuo, qui in lac prompte congregatur, ſomnum conciliant; etſi large comedantur, capitis dolorem afferunt; ita ſaccharum, quia in ſubſtantiam veluti lapi-
B deſcentem ab arte cõuertitur & natura ſua in ſeſe conſtringi, atq; denſari conſueuit: vaporibus ſuis in caput, quod propter capacitatem ſuam maxime omnium recipit, delatum: dum ſeſe ad cõſtringendum properat, alios tum vapores, tum ſuccos in capite manentes ſimul compingit, caput expurgari prohibet, & dolorem, propter nimiam expletionem inducit.

C

LIBER SECVNDVS.

De ambulatione matutina. Cap. I.

HACTENVS de cibis, & potibus, qui aluum mollire, atque interea de nonnullis eiſdem, qui aſtringere ſolent. Alia quædam ſunt, que alterutrum poſſunt, quemadmodum ante, aut poſt ci-
D bum ambulare, equitare, vomere; ſemel, biſve cibum interdiu ſumere, famem ferre, a cibo dumtaxat, aut inter cibos potare, ſitire, coire: ſoli, aut igni ſe credere, abũde ſudare, mingereue, aquiloni, vel auſtro ſe exponere, lauari, vngi, dormire, vigilare, ociari, laborare, clyſtere vti, & huiuſmodi.

Matutina igitur ambulatio, craſſa extenuat, caput leue, firmũque, auditum ſimul, ac viſum perſpicaciorem reddit, aluum mollit. Craſſa extenuat, quoniam ambulatione commotum corpus ca-
E leſcit, & humidum, quod in eo eſt, attenuatur ſubinde, partim per expirationem, partim per nares, atque etiam per os euacuatur: partim in alimentum ab innato calore, propter ipſam ambulationẽ, aucto conſumitur. Caput leue, firmumque reddit, atque ſenſus efficaciores efficit, quoniam aluus propter motum calefacta ſimul, & inanita, humidum & ex reliquo corpore, & ex capite in ſe ipſam trahit: vacuato autem capite, viſus, & auditus expurgantur, &

Tt homines

homines alacriores redduntur.Huc accedit,quod aere quamplu- A
rimo per venas & arterias,& alias vias in cerebrum propter mo-
tum celerius attracto, cerebrũ maxime impletur, & amplificatur.
Huic igitur ſeſe magis intro inſinuanti & membranas & alia vaſa
ſimiliter extendenti, excrementum, quod expulſioni promptum
eſt, vtpote loco ampliore facto, per os, aut nares illico reijcitur;
ſubinde caput exoneratur,& ſenſus purificantur. Aluum mollir,
quoniam id,quod noctu per ſomnum coquitur,propter cubandi
ſitum ad vſque mane,tum in ventriculo,tum in ſuperioribus inte B
ſtinis,magna ex parte retinetur.Homo autem interea dum ambu-
lat,ianitorem,qui ſurſum vergere ſoler,deorſum inflectit, ſimulq;
inteſtina omnia infra concutit: ille tum ſucco,quiſquis in ventri-
culo redundat,facilem aditum præbet.Hæc ſcilicet inteſtina,præ-
dictum recipientia & ſeſe in aliud,atque aliud exonerantia, mox
colon,quod ſtercore plenum eſſe conſueuit,attingenria,vetus ex-
crementum,quod à nouo dudum accedente protruditur, eijcere
cogunt,& aluus ducitur.Si quis dictam rationem infringere con- C
tendat exemplo eorũ,quibus,dũ equo vehũtur, aluus aſtringitur,
animaduertat, quòd his eiſdem totus venter ſuper equũ ſimul,ac
deorſum quatitur:excremẽta quidẽ ad ima deſcẽdunt, ſed ſurſum
ab obiecta ſella repercutiuntur:quo fit,ea,quę inter ambulãdũ in-
fra ferri ſolẽt,vt equitãdo cõtta ad ſuperiora impetũ faciãt.Indicio
ſunt frequentes ructus,qui his:crebri peditus, qui illis vſu veniũt.

Interim non oportet ignorare, veſpertinam quoque ambula-
tionem poſſe aluum mouere,ſed id matutinæ potiſſimum tribui, D
quoniam poſt illam,crebro:ante,raro moueti ſolet. Poſt veſperti-
nam vero,non ſæpius,quàm ante,& omnino temere,nunc poſt,
nunc ante. Nobis enim toto ferè die modo ſtantibus, modo am-
bulantibus,ventris onera propter ſitum noſtri corporis erectum,
quauis hora, quouis momento ad ima deferri queunt: ita vt pro
rei,& deſcendentis, & recipientis promptitudine nihil prohibeat
quo minus paulo poſt prandium,aut multo poſt,aut inter vtrum-
que aluus ducatur.Sed noctu propter ſitum planum, ventris one- E
ra retineri,mane vero contra,à cubitu tamquam hoc ſtato tempo
re,propter ſitum rectum, motu aliquo ſimul facto, deijci, ſi non
neceſſarium,certe naturale eſt.Quamobrem quod ambulatio ma
tutina, magis quàm veſpertina, ventrem ducat, & rationi conſo-
nat,& naturæ conſentit.Sed vbi quis a prandio nimium ſederit,
aut nimium quieuerit; huic ambulatio (ſed moderata, ne, magna

A repente mutatio fiat) paulo ante cænam nihilominus quàm matutina, in hoc quidem ſtatu (non inquam ſimpliciter) aluum natura conferente, ſubducet. Excrementum enim quod tum in ventriculo, tum in inteſtinis ſuperioribus propter ocium diurnum adhuc manet, citato ante cænam motu (vt de matutina ambulatione proxime diximus) ad inferna prorumpet, & vetuſtum, quod ſubeſt, foras ad expellendum proritabit.

Senſim autem & modice poſt cibum ambulare, aut pedibus
B ſtare, ad aluum ſubducendam non leuiter confert.

Vt enim nuper ingeſtum alimentum (quemadmodum plerique opinantur) in ventriculi fundum ocius colligi, ſubinde prōptius coqui facit; ita ſitus iſte rectus, grauia tum ventriculo, tum inteſtinis excrementa vt deorſum labantur, inuitat.

Contra vero impenſe, ac plurimū à cibo exerceri, aluum aſtringit. Calefacta enim à nimia motione caro, humidum, quod in alimento eſt, ad ſe trahit; craſſum vero, & ſolidum in ventre relin-
C quit. Id ergo ſiccius factum, neque prompte putreſcere (cuius cauſa vel amarum, vel acre redditum ad expellendum irritat) neque per ſe facile deſcendere poteſt. Denique vt celer, & fortis ante cibum ambulatio, præcipue matutina, ventrem mollit, poſt cibum vero aſtringit: ita ocium primo quidem humectat, ſed poſtea ſiccat, & tabe conficit corpus.

De vomitu. Cap. II.

D QVod ad vomitum attinet, vbi quis acerba, & auſtera ſumit, atque auide, celeriterq; cibum deuorat, ſi priuſquā ille humeſcat, & in chylū (vt dicunt) uertatur, vomat: aluū ante fluentem ſæpenumero ſiſtet. Vbi vero acribus, ac ſalſis; & pinguibus, ac dulcibus tum cibis, tum potionibus vtitur, nec ſubinde ſtatim, ſed multo poſt vomit; aluum quidem aſtrictam ſoluet; ſed minime molliet. Propter expletionem enim ab eſculentis & liquationem a labore natam, primum humectat; deinde, quoniam alimentum euacuat, extenuat: poſtridie vero, præcipue ſi nutri-
E mentum parce offeratur, non parum ſiccat.

Vt igitur aluum leniamus, nullo pacto vomendum.

De eo, quod eſt ſemel, biſve cibum interdiu ſumere. Cap. III.

SEmel in die cibum capere, extenuat (vt primo etiam libro dictū eſt) ſiccat, & aluū ſiſtit. Nā fames, vt corpus, ita quoq; vētrē ſiccat. Innatus enim calor, quia ſatis, quo veſcatur, non habet,

humidū ex vētre,& ex carne abſumit.Itaq; ſiccat, ventrẽq; firmat. A

Bis autem die comedere,humectat,corpus implet, aluumque deijcit.Innatus enim calor pabulum recens bis die teperiẽs, quia ſuauius eſt quod nouum,quàm quod vetus:illud attrahit,corpori adijcit,molemq; auget:hoc reijcit,& velut iniucundum in ventre relinquit.Id ergo quum adhuc propter breue ſpatiū,quod inter alterū,atq; alterū incidit,humidū ſit,& ab altero quotidie bis accedente infra paſſim detrudatur,vt magis prompte ſecedat,oportet. B

De potu tantum à cibo,& de eo,qui cum cibo. Cap. IIII.

QVi non inter cibos, ſed poſt, præſertim aliquo intetpoſito tempore,bibunt,ijs humor ſiccus ex aridis cibis, antequã potauerint,natus, corpus ſiccat,& ventrem ſiſtit. Qui contra, crebro cum cibis bibunt,his humidus ſuccus ex cibis ortus,corpus humectat,& ventrem mollit.

Sitim autem ferre,quoniam alimentum in ventre ſiccū reddit, ventrem firmat.Ideoque aliquanto plus in prandio,cænaue bibere,quo magis humectetur cibus, ac facilius concoquatur,ad aluū molliendam magnopere prodeſt. Neq; formidandum quod ſubinde cibus in ventriculo natet:ſi enim neque ſurſum ad fauces potus ſubſultet, neque nauſeam mouerit,neque homo ſegnior, tardiorve fiat,neque male ſpiret,ſed bene tum dormiat,tum reſpiret & poſt ſomnum hylaris, non autem triſtis expergiſcatur, ſignum eſt,cibum pluris potus cauſa nō nataſſe,& ita bibere ſalutare eſſe. C
Id quod apud veteres quoque (vt ſectione 22. Ariſtoteles innuit) in vſu frequenti fuiſſe credendum eſt:quum inquirit, cur edenda bellaria ſint,vſuſq; ſecundarum menſarum adijci debeat? An (inquit) vt ſatis bibamus?Non enim ſitis gratia ſolum, quæ per menſam primam nos teneat, bibendum, ſed etiam poſt hauſiſſe aliquid iuuat.Hæc ille. D

De coitu,de ſole, de igne,de vmbra & frigore. Cap. V.

NImius coitus, propter euacuationem,extenuat:quia laborem inducit, calefacit: propter id vero, quod à labore liquatum,relinquit,humectat:& re vera non mollit aluum, ſed liquat, ſubinde ſiccat. E

Sol,& ignis ſiccant.Quū enim facultate calida ſint,& ſicca,humidum ex corpore trahunt.Moderata vero tū vmbra,tum frigus, humectant:dant enim magis,quàm accipiunt, Illa igitur aluo ducendæ

A cendæ non proderunt, hæc vero minime pugnabunt.

Abunde ſudare, mingereque.

NImium, & frequenter ſudare (quia corporis humidũ conſumit) extenuat, ſiccat, & quia maiorẽ huius humidi partem ad cutim propellit, aluo molliendæ contrarium eſt. Ita quoq; mictio plurima, (niſi à potu multo contingat) humidũ à ventre ad vrinæ vias dum diuertit, aluum cohibet. Neque ſilen-
B tio prçteriri debet, quod aluũ Aquilo duram, Auſter mollẽ efficit.

De balneo. Cap. VI.

BAlneum potabilis aquæ humectat, & refrigerat. Facultate enim humidum, & frigidum exiſtens, eiſdem qualitatibus corpus afficit: ob hoc tamẽ aluum non leuat. Quippe ſi modice calidum fuerit, corpus mollit, & auget, atque extima quidem implet, ſed inteſtina ſiccat: ſin immodice, carnem, & humẽtes cor
C poris partes areſacit, membranas vero, cartilagines, & tendines humectat. Hæc humectata, imbecillitatem, & animi defectionẽ inducunt: illa areſacta, ſiccitatem, & ſitim. Ad hæc ieiunum refrigerat, & extenuat: calore enim humidũ à corpore haurit, carne autẽ humidi vacua, corpus refrigeratur. Paſtum vero calefacit, & humectat: humectat, inquam, ea, quç in corpore ſuperſunt, in maiorem molem diffundens: ſed ſi frigidum fuerit, contraria facit. Vacuo enim corpori, modo imbecillum non ſit, calorem quemdam
D excitat. Nuper autem paſto, humidum per corpus diffundi prohibẽs, ſiccitatem affert. Quouis igitur modo adhibeatur, aluũ per ſe numquam mouebit. Sic etiam aquæ ſalſæ lauacrum, quod ad alui ductionem attinet, ſe habet. Calefacit enim & ſiccat: aqua namq; ſalſa, quia naturaliter calida eſt, humidum à corpore trahit.

De vnctione.

NOn lauari, & non vngi eum, qui conſueuit, quoniã humidũ, quod ab his recipi ſolet, deeſt: ſiccat, & aluũ ſiſtit. Vngi
E vero licet calefaciat, humectet, & molliat: in ventrem tamen, quia foris agit, vires ſuas non niſi ex accidenti tranſmittet.

De ſomno. Cap. VII.

SOmnus, qui noctu fit, & ſecundum naturam eſt, nihil magis peculiare quàm diutna, naturaliſq; vigilia ad aluum molliẽdã habet. Nam quod humectet, id facit, non quia inteſtina leniat,

ſed quia

ſed quia nutrimentũ in vniuerſum corpus diffundit: alioqui per ſe ventrem nec ſiſtere, nec leuare videtur. Qua tamen intus, & in cute humectare à quibuſdã putatur, ſubducendæ aluo (vt in principio dicebamus) magis proderit, quàm oberit. Cæterum ſomni non admodum longi ieiunum, & fameſcentem, quia intrinſecus humidum euacuant, extenuant, ac refrigerant: longi autem, quia calefaciunt, carnem colliquãt, corpus diſſoluunt, imbecillitatem pariunt, vtrouis modo mali ſunt: neutri ferme aluũ molliunt, quoniam illi extenuant, ij liquant, & ambo tãdem ſiccant. Mediocres vero ieiunum, qui nondum concoxit, & minime fameſcit, vegetant, corpus robotant, coctionem iuuant. A cibo autem ſumpro alimentum in corpus diffundentes, humectant, & calefaciunt, ſed nec ij, nec illi ventrem prouitant. A B

De vigilia.

Vigilia multa cruditatem gignit: cibo exſatiatum, quia cibum liquari prohibet (indicio eſt, quod in ventriculo diu ſentitur) magnopere lædit: ieiunum extenuat quidẽ, ſed minus offendit: quia vero in vniuerſum ſiccat, ventrem ſiſtit. C

De ocio, & labore.

Ocium primo quidem (vt ſupra narrabamus) humectat: ſed inſitus calor interim torpeſcens ab alimentis humidum non capit: quo fit vt alt deſinat, corpus ſubinde tabeſcat, ac ſiccetur. Labor autẽ etſi robuſtum reddit corpus, nihilominus ſiccat. Oportet igitur neque multum ociari, neque valde labotate. Vtrumque enim ventrem firmat. Moderatus autem labor ſubinde non impar ocium labori, hoc ea, quæ in corpore ſunt, areſcere non permittens: ille innatum calorem excitans, & quæ in ventriculo, ac ſuperioribus inteſtinis redundant, infra deijciens, aluo mouendæ non parum conducet. D

De clyſteribus, Cap. VIII.

Denique ſi non vno, atque altero die, ſed pluribus, ac ſæpe, & ſæpius his omnibus rite ſeruatis, aluus nequaquam obediat: proptereà tamen ab incepto deſiſtendum nõ eſt. Quũ enim id in pleriſq; lõgũ rẽpus requirat, nõ ſtatim cõdẽnetur, ſi forte nõ ſtatim profit: quia profectus tẽpore expletur. Interim, quoad ſponte ſua ducatur, nõ medicamẽto aliquo, neq; clyſtere (vt dicũt) E

A acri agitanda eſt (frequens namque horum vſus periculum affert. Aſſueſcit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum redditur,) ſed clyſtere ex aliquo pingui, & oleoſo, atque hoc exigua quantitate ad vncias octo, decemve quo diutius retineatur, magiſq; molliat: æſtate quidem ex oleo violaceo, roſaceove & huiuſmodi: hieme autem ex communi oleo, amygdalinoue, præſertim dulci, aut butyro, quod etiam in ſuppoſitorij vocati figuram conformatum, mox frigore congelatum, magno opere prodeſt. Hinc Galenus 5. de B ſanitate tuenda. Nonnulli (inquit) in præſens gaudent, ſi copioſius deſederint: verum quanto magis ſunt vacuati, tanto his venter ſequentibus diebus aſtringitur. Sed clyſtere ex oleo ſiccius excrementum madeſcit, & tranſitus efficitur lubricus. Ita enim ait.

De ordine, quem mollientia aluum requirunt. *Cap. IX.*

C IAm ſatis de his, quæ proxime polliciti ſumus, nempe de motu ante, & poſt cibũ, de vomitu, de ocio, de labore, & cæteris, quę ventrem laxare, ſtringereque creduntur. Reliquum eſt, explicare id, quod poſtremo inquirendum propoſuimus, hoc eſt, quis ordo, quando aluum lenientia, & alios cibos ſumimus, ſeruãdus ſit. Sanè non leuis de his inter medicos cõtrouerſia eſt. Plerique enim huiuſmodi omnia ante alios cibos capienda eſſe præcipiunt, vtpote quæ ſi poſtea ſumantur, aliorum exitum accelerent, ſubinde D ali corpus non permittant. Ante vero ſuſcepta, reliquis alimentis, poſtquàm bene concocta fuerint, faciliorem viam parare. Idque potiſſimum in horatijs fructibus neceſſarium eſſe, tanquàm ij, qui poſt alios deuorati, quia facile putreſcunt, reliqua putredini obnoxia reddunt, & vniuerſam coctionem corrumpunt. Contra, alij, quoniam in ventriculo, perinde atque in olla quadam, nutrimenta omnia, dũ coquuntur (vt ita dicã) elixantur: vanum eſſe cõtendunt, alterũ, prius, alterum poſterius, vt illud in locũ imũ, pri E mo decumbens, primo deſcendat, accipere. Omnia enim ſurſum, deorſum, in elixatione ipſa reuolui & quod in imo nunc eſt, mox in ſummo natare, & contra: quod in ſummo fluitat, in fundo reſidere. Quamobrem primo deſcendere, non quod ante acceptum eſt, ſed quod ante concoctum. Id enim citius alienam qualitatem accipere, & naturam ad expellendum proritare. Horarios verò fructus potius cum pane, aut aliquo huiuſmodi, non autem ſolos

prius quàm alia,vt futura putredo familiaris rei mixtura tempere- A
tur,deuorandos eſſe.Idque Hippocrati,ſiue Polybo aſtipulari,qui
fructus cum cibis mandendos eſſe iubet, tantoq; ſecuriorē hunc
modum eſſe, præſertim quum frigidi in prima menſa ſumuntur,
quanto magis inimicum ieiuno ventriculo frigus ipſum eſt.

Vtrique parum recte ſentire videntur. Qui enim omnia teme-
re ſine vllo diſcrimine ſumenda eſſe volunt, vt in ventriculo ſin-
gula inuicē cōfundi cenſent, ita ſe ipſos maxime cōfundunt.Quis
enim ſi lac ante alios cibos offeratur, nocuū eſſe contendet? Quis B
itē, ſi iuſcula calētia ad pituitam in ventriculo matutandā,& aluū
ſimul leniendam ante omnia porrigantur, damnabit?& omnino
cibi præmanſi dum in ventriculo coquuntur, veriſimile non eſt,
vt quemadmodum in olla carnes & farra,ſic fortuito ſuſque deq;
veſentur quippe hæc valde admodū abigne loco mouentur: illi:
contra:quum in ſtomachum inciderint,quaſi alter alteri ſuperpo-
ſiti,mox hnmido aliquo irrigati,quoſuq; à calido maturetur,quie
ſcunt & permanent:tantū abeſt,vt ſurſum temere egitētur.Qui ve C
ro cuncta vētrem mollientia cæteros cibos anteire præcipiunt, ij
putant, hæc eadem ſponte ſua, tamquam caduceo quodam ven-
triculi oſtium, quo ad inteſtina nutrimentum defertur, πύλωρον
Græci vocant,aperire:quæ ſi ante ſumantur, reliquis exitum prō-
ptum relinquere: ſin poſt;præſumpta omnia citius, quàm par ſit,
ante ſe pellere.Quū tamē hæc ex genere purgantium medicamen
torum,quę talem vim habent,qualem in his eſſe ſtatuunt,nō ſint.

Neque ſatis conſtet, quod faciliorem aditum poſt aſſumptis D
præparent: quum id non arte, non experientia, non vera conie-
ctura,ſed proprio arbitratu dictum eſſe videatur.

Adde quod ex his aliqua,quia naturam ad præſentis excremen
ti deiectionem irritant,mouent: vt ſalita, vt aromata, quæretuli-
mus: quædam quia ſolida humectant, & molliunt, vt iuſcu-
la:nonnulla, quoniam commixta alijs, hæc ſecum ſimul exire fa-
ciunt,vt quædam modice lenta,& alia aliter,ita vt nunc ante, nūc
inter cibos,& non tantum ante,quæ aluum leniunt, capi poſſint. E
Hæc aduerſum vtroſque dicta ſint. Sed antequam ad quæſtionis
propoſitæ ſolutionem deueniatur,ab re non erit,quædam de fru-
ctibus,quædam de aliquibus alijs aluum mollientibus, quæ citra
controuerſiam admitti queunt,interſerere.

Itaque de fructibus ſcire licet,ab his poſt cibum omnem deuo
ratis, ſuccum quidem facile putreſcentem corpus attrahere, ſed
quia mi-

A quia minus indigum eſt, vtpote alijs ante exatiatum, longe minus arripere.

Contra vero, his ante alia ſumptis, quia corpus ieiunum, ac magis egenum eſt, multo plus arripere, grauiuſque lædi. Aliquibus tamen magis officere, ſi poſt prandium, cænamue, quam ante accipiantur: non quo ſuapte natura poſt cibũ infenſius, quam ante, noceant, ſed quo ab his immodice ſic aſſumuntur, ne quid ex denſiore cibo remittatur: ita non hi, ſed conſummatio omniũ nocet. Si B ergo quum hi accedunt, aliquid déſiori cibo dematur, quoniá expletio vitabitur, multo minus oberunt, quàm ſi ante deuorarẽtur.

Neque ij, qui ſepoſitis arbitris, proxime ante alios cibos aluum lenientia ſumere volunt, non admonendi ſunt: quæcunque ex his actu, ſic dixerim, calentia ſunt, frigentibus, & quæ facile putreſcunt, his, quæ putredini reluctantur, præmittenda eſſe.

Illa, quia calidum naturæ magis, quàm frigidum, amicum: hęc, quo putreſcentia, prius quoque de corpore prodeant. Hactenus C de his, quæ extra dubitationem admittenda eſſe ponebantur. Iam tempus eſt, quæſtionem ipſam perſoluere. Oportet igitur non ignorare, aluum mollientia potiſſimum accipi, ne præſentis cibi, qui in ventriculum ingeritur, excrementa vel in eo, vel in inteſtinis nimium immorentur.

Accipi quoque quo heſterni cibi ſuperflua, vbi forte grauant, citius excernantur.

In primo attendendum eſt, ne ſuo celeri deſcenſu totum alimẽ D tum, aut magnam eius partem, vel turbent, vel importune ſecum trahant. In altero, quoniam feſtina expurgatione opus eſt, ne tardius, quàm par ſit, ſuas vires exerceant. Itaque in hoc, non inter cibos (ſic enim ſumpta viribus, quippe quæ natura debiles ſunt, aliquantum obtuſa redduntur, ſed per ſe ſola ante omnem cibũ, vel ſtatim, vel aliquo interpoſito ſpatio, vt expeditius agant) accipienda eſſe. Illud antiquiſſimorum medicorũm exemplo, qui purgante medicamento abſorptò, illico ſorbitionem offerunt, tranſla E ta ad hæc mollientia ſimilitudine, ſuaderi poteſt. Hoc Galenum ipſum imitatur, qui ſecundo de alimentis, de prunis loquens: Perſpicuum eſt (inquit) quod ad aluum deijciendam, confert, poſt ſumpta ipſa, vinum dulce adhibere, temporiſque aliquid interponere: non autem ſtatim prandere: atque etiam id omnibus, quæ aluum deijciunt, commune, memoria eſt tenendum. In hoc igitur caſu non ſolum iuſcula, & alia, quæ difficilius putreſcunt, ſed

Vu etiam

etiam horarij fructus mulro ante capi poſſunt. A

Neque timor, eſt ne ieiunum corpus illorum prauo ſucco re-
pleatur, quia tetentis ſuperfluis, non indigum, ſed ſaturum adhuc
eſt. In primo autem cum alijs cibis, atque his, qui tum primi, tum
poſtremi, tum medij ſunt, modo probe miſceantur, accipere ni-
hil vetat. Ita, quæ putredini obnoxia ſunt, temperabuntur, quę exi
tum accelerant, modice retrahentur: quæ coctionem impediunt,
eam ad finem deduci permittent. Quod ſi viribus propter mixtu-
ram refractis euaſerunt, quoniam his penitus non priuantur, ſen- B
ſim, & moderate cæteros cibos ad ſeceſſum inuitabunt, & aluum
leniter ſubducent.

Ex dictis igitur, quod ad aluum mollientium, & cæterorum ali
mentorum ordinem attinet, concludi poſſe videtur, vbi in ani-
mo fuerit, præcedentem in ventre cruditatem euacuare, ante om-
nem cibum ea vel ſtatim, vel aliquo interpoſito ſpatio capienda
eſſe. Vbi vero ne præſens cibus nimium in ventre retineatur pro-
uidere, & omnino aluum duntaxat mollire, non autem aliquid C
præexiſtens in ventre ſuperfluum expurgare, hæc eadem cum ci-
bis permiſcendo, ita tamen, vt præſumpta aſſumptis facile mol-
liantur, ſumi licere.

De aluo ducenda, vbi prædicta non iuuerint. Cap. X.

SEd vbi aluus ita (vt diximus) inanita, non ſatis eſt ad ſolita
nutrimenti excrementa ducendũ, licebit aliò tranſgredi, & à
propoſito tantiſper diſcedere, dum ad ipſum non procul ad- D
modum reuerti valeamus. Quippe tanta in nobis capiendi alimẽ-
ti cupiditas ineſt, vt quamuis dicta vtentes diligentia, ter, aut qua-
ter quotidie egeramus, interdum tamẽ ſatietatem ipſam effugere
non poſſimus. Vbi ergo huic auferendæ deiectio iam conſueta
non ſufficit, aliud agere, quo malum huiuſmodi ſummoueamus,
& quo peracto aluum adhuc mollem conſeruemus, & minime
aſtrictam ſortiamur, oportet. Duo aduerſus id ingenia ſunt; alterũ
naturæ, alterum medici. Naturæ, quoniam ab alimento nunc ab- E
horret, vt abſtinentia non extrema quidem, ne conſuetudo mute-
tur, ſed moderata, pugnemus. Medici, vt quam celeriter ventrem,
& inteſtina medicamento aliquo exoneremus, præſertim ſi ven-
ter ſuppreſſus, parum reddit: ex eoque inflationes, caligines, capi
tis dolores, aliaque ſuperioris partis mala increſcunt. Illud ſi quis
interea dum ſatur eſt, parum comedat, parumque bibat; aut ſi co-

A piofe ali malucrit,ex alimentis ea tantum,quæ liquida ſunt,aſſumat,facile vincet. Hoc quiſque fere conſequetur, ſi aliquid ex medicamentis aluum lenientibus,quę in opere noſtro,De morbo Gallico,abunde docuimus, præcipue vero electariũ noſtrũ, quod Alexandrinum appellatur, ad vnciam vſque dimidiam, quũ recens fuerit,paulo ante cibũ,ſemel,aut iterũ tres intra dies acceperit. Id enim & pectori,& renibus,& ventri, & inteſtinis expurgandis conuenit, neq; iniucundum eſt, neque corpus,vt B pleraque purgantia,turbat,neque aluum aſtrictam, quia ſuccos non admodum educit,relinquit; adeo ſatietate ſublata difficile ſubinde nõ ſit,aluum æque mollem,atque antea fuerat, habere. Id hunc in modum aſtruitur.

Accipe Polypodij quercini recentis ac mundi vncias iiij. Foliorum ſenę orientalis,Radicum althæę recentis,& diligenter a meditullio,hoc eſt,ab interiori bacillo mundatarum,abraſaq; exttema tenui pellicula, an. vncias ij.Aniſi drach. ij.

C Coquantur ſecundũ ar.aqua communi vaſe terreo,quod plũbo velut in aquam liquato,vt figuli ſolent,oblitum ſit, excepta: deinde exprimantur.Liquori expreſſo,adde pulpę vocati zibibi ante vino Cretico loti, & enucleati, mox per incerniculũ tranſmiſſi lib.÷Sacchari optimi. vncias.ij.Rurſus coquantur donec veniant ad Cydoniati ferè conſiſtentiam. Poſſunt multa alia id genus confici, quemadmodum eſt vocata ex Mercuriali, vel ex polypodio,vel ex ſene foliis confectio.

D Ex Mercuriali videlicet.

Sume foliorum Mercurialis.m.iiij.cinnamomi.drach.j. Aniſi drac.iij. Aquę communis q. s. coque ſ. a. Subinde cola ſimul ac exprime,huius expreſſi cape drac.viij.ſacchari albi vncia. vj.Fiat confectio (vt dicunt)in totulis.E,qua vncia.j.plus,minuſve,paulo ante prandium ſumitur. Hęc ſuauis eſt, & ſine moleſtia ventrẽ ducit. Diapartheniũ minus ab aliquibus vocatur. Aut decocti loco ſuccũ Mercurialis defęcatum capiro,& ſimiliter concin E nato. Hęc guſtanti minus grata eſt, in reliquis priori non diſſimilis, pręterquã quod minori quantitate ſumi debet.Id Diaparthenium maius ab aliis dicitur.

Ex Polypodio medicamentum, habet Polypodij quercini diligenter ante mundati vncias.iiij.Zingiberis.drach. ÷ ſem.fœniculi dulcis.drach.j.Aniſi drach.ij.Paſſularum dulcium.vnciam.j. Coquantur ſecundum ar.aqua communi, ſubinde colentur ſi-

mul,atque leuiter exprimantur. Huius expreſſi cape lib.j.Saccha A
ri albi vncias viij. Corallii rub. drach. j ÷ Margaritarum prępa-
ratarũ ſcrup. iiij. Fiat confectio, vt dicunt, in rotulis,de qua pau
lo ante cibum vncia ÷ plus minuſve ſumatur: pariter etiam ex
ſenæ foliis mixtura paratur, atque ſimiliter accipitur.Proximum
huic eſt, ſi quis mannam Calabram ad vnciam ÷ plus minuſve
ſtatim ante cibũ vel paulo prius,aut deuoret,aut cum iuſculo ali
quo ſorbeat. Poteſt idem aloe ſuccotrina cum aqua pluuia no-
uies lota. Illius enim calor temperatur, & ſiccitas a qua nonnul- B
li ſecundum Galenum quinto de tuenda ſanitate ſenibus tanto-
pere timent,amouetur.Hinc Celſus lib.1. cap.3.Qui eijcere volet
(inquit) primum cibis, viniſque vtatur his, quæ hoc præſtent,
dehinc ſi parũ illa proficiant, aloen ſumat. Hæc ad ſcrup.j.& ma
ne paulo ante prandium, & veſpere paulo poſt cœnã, atque ita
deinceps quoad ſatieras euaneſcat,accipitur. Vtrum poſt cœnã
recte detur,in opere noſtro,De morbo Gallico, Paulum Aegine
tam ſecuti, explicauimus. Id quod etiam Plinius libro 27. apud C
antiquos in vſu fuiſſe teſtatur, quum de aloe ſcribens: Etſi diffi-
cilius(inquit)concoquantur cibi,bibitur à cœna modico inter-
uallo. Idem pręſtabit aloe cum infuſo rhab.præparata ad ſcrup.j.
ſimiliter aſſumpta.Neque verendum eſt quod ſcioli quidam (vt
homnibus prudentiores videantur) ſæpius obijciunt, aloen in
hoc ſtatũ noxiam eſſe, authoritate tum Galeni, quod (vt inter
pretantur) ſiccet;tum Arabum,quod hæmorroidas moueat:neu
trum enim vel ſæpius repetitũ,modo per interualla ſit,in quan- D
titate adeo exigua contingit.Neutrũ item(ſi alijs credimus)verũ
eſt.Ad id faciet rhab.ſi ad ſcrup.j.paulo antè prandiũ mandatur,
aut adiecta dupla mannæ Calabrę portione deuoretur, ſic enim
mãnæ lentore innoxiũ penè fit: aut ſi mel ex roſis nouies infuſis
ad vnciam j. ÷. duabus,aut tribus ante prãdium horis lambatur,
aut tantundem Serapij roſacei, quod dicunt ſolutiui, nunc al-
ternis,nunc ſingulis diebus,prout magis minuſve aluũ ducet,&
quoad ſatietas perdurabit.Aut mixa recentia vtpote 15.paulo plu E
ra vel pauciora, iure aliquo elixa: ſubinde horum iuſculum tri-
bus aut quatuor ante prandium horis,vel proxime potare:mixa
vero prima menſa ſaccharo conſperſa prunorum loco eſſe.

Index eorum, quæ continentur in libris Alexandri Traiani Petronij De Romanorum victu, Tuenda ſanitate & Aluo ſine medicamentis mollienda, compoſitus à Pamphilo Oddo Sabino artium & medicinæ doctore, intimo eiuſdem Alexandri diſcipulo.

A

ABortus vnde fiat. facie. 27. littera. d.
Abort⁹ faciles. 20. d. 21. d. 23. d. e. 27. d
Abortus quibus magis & quando inſtat. 20. d
Abortus quibus ad uer partus futurus. 21. d
Abortus quibus menſibus maxime contingat. 213. a. b
Abortus quur octauo menſe frequentiores. 213. c.
Abſtemii & magis ſani & vitæ lõgioris ſunt. 234. a
Acetarij vſus quid præſtet. 78. e.
Aceti odor cur celerius deficientes excitet, quam odor vini. 51. c
Acetum. 75. e. 327. e
Acetum veſicæ contrarium. 68. c.
Acetum prohibet vini ſenſum in guſtatu. 108. a
Acetoſa & eius vires. 86. a
Acidi ſaporis cauſa. 41. c
Acria quæ dicantur. 41. d
Acria & amara magis putrefacta ſũt & magis ſiccant quam acida. 41. d
Acria aromata quid efficiãt. & quibus proſint. 321. a
Acuchia piſcis. 132. e
Adami poma. 211. d
Adoleſcentibus vſque ad annum 21. a coitu abſtinendum. 223. c
Aeger ſi vires habet loco humido, ſi non habet obſcuro continendus plerumque eſt. 188. b
Aegri pauci cum multis fructibus. 25. d
Aegri pauci ijque ſalutares quando. 25. e
Aegri quando plures intereunt. 19. d
Aegri æſtate quando pauci ſint. 20. b
Aegrum languidum quoties in die reficere oporteat. 188. c. d. e
Aegri ĩ qua vrbis parte plures quãdo fuerint. 13. d. e
de Aere tãquã vna ex ſex rebus nõ naturalib⁹. 243. b
Aer maxime omnium in homine poteſt. 8. d.
Aer & vẽti expletiõis & cruditatis cauſa ſũt. 169. d
Aer craſſus denſus & tepidus vt cito replet ita cito abſumitur.
Aer perfluens ſicut aqua pannos lineos ita corpus noſtrum expurgat. 209. b
Aer ſalubris occluſus exitum nõ habens morboſus fit niſi etiam a ſole illuſtretur. 243. e
Aer à quibus nam diſſipatur atq; attenuetur. 245. e
Aere nebuloſo vel caliginoſo exiſtente expedit vino abſtinere vel valde dilutum potare. 245. d
Aer ab alto recedens quanto inferior tanto deterior. 243. d
Aer veſpertin⁹ hieme quã æſtate periculoſus. 244. a
Aer veſpertinus tam hieme quàm æſtate ſi cœlum totum aut nubilum aut quaſi pluuium cum frigore ſit valde malus, eſt & ſpeciatim æſtate prope tyberim. 244. a
Aer veſpertinus hieme, matutinus æſtate frigidior & vulnerato capiti nocentior. 244. b. 7. b
Aer matutinus periculoſus. 15. e
Aer in locis maritimis æſtate cauendus. 245. e
Aer in locis maritimis vrbi vicinis hieme præſertim flante aquilone miti, & iucundus & ſalubris. 247. a
Aer Neapoli & Genuæ quæ loca maritima ſunt quur ſalubrior quàm apud Oſtiam aut Centumcellas vulgo ciuitauecchia. 245. e
Aer vinearum Vrbis ęſtate, aquilone vel fauonio flante non inſalubris. 245. e
Aeris mutatio æſtate ex vrbe in alia loca ſiue vicina ſiue remota quid poſſit. 247. e
Aer in vrbe qualis melior. 243. b
Aer in qua vrbis parte ſalubrior. 8. b. c
Aer romanus in vniuerſum calidus & humidus ſtatuitur. 8. d
Aer rom. in montibus ſiccior & frigidior, in cõualle calidior & humidior, grauior, denſior craſſior. 8. d. e. 9. a
Aer rom. habitantibus prope terram noxius. 9. b.
Aer rom. in quibus viis frigidior. 9. b.
Aer rom. cur & quando ęſtuoſus. 9. e
Aer rom. varius & autumno ferè ſimilis. 9. d
Aer rom. quia varius ſanitati opponitur. 10. e
Aer rom. caput replet grauat ſingulos corporis ventres humectat. 10. a
Aer rom. meridianis flatibus omnino proſimilis 10. a. 165. a
Aer rom. tamquã auſter famẽ & ſitim aufert. 10. b
Aer rom. facile putrefacit quæ penetrat. 10. c.
Aer rom. aduentitia cibaria macerat. 48. a
Aeſtas quando ſalubris. 24. d. 23. c
Aeſtas moderata ſalubrior. 16. b
Aeſtate ſi pluat cur ægri nunc plures nunc pauciores. 24. e
Aeſtas auſtralis & ſerena autumnus auſtralis & pluuius. 26. c
Aeſtas ſicca & aquilonia, autumnus autem pluuioſus & auſtralis. 27. a
Aeſtate ſi conſtitutio ante aquilonia, & ſicca ſubinde tempeſtiue auſtralis & humida. 27. c
Aeſtate tota ſi auſter ſerenus. 28. b
Aeſtas frigida, pluuia vel ſicca ſit. 28. c
Aeſtas ſi auſtralis & ſicca morboſa. 29. b
Aeſtas aquilonia & ſicca ſalubris. 29. b
Aeſtate ſerena abſque flatu plura mala. 29. d
Aeſtatem debere calidiſſimam eſſe vt communiter dicitur falſum eſſe. 16. b
Aeſtate cum frigida ſit terra, quur foris calorem ſuo

vapore

vapore non temperat. 16.e
Aeſtate tempeſtiuæ pluuiæ calorem refringunt, intempeſtiuæ vero augent. 20.d.e
Aeſtatem calidam Romæ inſalubrem eſſe contra communem opinionem. 28.c
Aeſtate quis victus ſit ſeruandus. 289.e
Agiliora corpora quando fiunt. 21.b
Agnos poſt paſcha grandiores eligere & aſſos potius quàm elixos mandere. 218.d
Agreſta. 107.e
Aiece piſcis. 131. b. 164.a
Alegretto & eius vires. 90.a
Alimentum nouum refrigerat, vetuſtius vero calefacit. 49.a
Alimentum omne calorem naturalem vel auget vel fouet. 49.a
Alimenta Romę in magna mole parum nutriunt 164.a.&c. 170.d
Alimenta vrbis corpora quidem & carnes in tumorem attollunt, ſed ſi modice intermittantur & vires & corpora ex his non tarde conſidunt. 170.e
Alimentum in ſtomacho ſuperfluum vel diminutũ ex quibus dignoſcitur. 178.b
Alimenta inſueta porrigenda non ſunt. 189.d
Alimenta inſueta quæ valde diſplicent, medicamenti non alimenti vicem ſubeunt. 190.c
Alimenta omnia in ventriculo corrumpuntur & forte etiam putreſcunt. 190.e
Alimento in ventre cocto & non diſtributo quid ſequatur. 200.d.
Alimenti in ſtomacho permutatio nunc coctio nũc putrefactio diuerſa videlicet ratione nuncupatur. 227.d
Alimenti diſtributio in ſene exigua & tarda 228.d
Alimenta ſenectutem producentia. 236.a
Alimenti accepti vix decima pars in ſubſtanoã noſtram vertitur. 294.d
Alimentorum genera tria eſſe homini potiſſimum iucunda dulcia acida ſalſa. 262.a
Alimenta lenta vt extremæ animalium partes & maluæ aluum ſubducunt. 297.a
Allium & eius vires. 95.d. 32.e
Aloſa piſcis. 129.a
Aluum generatim mollientia. 294.& deinceps
Alui excreméta proportione aſſumpti cibi copioſiora eſſe debere quã quis forſan opinaretur. 294.e
Alui excrementa non purgãtibus medicamẽtis nec eis quę aquam ſuccumque ſed his quæ fęcem ſolidumq; excrementum ducunt, euacuanda. 294.e
Aluus ita mollis habenda vt quotidie nutritioni reſpondeat. 173
Alui fluor ab acri materia. 26.d
Alui fluor intempeſtiuus corpus vniuerſum debilitans cruditatem ſignificat. 228.e
Aluus pro copia ingeſti alimenti quotidie mollis cerebrum & reliquum corpus magis vegetum & melius ſpirare facit. 235.c
Aluus adſtricta caput replet. 174.c
Aluus adſtricta præter conſuetudinem quid efficiat. 205.e
Aluus mollis forte magis debilitat ſed ſalubrior atque ſecurior quàm adſtricta. 295.c
Aluum mollit eſca & potus auctus, fames vero adſtringit. 295.d
Aluum molliunt cibi ex riguis atque humidis locis. 296.a
Aluum molliunt alimenta omnia quæ a calido, humido molliuntur, ſtringunt autem quæ calido & humido cito dureſcunt vt iocinora. 297.b
Aluum molliunt cibi ſalſuginoſi. 297.c
Aluum aſtringunt ſalſi potus. 297.c
Aluum mollem habentes acutos morbos omnes effugient. 300 b
ad Aluum mollem quid ſequatur. 300.b
Aluum mollientia frumentacea & legumina. 300.d
Aluum mouent aromata acria & quomodo. 321.c
Amara pueris & hepati quare conferant. 272.b
Amaracus. 91.e
